CARTULAIRE

DE MAGUELONE

MONTPELLIER. — IMPRIMERIE ROUMÉGOUS ET DÉHAN



Imprimatur:

† A. cardinal de Rovérié de Cabrières,
Évêque de Montpellier.

Montpellier, le 12 mars 1912.

CARTULAIRE

DE MAGUELONE

PAR

J. ROUQUETTE ET A. VILLEMAGNE

CURÉ DE VIC-LES-ÉTANGS — CURÉ DE CASTELNAU-LE-LEZ

TOME DEUXIÈME

MONTPELLIER

LIBRAIRIE LOUIS VALAT

Place Chabaneau, 9 (anciennement de la Préfecture)

—

MCMXIII

AVERTISSEMENT

Depuis le jour où nous avons entrepris la publication du Cartulaire de Maguelone, *des changements sont intervenus dans notre situation:* M. l'abbé Villemagne *a été nommé curé de Castelnau-le-Lez, et l'importance de cette paroisse ne lui a plus permis de collaborer aussi activement que par le passé à cette Publication.*

Aussi, désormais, sans briser aucunément la collaboration, bien que chaque volume du Cartulaire *paraisse, signé par les deux auteurs, chaque Fascicule portera une signature particulière. Le Tome II comprend les Fascicules VI, VII et VIII, par* l'abbé Rouquette, *et les Fascicules IX et X, par* l'abbé Villemagne. *Le Tome III comprendra le Fascicule XI, par* l'abbé Rouquette, *et le Fascicule XII, par* l'abbé Villemagne. *Il en sera de même pour les deux autres volumes.*

J. Rouquette.

CARTULAIRE

DE MAGUELONE

CCLXXX. — 5 janvier 1203 (n. s. 1204)

Accord entre le prévôt de Maguelone et les Hospitaliers de Saint-Jean de Jérusalem de Montpellier.

Anno Incarnacionis Dominice millesimo ducentesimo tercio, mense januarii, nonis. Hec est carta amicabilis composicionis, facte in manu et presentia domini G., Nemausensis episcopi, et domini G., Avinionensis prepositi, inter Guidonem, Magalonensem prepositum, et Senioretum, priorem domus Hospitalis Iherosolimitani, que est sita in villa Sancti Egidii, super decimis et primiciis possessionum, quas domus Hospitalis habet modo, vel in futurum habebit, in episcopatu Magalonensi ; et super decimis de nutrimentis animalium domus Hospitalis ; et super oratorio et cimiterio, que domus Hospitalis nitebatur habere in villa Montispessulani.

Est itaque compositio talis, scilicet quod domus Hospitalis Iherosolimitani, sita in Montepessulano, habeat imperpetuum liberum cimiterium, in quo quilibet masculus seu femina, clericus vel laicus parrochianus Magalonensis, vel non parrochianus,

liberam possit eligere sepulturam; sed sciendum est quod in oblatis, datis, donatis, relictis vel quocumque modo collatis domui Hospitalis, vel ecclesie, seu clericis ibidem servientibus, ab hiis qui ibidem sepulturam elegerint, et sepulti fuerint, vel ab amicis vel caris eorum, vel ab aliquo alio, nomine ipsorum, in vita, vel in morte, vel post mortem eorumdem, Magalonensis Ecclesia habebit semper tres partes, et domus Hospitalis quartam partem, sive sint res mobiles vel immobiles, vel se moventes, vel incorporee, sive sint actiones in rem vel in personam, sive sint res culte vel inculte, vel cujuslibet alterius generis.

Sed si inter vivos, nulla mortis vel sepulture habita mentione, compos mentis et sanus corpore, sine fraude supradictorum, aliquis quicquam de bonis suis donaverit domui Hospitalis, et absque ulla retencione et repeticione illud tradiderit, in eo Magalonensis Ecclesia nichil habebit. Similiter si aliquis, sanus mente et corpore, se tradiderit pro fratre domui Hospitalis, et habitum cum cruce susceperit, fuerit ibi sepultus vel non, in illis datis, donatis, relictis, translatis ab eo vel ab aliquo, nomine ejus, in domum Hospitalis vel in ecclesiam, vel clericos, Magalonensis Ecclesia in eis nullum jus, nullam portionem habebit, dum tamen hec omnia fiant sine fraude et dolo Magalonensis Ecclesie.

Si vero aliquis, gravatus infirmitate corporis, se tradiderit pro fratre domui Hospitalis, et habitum cum cruce susceperit, et ex eo morbo vita functus fuerit, in omnibus datis, donatis, relictis ab eo vel aliquo, nomine ejus, in infirmitate ejus vel post, domui Hospitalis, vel ecclesie, vel clericis, Magalonensis Ecclesia habebit tres partes, et domus Hospitalis quartam. Sed si convaluerit, et, sanus [effectus], in domo remanserit, in eo quod ad Hospitalem transtulerit, nichil habebit Magalonensis Ecclesia. Sed si aliquis, sanus corpore et mente, sine susceptione habitus et crucis, se dederit domui Hospitalis, cum jurejurando facto ad custodienda mandata domus, et, relinquens omnia, ibi decesserit, in bonis que fuerunt ejus, nichil Magalonensis Ecclesia habebit.

Preterea domus Hospitalis habeat unicum oratorium, ubi-

cumque voluerit, in villa Montispessulani, et cujuscumque forme seu magnitudinis sibi placuerit, in quo semper habeat domus Hospitalis duos capellanos ad celebranda divina, fratres ejusdem domus vel alios, et non plures : verumptamen capellani, qui non sunt in domo constituti, possunt ibi divinum officium peragere.

Oblationes vero et vigilie, quecumque fient altari vel sacerdoti, pro dimidia parte pertinebunt ad Magalonensem Ecclesiam, et pro alia dimidia ad domum Hospitalis. Sed si unum oblatum excedat summam duorum denariorum, in eo quod excedet, habebit Magalonensis Ecclesia tres partes, et domus Hospitalis quartam. Similiter de omnibus oblationibus et vigiliis, que fient in memoriam ibi sepultorum, pertinebunt tres partes ad Ecclesiam Magalonensem, et quarta ad domum Hospitalis. Sed oblatio olei ad illuminationem unius lampadis sit semper Hospitalis ; si quid vero de oleo superfuerit, dividatur secundum modum impositum oblationibus et vigiliis.

Et in toto episcopatu Magalonensi non habeat domus Hospitalis, ullo loco vel tempore, ecclesiam, vel oratorium, vel altare, vel cimiterium preter supradictum oratorium Montispessulani, et ecclesiam Sancti Cristofori (1), et preter supradictum cimiterium concessum sibi in villa Montispessulani, et preter cimiterium Sancti Cristofori.

In visitatione infirmorum, que fiet a clericis vel fratribus Hospitalis, debent ipsi visitatores, tam clerici quam laici, in manu episcopi promittere quod nichil dicant, vel faciant erga infirmos, vel res eorum, ad dampnum Magalonensis Ecclesie, nec infirmis penitenciam vel viaticum dare debent, nec crucem, vel turibulum, vel aquam benedictam, vel ornamenta sacerdotalia deferre debent, viventibus infirmis, vel defunctis, nisi in quantum domus Hospitalis extenditur.

In prefato vero oratorio Montispessulani, habeat domus Hospitalis, quacumque parte voluerit, duas squillas et non plures.

Insuper omnibus presentibus et futuris appareat quod, ex

---

(1) Saint-Christol, canton de Lunel.

vigore hujus compositionis, deinceps imperpetuum Magalonensis Ecclesia habebit plenarie decimas fructuum, prediorum et vinearum, que dicta domus Hospitalis in toto episcopatu Magalonensi possidet, vel possidebit, exceptis hiis de quibus alius decimam accipit; sed peccorum vel novalium, modo vel in futurum pertinentium ad domum Hospitalis, vel pratorum (1), quamdiu prata fuerint, vel fructuum arborum vel ortorum, quos domus Hospitalis habuerit in episcopatu Magalonensi ad usum fratrum et familie tantum, non debet umquam habere decimas vel primitias Ecclesia Magalonensis. Novalia intelligimus ea sola que (2) domus Hospitalis de cetero auferret ab aquis vel nemoribus, que (3) hactenus inculta fuerint (4), et insuper quatuor sexteriatas terre apud Soregium (5), quas constat ab aquis fuisse ablatas. Et de substantia ejusdem compositionis est, ut peccorum, pastorum, et aliorum animalium, que peccoribus domus Hospitalis sunt vel erunt aliquo modo sociata, Ecclesia Magalonensis legaliter debet habere decimas; et pastores super hiis omnibus veritatem manifestare tenentur.

Item sit manifestum quod in omnibus relictis vel aliis emolumentis, que ad domum Hospitalis devolventur occasione seu nomine eorum, qui in aliqua parte Magalonensis episcopatus (6) conversabantur, et sepulturam sibi apud Sanctum Cristoforum elegerint, Magalonensis Ecclesia habeat medietatem et domus Hospitalis aliam medietatem. Idemque in peregrinis, morientibus infra episcopatum Magalonensem, et in cimiterio Sancti Cristofori sepultis, observetur. Si vero alterius diocesis parrochianus sepulturam ibi elegerit, vel sepultus ibidem fuerit, vel aliquis peregrinus, extra fines Magalonensis diocesis moriens, sepulturam ibi acceperit, in hiis que ad ipsum Hospitalem transtulerit, in datis, donatis, relictis, oblatis, nichil accipiat Ecclesia Magalonensis. Ad hoc si aliquis

(1) Cart.: *peccorum.*
(2) Cart.: *de.*
(3) Cart.: *qui.*
(4) Cart.: *fuerunt.*
(5) Soriech, commune de Lattes.
(6) Cart.: *Magalonensi episcopatu.*

de habitatoribus vel parrochianis Montispessulani, vel peregrinis, vel viatoribus ibidem morientibus sepulturam elegerint in cimiterio Sancti Cristofori, vel de illis qui in eadem villa morabuntur, ex omnibus que propter eorum sepulturam [in] datis, donatis, relictis, oblatis, ad domum Hospitalis transferentur, habeat Magalonensis Ecclesia tres partes, et domus Hospitalis quartam. In prediis quoque cultis et incultis, que domus Hospitalis possidet nunc, vel in futurum possidebit in tota decimaria Sancti Cristofori, vel alii ejusdem ecclesie parrochiani vel non parrochiani ibidem excolunt, et in obventionibus que ab ipsis parrochianis ibi sepultis ad ipsam ecclesiam Sancti Cristofori devenerint, vel in vigiliis eorumdem et oblationibus, nichil percipiat omnino Ecclesia Magalonensis ; verum si, occasione seu nomine eorum qui de episcopatu Magalonensi translati sunt ad cimiterium Sancti Cristofori, oblatio vel vigilia fiet ipsi ecclesie vel altari, si transcedat duorum nummorum valentiam, equis porcionibus dividatur inter Ecclesiam Magalonensem et domum Hospitalis, nisi sit parrochianus, vel habitator Montispessulani, vel viator ibi decedens. Qui in predicto cimiterio Sancti Cristofori sepultus fuerit, in quo casu vigilia, et oblatio que a quocumque fiat in ejus memoriam in predicta ecclesia Sancti Cristofori, Ecclesia Magalonensis accipiat tres partes, et domus Hospitalis quartam illius vigilie et oblationis, que quantitatem excedet duorum nummorum. Sed si proxime dicta oblatio vel vigilia infra valentiam duorum nummorum subsistat, nichil Magalonensis Ecclesia ex ea percipiat.

Postremo sciendum est, quod si quis equum vel arma, que ante suam habebat infirmitatem, domui Hospitalis dimiserit, vel quocumque alienationis titulo sanus vel eger ad domum Hospitalis, omni retenta fraudis suspitione, transtulerit, Ecclesia Magalonensis nichil in armis et equis percipiat. Si tamen jam positus in infirmitate arma vel equos habere cepit, et illa domui Hospitalis quocumque titulo destinaverit, dimidiam partem habeat Magalonensis Ecclesia, et aliam dimidiam domus Hospitalis, nisi forte qui equos vel arma domui Hospitali deputaverit, fuerit habitator Montispessulani, vel viator ibi

decedens: quo in casu armorum et equorum tres partes Ecclesia Magalonensis, et domus Hospitalis quartam obtinebit (1).

In predicto oratorio Montispessulani habeat domus Hospitalis unum altare tantum.

Sed et si quis in cimiterio, apud Montempessulanum concesso Hospitalariis, sepultus fuerit, et eidem Hospitali equum vel arma, que post infirmitatem ceptam habuerit, vel roncinum, vel quodlibet aliud jumentum ante egritudinem vel postea nactus, eidem Hospitali reliquerit, tres partes Magalonensi Ecclesie applicentur, et quarta domui Hospitalis. Si vero proxime dicta jumenta ante egritudinem nactus fuerit, in ipso jumento et in armis ab ipso antea acquisitis habeat Ecclesia Magalonensis medietatem, et domus Hospitalis aliam medietatem.

Preterea si equus alienus vel pecunia, loco equi vel pro equo emendo, domui Hospitalis relinquatur, secundum modum supra in aliis relictis positum, inter Hospitalem et Ecclesiam [Magalonensem] dividatur.

Si quid (2) autem de canonica porcione, vel de quibuslibet aliis rebus, ad jus Magalonensis Ecclesie [pertinentibus], usque in hodiernum diem domus Hospitalis habuerit, vel Ecclesiam Magalonensem de jure aut bonis Hospitalis quacunque occasione usque modo constat habuisse, totum illud, quicquid sit, ab utraque parte remissum et finitum.

Idem procurator domus Hospitalis Montispessulani, qui modo administrat, et omnes alii qui substituentur vice ejus, eo vivente vel mortuo, et clerici qui nunc in ecclesia Hospitalis serviunt, vel in posterun servient, debent expromittere in manu Magalonensis episcopi, quod omnia supradicta et singula incommote custodiant, et in virtute obediencie omnes subditos et subjectos illibate faciant custodiri.

Ego itaque Guido, Magalonensis prepositus, et nos canonici Magalonenses mandato ipsius prepositi, videlicet Petrus de Lunello, et Petrus de Agrifolio archidiaconi, Bernardus de la

(1) Cart.: *optinebit.*
(2) Cart.: *quis.*

Trella sacrista. Bernardus de Sancto Gervasio. Gisbertus et Raimundus Arlohinuarus archipresbiteri, Pe. de Alballanicis. Johannes de Monte Lauro. B. de Vicenobrio. Po. de Casalibus, Bernardus de Castro Novo. Andreas, sollempni et valida stipulatione promittimus per nos et per omnes canonicos Magalonenses presentes et futuros, tibi, Senioreto priori prenominato, et omnibus fratribus Hospitalis presentibus et futuris, quod hec omnia, que superius scripta sunt, et eorum singula tenebimus firmiter, et imperpetuum observabimus, et contra non veniemus, nec venire faciemus aliquo jure scripto vel non scripto, divino vel humano, vel cujuscumque privilegii vel rescripti jam impetrati vel infuturum impetrandi, vel auctoritate decretalis epistole, vel obtentu alicujus indulgencie; et si forte, quod absit, contra predictam compositionem, aliquo [loco] vel tempore, nos vel Ecclesia Magalonensis venerimus, et infra sex menses post admonitionem Magalonensis Ecclesia dampnum, datum contra compositionem, Hospitali non restituerit, sub vinculo stipulacionis et obligacione rerum Magalonensis Ecclesie, promittimus dare domui Hospitalis, nomine pene, ducentas marcas argenti, supradicta compositione semper in suo robore, etiam pena comissa, remanente. Et ista omnia nos imperpetuum tenere et observare, tactis sacrosanctis evangeliis juramus, et, causa majoris securitatis, huic presenti compositioni sigillum nostrum et capituli Magalonensis et episcopi nostri nos apposituros promittimus.

Similiter et ego Senioretus, prior Hospitalis, et mandato ipsius, nos infrascripti fratres ejusdem Hospitalis, scilicet Benedictus preceptor Hospitalis Sancti Egidii, Bertrandus Rainaldus frater, Poncius de Alinnano, preceptor Hospitalis Montispessulani, Bertrandus de Cadarossa, preceptor Hospitalis de Alesto, Stephanus de Parisio, frater et capellanus domus Montispessulani, Privatus frater et capellanus predicti prioris, Stephanus de Pignano, preceptor domus de Pignano, Rainaldus de Lunello, frater Hospitalis, Bernardus Caucala, frater Hospitalis, Raymundus Guillelmus Rufus, frater Hospitalis, Poncius de Elra, frater Hospitalis, P. Neiranus, sollempni et valida stipulatione promittimus per nos et per omnes fratres

Hospitalis, presentes et futuros, tibi Guidoni, preposito predicto, et omnibus canonicis Magalonensibus presentibus et futuris, quod omnia, que superius scripta sunt, et eorum singula tenebimus firmiter et imperpetuum observabimus, et contra non veniemus, nec venire faciemus aliquo jure scripto vel non scripto, divino vel humano, vel cujuscumque privilegii vel rescripti jam impetrati vel impetrandi infuturum, vel auctoritate decretalis epistole, vel obtentu alicujus indulgentie. Et si forte, [quod absit], contra predictam compositionem, aliquo loco vel tempore, nos vel domus Hospitalis venerimus, et infra sex menses, post admonitionem vestram, domus Hospitalis dampnum, datum contra compositionem, Ecclesie Magalonensi non restituerit, sub vinculo stipulationis et obligatione rerum Hospitalium, promittimus dare Ecclesie Magalonensi, nomine pene, ducentas marcas argenti, supradicta compositione semper in suo robore, etiam pena comissa, permanente. Et ista omnia nos imperpetuum tenere et observare, tactis sacrosanctis evangeliis, juramus ; et causa majoris securitatis huic presenti compositioni, ego Senioretus, prior predictus, sigillum nostrum me appositurum promitto. Insuper ego Senioretus sub predicto juramento, sine omni retentione, promitto me facturum quod Augerius, magister major citra marinas partes, laudabit totam predictam compositionem, et sigillo suo roborabit ; et bona fide, secundum posse meum, me facturum promitto, quod magister Hospitalis major in partibus Iherosolimitanis predicta confirmabit, et cartam presentem sigillo suo communiet et solidabit ; et insuper in generali capitulo Sancti Egidii hanc compositionem faciam approbari.

Hujus compositionis testes sunt G. de Bojano, archidiaconus Biterrensis, Rostagnus de Codaleto, Be. de Aquis, Regordus causidicus, Ugo archidiaconus Nemausensis, B. Farzanus, R. de Monte Pesato canonici, B. de Motjano archidiaconus Narbonensis, Guiraudus de Albasio miles, Rostagnus de Sabrano monachus, Bertrandus de Gentiaco, Raimundus de Motjano, Raimundus Nielli de Nemauso, B. Fresnelli, G. Emenfred, Pontius de Roca sacerdos, G. Jaufridus cano-

nicus Avinionensis, G. de Lunello, G. precentor de Latis. Et ego G., Dei gratia Nemausensis episcopus, et ego G., Avinionensis prepositus, mandato et voluntate utriusque partis, ad perhennem hujus rei memoriam, et causa perpetue firmitatis, impressione sigillorum nostrorum hanc cartam corroboravimus.

(Reg. E, fol. 30 r° ; édité par M. l'abbé Villemagne, dans *Revue historique du diocese de Montpellier*, 2e année, p. 410).

CCLXXXI. — Avril 1204

Raimond Guerre reconnait tenir de Guillaume d'Autignac plusieurs maisons à Gigean.

Anno Dominice Incarnacionis M CC° IIII^to^, mense aprilis, ego Raimundus Guerra... recognosco tibi, domino Guillelmo de Altiniaco, Magalonensi episcopo, quod habeo et teneo a te ad feudum, infra castrum de Gigano, totum estare meum cum suis pertinentiis, quod confrontatur a circio cum muro castelli, et a vento cum domo Guillelmi Albarici, et ab aquilone cum via et cum domo quondam Petri Datberti :

Et unam domum, quam tenet de me Poncius Ranulfi, que jungitur a circio cum via, et a vento cum domo Johannis Ranulfi :

Et unam domum, quam tenet de me Bernardus de Serinnaco, et confrontatur ab aquilone cum suo estare, et a vento cum domo Poncii Ranulfi, et a corina cum via ;

Et unam domum, quam tenet de me Poncius Faber cum plano, que tenet se a corina cum eo, et ab aquilone cum domo infantum quondam Bernardi Genesii.

Et unam domum, que quondam fuit Stephane Catalane, que confrontatur cum domo infantum Bernardi Genesii, et a vento cum estare Raimundi de Burgada.

(Reg. F, fol. 93 r°).

CCLXXXII. — Avril 1204

Ermessens Laget et sa sœur reconnaissent tenir certaines terres sises à Gigean sous la directe de l'évêque.

Anno Dominice Incarnationis M° CC° IIII°, mense aprilis, ego Ermessens Lageta, et ego Rixens, soror ejus, et ego Raimundus de Sancto Martino, maritus dicte Ermessendis, nos omnes scimus... quod nos habemus et tenemus in feudum de te, domino Guillelmo de Altiniaco, Magalonensi episcopo, unam parranem cum omnibus suis pertinenciis, que est in terminio Gijani, et confrontatur a vento cum muro, et a circio cum campo Petri de Castris ;

Et unam peciam vinee apud Canetum, et confrontatur cum vinea Bn. de Solerio, et ex alia parte cum vinea Vitalis ;

Et unam peciam vinee, que tenetur cum vinea Raimundi de Burgada, et ex alia parte cum vinea Pome ;

Et aliam peciam vinee, que tenetur cum dicta vinea Raimundi de Burgada ;

Et aliam peciam terre, que tenetur cum dicto honore Pome, et ex alia parte cum camino.

Que omnia de te habemus et tenemus in feudum, et pro hiis debemus esse homines tui et facere tibi servicium ; et si pervenerit ad noticiam nostram nos amplius habere, vel tenere de hoc feudo, illud totum, cum ad noticiam nostram pervenerit, statim tibi notificare promittimus ; et ita observabimus, et contra non veniemus. Sic Deus nos adjuvet et hec sancta Dei euvangelia.

(Reg. B, fol. 212 v° et 213 r°. Le folio 213 r° est déchiré sur une espace de deux lignes et une partie de la troisième).

CCLXXXIII. — Avril 1204

Reconnaissance faite par Raimond de Cournon de tous les biens qu'il tient de l'évêque de Maguelone.

In nomine Domini. Anno ejusdem Incarnacionis M°CC°IIII°, mense aprilis, ego Raimundus de Cornone, filius quondam de Cornone, scio... quod ego habeo et teneo ad feudum a te domino G[uillelmo], Magalonensi episcopo, et successoribus tuis, scilicet totum unum stare infra capud castri de Gigano, quod confrontatur ab aquilone cum stare R. de Castriis; et quicquid habeo vel habere debeo in tota curte castri, et terciam partem turris; et aliud stare in eodem castro, quod tenetur a corina cum stari Aldiardis, filie Guillelmi Raimundi; et introitum et exitum superioris castri inferius et superius; et medietatem portalis, et clavem, et seram, et cathenam portalis; et stare in quo maneo; et stare quod fuit B. Bonerii; et salam et planum de Ulmo; et medietatem de cavis veteribus castri; et stare Guillelme Cabrerie et infantum suorum; et stare P. Cabrerii; et stare Poncii Deodati; et totum stare quod B. de Serinnaco de me tenet; et locale quod est inter staria de Castelario; et stare quod fuit B. de Modano, quod Deodatus Lageti de me tenebat; et stare filiarum Petri Datberti; et stare quod Poncius Poma et ejus consanguinea de Deodato Lageto tenebant; et salam, et curtem, et medietatem camere staris quondam Deodati Lageti;

Et terciam partem prati et pascui Deodati Lageti; et campum de Cairone, et quicquid Deodatus Lageti habebat in terminio de Herma, vel aliquis pro eo; et vineam B. de Serinnaco, et usaticum quod pro ea faciebat Deodatus de Lageto; et totum honorem, quem R. de Mosano tenebat de Lageto Deodato; et campum quem tenet uxor B. de Grazillanicis subtus vineam B. de Serinnaco; et totum illud aliud quod Deodatus Lageti, vel alius per eum, de me tenuit; et totum illud quod R. de Ponte de me tenet; et totum hoc quod B. de Gabiano de me habet et tenet in terminio de Villa Paternica;

quicquid pater meus et antecessores mei habuerunt et tenuerunt in terminio de villa Paternica; et totum campum quem Petrus de Sancto Poncio et sorores ejus de me tenebant, qui campus tenetur cum prato domini episcopi; et medietatem illius patus qui est a praterio Gigani usque ad aream Aldiardis: et condaminam de Vinnal; et campum de prato, et ipsum pratum; et campum qui fuit Stephani Christofori; et medietatem nemoris et garrigue de Gigano; et totum illud quod B. de Puteo de me tenet; et totum illud quod P. de Bongiscle de me tenet; et unam peciam terre, quam Poncius Bidocius de me tenet; et quicquid habeo et teneo, vel aliquis per me, in burgata veteri; et campos qui tenentur cum ipsa burgata; et omnem honorem quem Petrus Raimundi de me tenet; et totum illud quod B. Seppa de me tenebat; et unam peciam terre quam Petrus Cabrerius de me tenet;

Et prohibicionem castri, scilicet VI modios vini vetitos (1) et cannas, et usatica omnia castellania, et totum illud quod habeo vel teneo ad Gellam in decimaria Sancti Genesii de Gigano, sicut dividitur cum decimaria Sancti Martini (2); et heremum quod tenetur cum terra P. de Bongiscle; et terram Johannis Cabrerii, quam tenet R. de Burgata; et medietatem staris quod fuit Br. Levanac; et augmentum quod est inter muros castri et stare Raimundi de Cornone, a stari G. Alamandi usque ad stare G. Bari; et campum Poncii Auriolis qui tenetur (3) cum via que discurrit a burgada veteri versus Sanctum Felicium (4), et a circio usque ad mansum de Teuleria; et II faissas, quas de me tenet Dominica Vitalis in decimaria Sancti Genesii; et illud quod Poncius Poma de me tenet in eadem parrochia;

Et pro toto isto feudo debeo esse homo vester, et facere servicium quando volueritis; et si quid amplius tenere vel

(1) Cart.: *vestitos*.
(2) Saint-Martin de Scatiac.
(3) Cart.: *tenet*.
(4) Saint-Félix de Montceau.

habere ad feudum de vobis imposterum michi dinosceretur, illud vobis manifestabo.

(Reg. F, fol. 92 r° et 230 v°).

CCLXXXIV. — Avril 1204

Aldiarde Raine fait reconnaissance à l'évêque de Maguelone pour tous les biens qu'elle possède à Gigean sous sa directe.

Anno Dominice Incarnacionis M° CC° IIII°, mense aprilis, ego Aldiarda Raina... recognosco quod habeo et teneo ad feudum, sive per feodum, a te domino Guillelmo de Autiniaco, Magalonensi episcopo, in castro de Gigano, totum unum estare cum suis pertinentiis, quod confrontatur a vento et a corina cum communi via, et a circio cum domo Ermessendis Pome (1), et cum domo filie ejus Raimunde; et unam domum, que (2) confrontatur a circio cum meo dicto estare, via in medio, et a corina cum domo Raymundi de Burgada, et a vento cum domo R. de Pontibus;

Et unum locale in mota castelli cum introitibus et exitibus, et cum suis omnibus pertinentiis, et que pertinere debent, quod confrontatur a circio et a corina cum estare Filipi de Veiruna, et ab aquilone cum locale R. de Cornone;

Et totum quantum habeo in bosco et in garrigas de Gigano, scilicet quartam partem;

Et unum campum cum suis pertinentiis, qui confrontatur a circio cum condamina Filipi, et ab aquilone cum campo Raimundi de Castriis;

Et totum quantum habeo in Geda et in ejus terminio;

Et totum quantum habeo in puteo castelli, scilicet quartam partem;

(1) Le Cartulaire porte : *Prome* ou *Provie*.
(2) Cart.: *qui*.

Et totam tascheriam (1), et usatica que in hominibus (2) de Gigano habeo; et totum quantum habeo in Cumba Faraudea.

Hec omnia et totum quantum habeo, vel habere debeo, vel aliquis (3) habet et tenet de me, in castro de Gigano, et in toto ejus terminio, videlicet domos, curtes, locales, casales, usatica (4), tascherias (5), campos, vineas, ortos, prata, aquas, riperias, boscos, arbores, garrigas, honorem cultum et incultum, et quicquid sit, scio et recognosco me habere et tenere ad feudum a te dicto domino Guillelmo, Magalonensi episcopo, et non scio quod amplius habeam de te ad feudum; et si de cetero scire potero, illud (6) tibi vel tuis successoribus ostendam per hec sancta IIII evangelia.

Testes sunt Bernardus de Treilla sacrista, Bertrandus de Roveria helemosinarius (7), Girbertus archipresbiter, Johannes de Montelauro canonici, Raimundus de Castriis, Guillelmus ejus filius, Petrus de Castriis, Filipus de Veiruna, Guillelmus de Corcone, Berengarius ejus frater, Raymundus de Corcone, Johannes Ogadezavus, Deo[datus] Datberti, et Guillelmus Martini notarius, qui hec scripsit, et Berengarius canonicus Nemausensis.

(Reg. C, fol. 223 r°).

CCLXXXV. — Août 1204

Bertrand de Lunel et ses frères vendent à Raimond VI, comte de Toulouse et de Melgueil, une maison située à Melgueil.

Anno Dominice Incarnationis M° II° IIII, mense augusti, ego Bertrandus de Lunello, pro me ipso, et ego Poncius de Lunello,

---

(1) Cart.: *tasclannam.*
(2) Cart.: *oibus* = *omnibus.*
(3) Cart.: *aliquid.*
(4) Cart.: *husatica.*
(5) Cart.: *tosclarias* ou *tasclarias.*
(6) Cart.: *ilud.*
(7) Cart.: *helemosianarius.*

pro fratre meo Raymundo Bernardi, et ego Bernardus de Lunello pro metipso, nos tres fratres insimul bona fide vendimus ... tibi domino R[aimundo], comiti Melgorii, filio quondam regine Constancie, et nomine tuo bajulis tuis Arnaldo de Pamiis et Guillelmo Sextairallerio... videlicet totum stare nostrum quod [est] in castello Melgorii, quod a te domino comite sub usatico IIorum militum albergi tenebamus, quod confrontatur a corina cum stari Bn. de Nemptis, a circio cum stari Poncii Bernardi, ab aquilone cum via publica, a vento cum stari tuo in quo turris est.

Pro hac autem vendicione... recepimus a te et bajulis tuis predictis DCCC solidos melgorienses, quorum penes te et bajulos tuos nichil ad solvendum remansit; et in hiis DCCC solidis renunciamus excepcioni peccunie non numerate; et tibi et bajulis tuis predictis per stipulationem promittimus, quod predictam vendicionem firmam teneamus, et contra nunquam veniamus; et renunciamus juri scripto et non scripto...; et si aliquod inde aliquando fuerit evictum, totum in integrum jure restituemus, et indempnes te et tuos servabimus.

Verumtamen si, nomine albergi IIorum militum predicti, usque ad diem presentem, a nobis et fratre nostro Raymundo Bernardo aliquid peti possit, illud totum nobis esse remissum ex pacto in hac vendicione apposito volumus.

Et hec omnia, in hoc instrumento prescripta, per Dei evangelia imperpetuum firmiter observabimus.

Et est sciendum quod ego Bn. de Lunello predictus, in predicto stari superius vendito, dimidiam habebam, et dimidiam dicti precii recepi; et ego Bertrandus quartam partem habebam, et quartam partem precii habui; et ego Poncius fateor et cognosco, quod R. Bertrandus, frater meus, habebat ibidem aliam partem; pro quo fratre meo dictam quartam tibi, domino comiti, et bajulis tuis predictis vendidi et tradidi, et quartam partem dicti precii recepi; et, sub predicto sacramento, tibi et bajulis tuis stipulantibus promitto, quod dictam venditionem et traditionem a fratre meo R. Bernardo faciam firmiter observari.

Testes sunt Berengarius de Castlario, R. Brunnus, Bt. Mau-

ricius, R. Malus ordei, Guiraldus Rainulfus, P. Drocus, Bn. de Castris sartor, Bn. Mercaderius, et P. Carbonellus notarius, qui hec scripsit, et mandato domini Guidonis Capitis Porci, cancellarii domini R[aimundi] comitis, bullam imposuit.

(Reg. F, fol. 23 v°).

CCLXXXVI. 1204

Pierre de Castries fait hommage à Guillaume d'Autignac pour le château de Gigean.

Anno Dominice Incarnationis M° CC° IIII, mense (1), ego Petrus de Castriis,... recognosco quod habeo et teneo ad feudum, sive per feudum, a te Guillelmo de Altiniaco (2), Magalonensi episcopo, totum quantum (3) habeo, teneo et possideo, vel aliquis (4) per me, in castro de Gigano, et in toto ejus terminio, scilicet: domos, curtes, casales, locales, campos, vineas, hortos (5), prata, pascua, quartos, usatica, honorem (6) cultum et incultum, et quicquid sit, excepto tamen honore quem habeo in terminio de Paterna, et una pecia terre in terminio de Malacorsa, que condam fuit Aldeberti de Castlar, et confrontatur ab aquilone cum via magalonesa, et a vento cum terra Vitalis; et una domo, que est infra Giganum, quam tenet de me Ermessenda Lajeta, et Rixenda ejus soror (7), et ego teneo eam de Filipo, que confrontatur ab aquilone et a vento cum meo stare, et a circio cum via (*cetera desiderantur*).

(Reg. C, fol. 223 r°).

(1) Le mois n'est pas indiqué.
(2) Cart.: *de Agantico*.
(3) Cart.: *quartum*.
(4) Cart.: *aliquid*.
(5) Cart.: *ertos*.
(6) Cart.: *honerem*.
(7) Cart.: *sorror*.

CCLXXXVII. 1204

Guillem de Cournon fait hommage à Guillaume d'Autignac pour la moitié du mas de la Teulière.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo quarto, mense (*un blanc*) ego, Guillelmus de Cornone, scio et in veritate cum hac carta recognosco, quod ego habeo et teneo ad feudum a te domino G[uillelmo] de Altiniaco, Magalonensi episcopo, medietatem mansi de Teuleria quam tenet Ermessens Poma de me; in qua medietate continentur quatuor pecie terrarum, quarum una jungitur cum camino Sancti Jacobi, a corina cum via qua itur ad boscum; altera pecia, que vocatur ad Balmam, confrontatur a circio cum valle Vazmeria et a corina cum honore P. de Castriis; tercia pecia, que dicitur ad Barreriam, confrontatur a circio cum carrairone et a corina cum honore Serigna; quarta pecia, a circio cum rivo de Livierezo et a corina cum honore B. Fabri; et in isto honore habeo quartum et albergum tribus militibus cum uno sextario ordei in secundo anno.

Et pro isto honore facere hominium unum tenemur ego et fratres meus Berengarius, qui habet aliam medietatem; et nescio quod plus ad feudum teneam a vobis; et si de cetero ad meam noticiam pervenerit amplius, de isto feudo illud vobis notificabo.

(Reg E, fol. 328 r°).

CCLXXXVIII. — 25 mars 1205

Raimond Aerra et R. de Melgueil font hommage à Raimond VI pour le château de la Roquette.

Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo quinto, mense marcii, VIII° kalendas aprilis, ego Raimundus Aerradus, filius quondam Stephane, et ego R. [de] Melgorio, filius quondam Bonafosse, nos duo per nos et per nostros heredes vel successores, nostrorum antecessorum vestigia imitantes, tibi,

domino R[aimundo], comiti Melgorii, filio regine Constancie stipulanti, fidelitatem et vitam et membrum de castello de Rocheta promittimus: et totum castellum de Rocheta a te habere et tenere cognoscimus, et ipsum castellum et omnes forcias et turres et municiones, nunc ibi factas vel imposterum facturas, per pacem et per guerram, quocienscumque volueris, tibi vel tuo nuncio seu bajulo statim reddemus, postquam a te vel a tuo nuncio fuerimus commoniti, et a commonicione tua vel tui nuncii non subtrahemus nos; nec aliquam fraudem vel machinacionem faciemus, quominus possimus commoneri; et aliquis homo vel femina, nostra arte vel nostro ingenio, dictum castellum, vel aliquid de dicto castello, tibi vel tuis, Melgorii dominis, subtrahet vel auferet, vel subtrahere vel auferre faciet; et si ab aliquo tibi vel tuis ibi fuerit aliquid ablatum vel defraudatum, non habebimus cum illo amorem vel societatem vel fidelitatem, nisi propter causam recuperandi castellum; et posquam illud recuperabimus, tibi vel tuis fideliter gratis reddemus ad tui tuorumque vel tui nuncii commonicionem; et, in hac fidelitate et promissione, volumus imperpetuum stare et permanere nos et nostros successores obligatos tibi et illi heredi tuo, vel successori, qui dominus vel domina castelli fuerit Melgorii; et non diximus vel fecimus, vel dicemus nec faciemus quominus hec omnia et singula predicta firmitatem habeant; et in aliquo predictorum te et tuos nunquam decipiemus, et renunciantes omni juri divino vel humano, scripto vel non scripto, quo contra hec aut horum quid, modo vel imperpetuum, juvari possemus. Hec omnia, sicut superius continetur, per hec Dei evangelia fideliter imperpetuum observabimus.

Testes hujus rei tocius sunt Poncius Bernardi, Melgorii bajulus, G. Raynaudus, G. de Altovilari, Petrus de Buxeriis, R. de Marginis, Petrus Seguerius de Moneta, Galdamarus de Olonzaco, Petrus Seguerius de Furno, Petrus Gaudalmarus, Guiraldus Petri, Poncius Blacheria, Petrus de Gordono, Arnaldus de Pamiis, Petrus de Montillis, Petrus Maurissonus, Petrus Onerius, B. de Castriis de Montepessulano, Guiraldus Augerius, Guiraldus Gralea, R. Sagnator, B. Mercaderius et Petrus

Carbonelli notarius qui hec scripsit, et mandato domini Guidonis Capitis Porci, judicis et cancellarii domini R[aimundi] comitis, bullam imposuit.

(Reg. E, fol 295 v°)

CCLXXXIX. 17 mai 1205

Différend entre Raimond de Caravetes d'une part, et Bernard Agullon et son frère d'autre part, au sujet du mas d'Aurelle, et sentence à ce sujet.

In nomine Domini. Anno ejusdem Incarnationis M° CC° V°. XVI° kalendas junii, controversia erat inter Raimundum de Caravetas ex una parte, et Bernardum Agullonem et fratrem ejus Raimundum (1), ex altera.

Dicebat namque dictus Raimundus de Caravetas se quasi possidere jus percipiendi octavum (2) panis et vini in qualibet parte mansi de Aurella, ubicumque vinee propagantur, vel aliqua pars ejus excolitur, allegans patrem suum longissimis (3) retro temporibus dictum octavum percepisse. Similiter se ipsum in toto manso, ut predictum est, post mortem patris sui, idem octavum percepisse : unde proponens utilem actionem in factum ex antedicto, uti possidentis (4), petebat non inquietari in quasi possessione supradicti juris a prenominatis (5) fratribus, scilicet B[ernardo] et R[aimundo].

Hiis omnibus respondentes prenominati fratres, contra hujusmodi affirmationes (6) [dicebant] patrem R. de Caravetas nunquam octavum in predicto manso percepisse, nec ipsum Raimundum et suos (7) in eodem manso nichil possidere, sed predia mansi se [in] accapite dedisse.

---

(1) Cart.: *Bernardum*. Nous corrigeons d'après ce même acte. Voir ci-après.

(2) Cart.: *cotavum*.

(3) Cart.: *longicimis*.

(4) Cart.: *possidetis*.

(5) Cart.: *prenominatus*.

(6) Cart.: *infirmationes*.

(7) Cart.: *se*.

Visis et auditis confessionibus utriusque partis et testibus a Raimundo de Caravetas productis, necnon allegationibus (1) utriusque partis, sacramento etiam de calumpnia ab utraque parte prestito (2), et facta renunciatione juris et facti, habita magna deliberatione, dominus Guido Capitis Porci (3), judex et cancellarius domini Raimūndi, comitis Tholose et Melgorii, assidente sibi Carbonello Orgerio, subajulo ejusdem domini R[aimundi] comitis, delato juramento R. de Caravetas et prestito (4) scilicet quod et pater suus octavum panis et vini in eodem manso [acceperat] sepius, pronunciavit ne dicti fratres, scilicet B. et R., inpedirent Raimundum de Caravetas in quasi possessione jus percipiendi octavum predicti mansi, et eosdem fratres condempnavit ne eundem Raimundum de Caravetas inquietarent (5) in quasi possessione juris prenominati.

Data est hec sentencia in curia domini comitis apud Montempessulanum, in domo Hugonis de Sancto Johanne, anno et die quo supra, in presencia et testimonio Ricardi Sennoreti, fratris Milicie, et Petri de Carbesprati preceptoris Milicie, Guillelmi de Cornone, Berengarii de Omellacio, Berengarii Lamberti, Guillelmi de Mazana causidicorum, Lumbardi, Ricardi de Furno, R. [de] Pamiis, Berengarii de Cantalupis, Bremundi de Valeta, Berengarii de Ficulneis, Ricardi Dalmacii militum, Guillelmi Ricardi, Guillelmi de Doprac, Guillelmi Sebenc de Podio Abone, et Gontarii (6) Berengarii, domini R[aimundi] comitis Tholose et Melgorii notarii, qui hanc cartam, mandato prenominati domini Guidonis, scripsit.

(Reg. C, fol. 81 v°).

(1) Cart.: *allequationibus.*

(2) Cart.: *pretisto.*

(3) Cart.: *Carporci.* C'est Gui Chef de Porc que nous retrouverons souvent dans le cours de ce Fascicule et du suivant.

(4) Cart.: *pretisto.*

(5) Cart.: *inquietatem.*

(6) Cart.: *Ontarii.*

CCXC. — 21 juillet 1205

Brès Gavaldan vend à Raimond Benoît la moitié par indivis des moulins de Tortorel.

In nomine Domini. Anno Incarnationis ejusdem millesimo ducentesimo quinto, duodecimo kalendas augusti, ego Briccius Gavaldanus per me... nullo etiam interveniente inde presens venditio, ratione minoris etatis, vel occasione minoris precii vel alia qualibet de causa, in solidum vel pro parte, infringi vel violari possit, vendo et pro libero et absoluto alodio in perpetuum trado, et titulo perfecte venditionis concedo tibi Raimundo Benedicto et tuis, et quibus volueritis vel dimiseritis, ad omnes voluntates vestras et vestrorum (1) plenarie faciendas sine omni inquietudine et appellatione, videlicet totam illam medietatem meam pro indiviso, quam ego habebam et habere debebam in illis duobus molendinis de Tortorel, cum domo et loco in quo sunt, cum turre et forciis et munitionibus et cum vercheriis, paxeriis, aquis, aqualibus, aquarum decursibus, viis, introitibus, et exitibus et cum omnibus ad ipsos molendinos pertinentibus, et que pertinere possunt vel debent : qui ambo molendini sunt infra unum tectum in flumine Amantionis : et medietatem unius orti, cum terra in qua est, et cum arboribus et suis omnibus pertinenciis, qui tenetur ab aquilone cum condamina Guillelmi Maltos, vallato ipsius orti in medio, et a circio cum prato subscripto, aqua in medio que venit de Veiruna, et a corina cum via que (2) intrat ad istos molendinos, et a vento cum aquali qui (3) est super istos molendinos ; et medietatem pro indiviso unius condamine cum suis omnibus pertinenciis, que (4) terminatur ab aquilone cum sobroverso aque que exit (5) de vercareta, et cum terra Stephani de Monte-

(1) Cart.: *vestrarum*.
(2) Cart.: *qui*.
(3) Cart.: *quid*.
(4) Cart.: *qui*.
(5) Cart.: *excit*.

rotundo, ipsa aqua discurrente in medio; a vento cum flumine Amantionis, et cum heremo (1) Ademari de Monte Arnaldo, et a circio cum aquali descendente de molendinis de Tortorel, et a corina cum terra Bertrandi de Montelauro; et medietatem pro indiviso duarum insularum cum suis omnibus pertinenciis: quarum una est inter ambas aquales descendentes (2) ab ipsis molendinis de Tortorel, sicut (3) tota insula extenditur; alia insula tenetur a vento cum eadem jam dicta insula, aquali in medio, et ab aquilone (4) cum via que venit de Veyruna ad ipsos molendinos, et a circio cum pastoralibus subscriptis (5) riali aque in medio que venit de Veyruna; et medietatem pro indiviso unius prati cum pastoralibus et suis omnibus pertinenciis, et confrontatur a circio cum prato P. de Ponz, et ab aquilone cum prato Guillelmi Maltos, aqua discurrente in medio que venit de Veiruna, et a corina cum terra Dalbie vallato in medio, et a circio cum prato Raimundi Aerradi.

Hec omnia pro indiviso, sicut (6) predictum est, vobis vendo imperpetuum pro libero alodio, sciens et cognoscens quod tu ipse R. Benedicti, in predictis honoribus omnibus et singulis, alteram habes pro indiviso medietatem.

Propter hanc autem venditionem et contradicionem jamdictam firmam et in perpetuum stabilem, tu, Raimundus Benedicti, dedisti michi Briccio, nomine pretii, tria milia et quingentos solidos melgorienses in hunc modum: videlicet nonaginta libras, quas tu ipse R. Benedicti in isto honore habebas pro pignore olim a me ipso tibi desuper cum carta laudatas, et quindecim libras quas nomine Deodati filii mei tibi debebam; et decem libras quas tibi ipsi debebam pro placito R. de Melgorio et pro expensis (7) litis. Residuas vero sexaginta libras michi ipsi Bricio modo de presenti solvisti et

---

(1) Cart.: *herimo.*
(2) Cart.: *decendentes.*
(3) Cart.: *sicus.*
(4) Cart.: *aquali.*
(5) Cart.: *subcriptis.*
(6) Cart.: *sicus.*
(7) Cart.: *expencis.*

numerasti : et ita sunt ad plenum michi a vobis complete supradicte centum septuaginta et quinque libre melgorienses, ita quod nichil (1) remansit (2) in debitum, et in omnibus ex certa scientia exceptioni non soluti precii et non numerate pecunie per me et per meos in perpetuum renuncio ; et si plus valet hoc pretio vel valebit, illud totum bono animo et ex certa scientia et de mera liberalitate vobis et vestris in perpetuum dono ; et me de toto devestio, et vos investio ; et in vestram et vestrorum possessionem et dominium corporaliter transfero et inmitto ; et vestra propria auctoritate vos, et molendinorum et omnium supradictorum possessionem ingredi et adipisci (3) volo ; firmiter [promittens] per stipulationem quod hanc pro indiviso (4) medietatem molendinorum et omnium suprascriptorum faciam vos et omnes heredes et successores vestros semper habere et tenere quiete, pro libero (5) [et] absoluto alodio, et ab omni contradicente homine et femina jure semper defendam.

Si vero aliquid in tota hac medietate, vel in aliqua parte ejus a vobis vel vestris evictum [fuerit], illud totum vobis et vestris jure semper in integrum restituam (6), et dono vobis et vestris inde regressum generaliter in omnibus rebus meis, mobilibus et immobilibus, ubicumque sint et quocumque sint vel fuerint.

Item facta a me renunciacione omnis juris scripti et non scripti, divini et humani, et cujuslibet legis seu restitutionis beneficii, quo his omnibus, que superius scripta sunt vel aliquibus (7) eorum obviare possem, promitto vobis firmiter per stipulationem nichil a me vel ab alio dictum factumve fuisse in preterito (8), sed neque dici vel fieri in futuro quominus hec venditio firmiter perpetuo maneat.

---

(1) Cart.: *m* surmonté d'un *i* = *michi*.
(2) Cart.: *remancit*.
(3) Cart.: *adipici*.
(4) Cart.: *indivisso*.
(5) Cart.: *liberos*.
(6) Cart.: *restitui*
(7) Cart.: *alique*.
(8) Cart.: *peterito*.

Hec omnia et singula supradicta firmiter me observaturum, nec in posterum revocaturum juro vobis corporaliter super hec sancta IIII^or Dei evangelia.

Et ego Ermengarda, uxor dicti Briccii Gavaldani, hanc totam venditionem molendinorum et tocius dicti honoris laudo, aprobo et in perpetuum confirmo tibi Raimundo Benedicti, et tuis sine omni dolo, et etiam firmiter me observaturam et contra non venturam plevo vobis per fidem meam, sub eadem fide renuncians expresse et ex certa sciencia juri hypothecarum (1), et omnibus aliis auxiliis in jure vel extra jus michi competentibus (2) et competituris, quibus me tueri possem vel intra venire.

Horum omnium testes sunt Raimundus de Cahorz, Stephanus de Concas, Raimundus Bocados, Arnaldus de Baldaco, Guillelmus de Adillano, Guido Logonnone et Guillelmus Raimundi qui hec scripsit.

(Reg. C, fol. 174 r°).

CCXCI. — 31 janvier 1205 (n. s. 1206).

Guillaume d'Autignac rachète la moitié de la viguerie de Montpellier.

Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo quinto, kalendis februarii, ego Bernardus Petri de Monteolivo, filius quondam Ricarde et Guillelmi de Monteolivo, per me et successores meos, bona fide et sine dolo, cum hac carta vendo, et absque ulla retentione imperpetuum trado et concedo tibi G[uillelmo] de Aitiniaco, Magalonensi episcopo, et omnibus successoribus tuis, ad omnes voluntates vestras et vestrorum plenarie faciendas, sine omni mea et meorum inquietudine et appellatione, videlicet medietatem totius vicarie, quam ego

---

(1) Cart.: *juri et potecarum.*
(2) Cart.: *apetentibus.*

habebam et percipiebam in curia vestra Montispessulani, scilicet in justiciis et laudimiis, et medietatem omnium cuparum et omnium obvencionum totius sestairalis et sestairalitis, quam percipiebam extra muros veteres Montispessulani et in villa Montispessulaneti, et generaliter totum hoc quicquid sit vel esse potest, quod ego habebam et habere debebam, vel ad me pertinebat in toto honore episcopali qui est in villa Montispessulani et in toto ejus terminio, sicut unquam ego vel frater meus G. de Monteolivo, et mater mea predicta vel aliquis per nos, melius ullo tempore habuimus et percepimus; que omnia a vobis habebam et tenebam ad feodum.

Dono eciam et cedo et concedo vobis et successoribus vestris omnia jura, omnes actiones et peticiones, reales et personales et mixtas, nomine dicti feodi michi competentes quocumque modo, et me inde devestio et vos investio, et vos in rem vestram procuratorem facio.

Propter hanc autem vendicionem... dedisti michi, nomine precii, quingentos solidos Melgorienses, quos omnes bene a vobis habui et recepi, et in quibus omnibus expressim et ex certa scientia renuncio excepcioni non soluti precii... et si plus valet... illud totum vobis donamus... promittens vobis firmiter per stipulationem, quod hunc honorem et hec omnia generaliter universa et singula, quecumque habebam in toto honore episcopali, qui est in villa Montispessulani et in villa Montispessulaneti, et in eorum terminiis, que omnia in hac vendicione expressim contineri volo, faciam vos et omnes successores vestros semper habere et tenere quiete, et ab omni contradicente homine et femina jure semper deffendam; et pro evictione dono vobis... regressum generaliter in omnibus rebus meis... Item promitto et convenio vobis... quod contra hanc venditionem... nullo modo veniam... Sic Deus me adjuvet et hec sancta quatuor Dei evangelia

Testes sunt Petrus de Lunello archidiaconus, Bertrandus de Roveria archipresbiter, B. de Mesoa, sacrista Magalonensis, Willelmus Martini, canonicus, P. Luciani, G. de Rabastenes, causidicus, R. Niger, Bitterensis archidiaconus, P. Lombardi, Bernardus Ysarnus, P. de Sancto Johanne, Guiraldus Cocon,

P. Gros, Arnaldus de Paleata et Guillelmus Raimundi notarius, qui mandatus hec scripsit.

Et ego Calva, uxor dicti B. Petri de Monteolivo, hanc vendicionem laudo et confirmo imperpetuum tibi P. Luciano, procuratori speciali constituto domini G[uillelmi] de Altiniaco, Magalonensis episcopi, nomine ipsius; et juro corporaliter super hec sancta Dei evangelia, quod contra hec vel aliquid horum, nullo jure vel ratione veniam ; in eodem juramento ex certa scientia renuncians legi ypothecarum et beneficio minoris etatis et omnibus aliis auxiliis.

De Calva, quando hec laudavit et juravit anno Dominice Incarnationis M° CC° VI°, fuerunt testes R. de Perols de Latis, P. de Vallato, Petrus de Pallars, G. de Ferreiras, R. Bertulphi, et Guillelmus Raimundi notarius, qui hec omnia scripsit.

(Reg. E, fol. 143 r° ; édité par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 210).

CCXCII. — 27 octobre 1206

Traité de paix entre les habitants de Montpellier et Pierre d'Aragon.

Ex (1) antiquis predecessorum nostrorum exemplis... presentis pagine testimonio declaretur, quod ego Guillelmus, Dei gratia Magalonensis episcopus, super controversiis, guerris et dissentionibus (2) que inter dominum P[etrum], regem Aragonum, comitem Barchinone, et dominum Montispessulani, ex altera, vertebantur, quoniam utraque pars, in manu nostra datis fidejussoribus et hostaticis, et etiam pignoribus traditis, cognitioni nostre, interpositis juramentis, stare promiserat, adhibitis nobiscum venerabilibus fratribus nostris videlicet : domino M., Arelatensi archiepiscopo, et domino G., Nemausensi, domino P., Lodovensi, domino Er., Bitterrensi

(1) Cart.: *Et.*
(2) Cart.: *discentionibus.*

episcopis, et fratre P. de Castronovo, Apostolice Sedis legato, cum consilio et deliberatione ipsorum, a nobis ad hoc vocatorum, et etiam aliorum multorum religiosorum virorum et sapientum, videlicet P., Sancti Guillelmi, [P.], Vallismagne, B., Sancti Fradilli (1) abbatum, B., Magalonensis prepositi, P., ejusdem Ecclesie archidiaconi, S., Arelatensis decani, B. sacriste Magalonensis, G. de Bojano, precentoris Ecclesie Biterrensis, P. [de] Leone, P. de Montelauro, P. de Claromonte, D. [de] Almerado, G. [de] Ricordo, B. [de] Ferreolo, J. de Agrifolio causidicorum, B. de Lignano, Bar. et quibusdam aliis, nolentes singulis capitulis seu questionibus que proponebantur hinc inde per juris apices diutius (2) immorari, sed paci et quieti terre pocius et utilitati parcium providere fideliter cupientes, ipsam controversiam, bona fide, taliter duximus terminandam.

In primis siquidem domino regi memorato mandamus, ut, per se et per dominam reginam, [et] per omnes proceres, coadjutores, amicos et homines suos, reducat in amorem, fiduciam et securitatem suam, homines Montispessulani, universos videlicet et singulos ; et omnem injuriam, rancorem et indignationem eisdem remittat ; et si eum, vel dominam reginam, vel aliquem de amicis suis seu coadjutoribus, occasione guerre, in aliquo offenderunt, totum pro se, et pro domina regina, et pro omnibus amicis indulgeat et remittat.

Item volumus et mandamus (3), ut homines Montispessulani, eodem modo, reducant in amorem dominum regem, utpote suum dominum, et omnes homines et coadjutores ejus (4), et specialiter homines de Latis universos et singulos,

---

(1) Cart.: *Freditii*. Identifions ces personnages : Michel de Mourèze, archevèque d'Arles ; Guillaume de Languissel, évèque de Nimes, qu'on a voulu faire, à tort, archidiacre de Maguelone ; Pierre Frotier, de Lodève ; Ermengaud, de Béziers ; Pierre, abbé de Gellone ; Pierre, abbé de Valmagne ; et Vidal, abbé de Saint Antonin.

(2) Cart.: *diu eis*.

(3) Cart.: *laudamus*.

(4) Cart.: *eorum*.

remittendo eis omnem injuriam, et rancorem, et dampna data ab eis, occasione guerre, usque in hodiernum diem, salvis tamen omnibus que inferius continentur.

Illud eciam communi deliberatione duximus statuendum, ut nullus ab utraque [parte], pro aliquo facto vel dampno dato, occasione hujus guerre, non infamie, vel infidelitatis, seu et cujuslibet tractatus publici vel privati reus aliquatenus habeatur.

Verum, quoniam multa dampna propter guerram istam partibus acciderunt, et non posset vera pax fieri, nisi aliquo modo fieret restitutio de ablatis, decernimus et mandamus quod pignora LXXV milium solidorum super castro de Latis, et aliorum creditorum, quibus antea redditus castri de Latis a domino rege fuerant obligati, et similiter sequens pignus C milium solidorum, pro [quibus] castrum et redditus Montispessulani, et jamdictum castrum de Latis, et cetera omnia, sicud in instrumentis pignorum continetur, que universitati Montispessulani obligata esse noscuntur, tam in tempore (1) quam in aliis pactionibus ibidem appositis, in sua permaneant firmitate.

De rebus autem ablatis hominibus Montispessulani a domino rege vel a suis, in castro seu villa de Latis, in Catalonia, seu etiam alibi, in mari vel in stagno, taliter decernimus faciendum, ut, facta taxatione cum juramento, ad nostram cognitionem ab eisdem hominibus prefatis, qui eas perdidisse noscuntur, singulorum summe taliter declarate a nobis redigantur in scriptis, et, sigillo nostro apposito, eidem scripture fides plenior habeatur; et ita, sub eisdem pignoribus, teneri precipimus universa, et eisdem hominibus, quorum fuerant hec, hordinate restituantur, ut inde, prioribus debitis plenius persolutis, pro predictis ablatis omnia pignora usque ad prefatam solutionem penes (2) ipsos maneant obligata. Verumtamen, si que de hiis, que homines memorati perdidisse

---

(1) Cart.: *tempora*.
(2) Cart.: *pecies*.

noscuntur in partibus istis, vel alibi ...rentur ex... (1); sed que non sunt consumpta, neque destructa, dominus rex universa, sine diminucione, supradictis hominibus restituere teneatur.

Dominus vero rex et regina, quandocumque voluerint, predicta pignora redimere possint; elapso tamen prius tempore prefixo ad redimendum pignus C milium solidorum.

Persone quoque hinc inde solute, seu manulevate, sine aliqua expensarum retentione, penitus liberentur.

Illas autem personas, que capte vel adducte fuerunt in terram R. de Sobrano, quia in ejus ducatu et securitate pergebant, dominus rex omnimodo liberabit : res vero illorum et redemptiones eorum, qui se redemisse noscuntur, pro posse suo restitui faciet bona fide.

Item, pro utilitate utriusque partis, illud cognovimus admittendum, ut, de redditibus pignorum predictorum, homines Montispessulani, quando voluerimus, et visum nobis fuerit expedire, coram nobis computationem facient, ut eosdem redditus securius valeant percipere sine suspicione qualibet usque ad solutionem perfectam omnium debitorum, et ut dominus rex et domina regina nichil de ipsis, nisi bonam fidem, in hoc pignore possint vel debeant suspicari.

Pro eadem suspicacione tollenda, et ut utrique parti jus suum plenius conservetur, ne forte, quod Deus avertat, simile contingat vel deterius, quod jam dinoscitur contigisse, nos ad honorem et utilitatem domini regis et domine regine, et hominum Montispessulani, castrum et villam de Latis, castrum de Omelatio, munitiones, et villas, et omnia alia castra extra villam Montispessulani posita, ad jus predictorum pignorum pertinentia, durante pignore, bona fide tenebimus, custodiemus, et faciemus, dante Domino, fideliter custodiri : ita tamen quod, de redditibus pignorum predictorum, in custodiendis et retinendis, muniendis et defendendis castris et villis expensas faciemus, scilicet que nobis visum fuerit expedire.

---

(1) Une tache d'humidité ne nous a permis de lire que les lettres placées entre les points de suspension ; longueur : 3 centimètres.

Residuum vero memoratis probis hominibus, quibus ipsa castra, et eorum redditus obligati esse noscuntur, bona fide restituemus. Et si forte de obventionibus uniuscujusque castri expensas ejusdem facere non possemus, liceat hoc de redditibus aliorum suppleri.

Sciendum quoque est quod, solutis pignoribus, predicta castra domino regi et domine regine fideliter restituemus, constante tunc inter eos matrimonio. Soluto vero matrimonio, de jure vel de facto, soli regine superstiti predicta castra nos promittimus reddituri (1). Si autem domina regina superstes non esset, reddemus illi, vel illis, ad quem de jure, vel ad quos, dicta omnia pertinebunt.

Preterea volumus et mandamus, ut homines Montispessulani et homines de Latis, et [de] aliis omnibus castris, mandato domini regis, jurent nobis ut nullam violenciam, nullam machinationem, per se vel per alios homines moliantur, quominus ipsa castra pacifice teneamus, usque ad tempus solutionis explete, nisi forte dominus et homines Montispessulani inter se interim convenirent, ut custodiam predictorum castrorum persone alteri commendarent: et si aliquis in predictis castris nobis inferret violenciam aliquam, vel gravamen, tam dominus rex, quam homines Montispessulani, et aliorum castrorum, consilium et auxilium nobis, pro posse suo, prestare fideliter teneantur. Quod si forte, quod Deus avertat, aliquid predictorum castrorum nobis esset furtum, seu violenter ablatum, nos vel Ecclesiam Magalonensem decernimus non teneri, nisi tantum ad hoc quod, ad recuperandum ipsum castrum sollicitudinem nostram impendemus.

Sciendum vero est, quod, ab hac compositione presenti, specialiter excipimus credita et debita universa, in instrumentis predictorum pignorum non expressa, que tam ipse

(1) Pour comprendre la portée de cet article, publié pour la première fois, se rapporter à notre étude sur *Marie de Montpellier*, parue dans la *Semaine religieuse du diocèse*. Il explique pourquoi Marie, qui a refusé de signer l'emprunt des 100.000 sols, consentira à approuver ce traité de paix. Ne pas oublier aussi que, en 1206, Pierre a déjà demandé le divorce.

quam pater suus, et domina regina vel pater ipsius, in villa Montispessulani debebant.

Pro destructione autem castri Montispessulani, et vallorum emendatione, domino regi et regine, vel alteri eorum, XL milium solidorum infra mensem, postquam domina regina hoc et aliud instrumentum predictorum C milium solidorum cum juramento laudaverit, et sigillo suo muniri fecerit, sine cujuslibet debiti compensatione precipimus emendari, ita quod nichil amplius ab hominibus Montispessulani, vel eorum coadjutoribus, ullo unquam tempore, preter hoc exigi valeat. Nec pro facto illo, aut alio, quolibet tempore guerre facte, aliquis de universitate Montispessulani, a domino [rege, vel] regina, vel alio quolibet homine in jus possit vocari.

De aliis quoque dampnis datis, et injuriis hinc inde occasione guerre factis, pax et finis ab utraque parte perpetuus habeatur.

Ad hoc autem, ad majorem predictorum omnium observationis fiduciam obtinendam, decernimus, quod si dominus rex vel regina, seu aliquis mandato eorum, occideret aliquem hominem vel feminam de universitate Montispessulani, seu (1) violenciam inferret (2) predictis pignoribus [et] detemptoribus eorundem, vel litem aliquam moveret occasione predictarum guerrarum contra universitatem, vel singulos, seu etiam dampnificaret eos ultra summam C marcharum argenti, et commoniti a nobis dampnum minime restaurarent, infra tres menses, post commonitionem nostram, vel etiam infra tempus necessarium (3) ad nostram cognitionem, pro locorum distancia, prefigendum, nos ab eodem tempore, bona fide, universa castra que in obligatione pignorum continentur, hominibus Montispessulani restituere teneamur, deductis tamen prius expensis, quas in ipsis castris custodiendis nos fecisse constaret, de quibus sacramento bajulorum nostrorum tantum, vel nobis verbis simplicibus crederetur.

---

(1) Mot taché par l'humidité (fol. 309, 1re ligne) et par conséquent douteux.

(2) Cart.: *inferri.*

(3) Cart.: *tempus* (blanc 1 cent.) *arrius.*

Huic insuper cognitioni decernimus adnectendum, ut juramentum juratorum, quod dominus rex et regina hominibus Montispessulani, et eorum universitati, per quinquennium concessisse noscuntur, per aliud quinquennium extendatur, a fine ipsius quinquennii numerandum.

Ceterum, si, infra pretaxatam summam, rex vel regina eosdem homines dampnificaverant, habebunt tantum regressum ad eos qui hoc fecerunt, nisi ad nos, ut eis propter hoc predicta castra reddamus, sed salva sint semper omnia instrumenta eorum, et pacciones que continentur in eis.

Preterea si quid dubietatis, ex verbis presentis compositionis, vel nomine questionis, forsitan ortum fuerit in futurum, totum nostre cognitioni diffiniendum et interpretandum plenius reservamus.

Et quoniam dominus rex, super sacramento quod fecit contra exules Montispessulani, a nobis absolutionem postulat indigeri, quia non est tutum nobis concedere alicui ut contra suum veniat sacramentum, consilium nostrum est, quatenus super isto capitulo dominum Papam consulamus, et quod ipse nobis inde preceperit, faciamus.

Adhuc et illud decernimus adjungendum, ut dominus rex, viva voce, et per litteras suas, precipiat universis feudalibus suis, ad jus domini Montispessulani pertinentibus, ut jurent nobis ut quamdiu pignus duraverit, nobis fidelitatem integerrime servent.

Et sciendum est, quod quedam adhuc secreta precepta, utrique parti facienda, sub eadem districcione qua omnia predicta teneri volumus, presentialiter subticemus.

Preterea ad majorem et habundantiorem cautelam, in observatione predictorum omnium et subsequencium adhibendam, ego G[uillelmus], Magalonensis episcopus, et nos omnes, qui presentis compositionis auctores fuimus, videlicet ego M., Arelatensis archiepiscopus, et ego G., Nemausensis episcopus, et ego P., Lodovensis episcopus, et ego E., Biterrensis episcopus, et ego frater P., Apostolice Sedis legatus, auctoritate Dei omnipotentis, Patris, et Filii et Spiritus Sancti, et gloriose Virginis Marie, et beatorum apostolorum P[etri] et P[auli], et

omnium fidelium Dei, et auctoritate domini Pape, excommunicamus et maledicimus (1) omnes homines qui contra presentem compositionem, in parte, vel in toto, venire templaverint, et omnes consiliarios, coadjutores, et fautores eorum, necnon terras eorum usque ad dignam satisfactionem supponimus interdicto; et insuper ut hec omnia, futuris temporibus, ab utraque parte firmiter observetur, volumus et mandamus, ut tam dominus rex cum quibusdam suis de universitate Montispessulani jurent, per se et per alios, presentem compositionem semper in omnibus observare.

Et ego P[etrus], Dei gratia rex Aragonum, comes Barchinone, dominus Montispessulani, hec omnia me bona fide observaturum, et in nullo modo contra venturum, per hec sancta Dei evangelia, jurejurando promicto.

Et ego P. Lobeti, procurator in causa ista constitutus a XII probis hominibus consiliariis communitatis Montispessulani et ab omni populo ejusdem loci, eamdem compositionem, sicud continetur in instrumento presenti, per nos et per omnes alios de universitate jam dicta, eodem modo jurejurando, promitto. Et ego [R.] Bonifacii (2) jurejurando promitto. J. Luciani jurejurando promitto. P. Deodatus jurejurando promitto. J. Andreas promitto. P. de Bisanchis jurejurando promitto. G. Rassellus jurejurando promitto. P. Lucianus jurejurando promitto. S. Johannini jurejurando promitto. J. de Rabe (*blanc 1 cent.*) jurejurando promitto. G. Capitis Porci jurejurando promitto. J. de Latis jurejurando promitto.

Acta fuerunt hoc in palacio nostro apud Villamnovam, anno Dominice Incarnationis M° II^{c} VI°, mense octobris, VI kalendas novembris, in presencia predictorum virorum omnium, et istorum subsequentium: episcopi Arelathensis, episcopi (*tache d'humidité, illisible*), abbatis Ps[almo[diensis], abbatis Lodovensis (3), B. sacriste, R. archidiaconi Nemausensis et B. de

---

(1) Cart.: *maledicamus*.

(2) Rodols Boniface, P. Daudé, J. Andrieu étaient consuls en cette année. G. Rassellus ou Roscellus l'avait été en 1205.

(3) Cart.: *Lodaun*, surmonté d'un trait. = Saint-Sauveur de Lodève.

Anaia, archidiaconi Nemausensis. B. de Montealto. G. (*blanc 3 cent.*). G. de (*sic*).

(Reg. D, fol. 308 r°).

C'est la première fois, croyons-nous, que cet acte est publié dans son intégralité. Cependant d'Aigrefeuille (*Hist. de Montpellier*, 1737, t. I, p. 61) en avait donné un excellent résumé, bien plus complet que celui de dom Vaissete. On pourra, d'ailleurs, comparer notre texte avec celui du savant bénédictin (*Hist. gén. de Languedoc*, t. VIII, col. 534).

CCXCIII. — 10 août 1207

Testament de Hugues de Saint-Jean.

In nomine Domini. Anno ab Incarnacione ejusdem millesimo ducentesimo septimo, quarto idus augusti, ego Ugo de Sancto Johanne, in infirmitate positus, mente tamen sanus, volens ordinare omnia bona mea [et] jura, facio testamentum meum, seu aliam voluntatem meam ultimam.

In primis, relinquo corpus meum, pro sepultura, in cimiterio canonicorum Magalonensium, ut ibi sepeliar cum patre meo; et dimitto eidem Ecclesie lectum meum, pannis munitum; mense dominorum predictorum XX solidos; ecclesie Sancti Petri de Montearbedone XX solidos; ecclesie Sancte Marie Castri Novi X solidos; domui Militie site apud Montempessulanum X solidos et arma mea; domui Hospitalis Jherusalem de Montepessulano unam petiolam terre, in qua potest seminari tantum unum cartale bladi, et quam quidam Molinerius petebat a me.

Petro Dalmacio relinquo sexcentos (1) solidos, quos michi debet Ronsselinus, dominus Marselie, pro equo dicti Petri Dalmatii; et jus et actionem, que michi competit contra dic-

---

(1) Cart.: *sexcentes*.

tum Ronsselinum pro predictis DC solidis, eidem Petro Dalmatio lego et cedo.

Et volo quod Rigauda, nutrix mea, habeat victum et vestitum sufficientes in omni vita sua de bonis meis, si venerit, et in domo heredum meorum stare voluerit.

Et volo et rogo quod malefacta et injurie mee, a me facta, emendentur et restituantur de bonis meis, scilicet : XII libre regalium reddantur, quos habui de captione ovium et bovum castri de Boc, quando rex equitavit contra Marssiliam ; et VI libre cuidam sacerdoti castri de Cornone Terrallo ; de castro Florenchiaci habui V solidos ; de castro Sancti Petri de Amigdalariis XV solidos ; de hominibus castri de Giniaco L solidos ex una parte, et ex altera parte, de captione ovium et bovum ejusdem castri, XX solidos ; de castro Montislauri X solidos. Ista omnia ablata reddantur de bonis meis.

Guarssende, filie mee, dimitto jure institucionis MMM solidos, et quod dentur ei cum viro nupserit ; et eidem relinquo vestimenta nuptialia ; et pro hiis volo eam esse contentam omnibus bonis meis.

Fredolo et Bertrando, filiis meis, relinquo unicuique jure institucionis CC solidos ; et volo et rogo quod ipsi canonici vel monachi [sint], vel intrent aliam religionem.

Bellissende et Burgondie, filiabus meis, relinquo unicuique jure institutionis CC solidos ; et volo et rogo eas quod sint sanctimoniales.

Volo preterea quod infans, vel infantes, de quibus uxor mea Sibilia pregnans est, si femine sint, fiant sanctimoniales ; si masculi, canonici vel monachi, vel intrent aliam religionem ; et relinquo jure institutionis illi, vel illis, si plures fuerunt, unicuique CC solidos.

Guadiatoribus tamen meis infrascriptis dono et concedo plenam potestatem quod supradictis infantibus meis, quos intrare religionem volo, possint, pro voluntate sua, secundum quod eis visum fuerit, augere legatum CC solidorum de bonis meis quod unicuique feci, si in religione intrent ; sin autem supradicti infantes mei religionem intrare noluerint, nichil ultra legatum CC solidorum de bonis meis unusquisque habeat;

sed volo unumquemque (1) eorum predicto legato CC solidorum esse contentum.

Sibilie uxori mee reddantur MMM solidi melgorienses de bonis meis, quos in dotem, tempore matrimonii, cum ea accepi, et quos sibi laudavi super medietatem bonorum meorum. Preterea relinquo ei totum honorem quem habeo in castro Melgorii, tantum in vita sua ; solutis vero ei predictis tribus milibus solidis dotis sue, volo quod solvat omnia bona mea heredibus meis infrascriptis, excepto honore castri Melgorii, quem teneat tantum in vita sua, ut supradictum est.

Omnia alia bona mea, mobilia et immobila, et jura quecumque sint, relinquo Ugoni de Sancto Johanne et Guillelmo Rostagno, filiis meis, equaliter, et in omnibus bonis meis heredes instituo. Et si alter istorum heredum meorum sine legitimo herede decesserit, volo quod bona ejus ad Fredolum filium meum revertantur, si nondum in religionem vel in monasterium intraverit ; si autem in monasterium vel in religionem missus fuerit, revertantur ad Bertrandum filium meum, si nondum sit canonicus, vel monachus, vel in alia religione : si autem fuerint in religione, ad superstitem alium filium meum.

Si vero uterque filiorum meorum, quos heredes institui, scilicet Ugo de Sancto Johanne et Guillelmus Rostagnus, sine legitimo herede decesserint, bona eorum equaliter revertantur ad alios filios meos, si tunc non fuerint in religionem missi ; et si instituti heredes mei et alii sine infante legitimo decesserint, bona mea omnia revertantur ad Raymundum de Salviniaco, consobrinum meum, vel ad filium ejus legitimum : sin autem [ad] Garssendam filiam meam dictam, vel ad heredem ejus legitimum.

Et si quis infantum meorum, quos esse in religionem rogavi, antequam monasterium vel in aliam religionem intraverint, decesserint, legatum, quod eis reliqui, ad Ugonem et Guillelmum Rostagnum heredes meos revertatur. |

Hec omnia predicta et singula, et infantes meos, et res

(1) Cart.: *unumquique*.

eorum relinquo in potestate Dei et Raimundi de Salviniaco et Petri Dalmacii : et eos gadiatores michi instituo, et de bonis meis persolvant et emendant omnia supradicta. Et volo et rogo quod administrent omnia bona mea, consilio et voluntate Cabiscoli et Bertrandi de Nagia.

Hec est mea ultima voluntas, quam laudo et confirmo, et quam imperpetuum valere volo : que, si non valet ut testamentum, valeat jure codicillorum, seu alterius cujuslibet ultime voluntatis.

Hujus ultime voluntatis sunt testes rogati et specialiter vocati dicti gadiatores, et Bertrandus de Vallauquesio, Berengarius de Sancto Firmino, Bertrandus de Sancto Firmino, Stephanus Johannini causidicus, Lumbardus diaconus, Guillelmus de Campagnis, Bernardus de Ambuleto, Poncius Johanninus, Raimundus Lobon, et Raimundus de Portu notarius, qui, rogatus a dicto testatore, hec omnia scripsit.

Post hec anno quo supra, septimo kalendas septembris, Raimundus de Salviniaco, Petrus Dalmacius, Berengarius de Sancto Firmino, Bertrandus de Sancto Firmino, Stephanus Johannini causidicus, Lumbardus diaconus, Guillelmus de Campagnis, Bernardus de Ambuleto, Pontius Johannini, Raimundus Lobon, et Raimundus de Portu notarius, tactis corporaliter sacrosanctis evangeliis, omnia suprascripta et singula precise vera esse juraverunt : scilicet se vidisse et audisse quod dictus Ugo de Sancto Johanne, existens in bona sua memoria, sic ordinavit et disposuit ultimam voluntatem suam, ut supra dictum est ; et ab eo dicti testes rogati et vocati illi voluntati fuerunt, et nesciunt quod aliquid immutaverit, vel addiderit, vel diminuerit, in supradicta voluntate.

Hec sacramenta et juratorum testium depositiones receperunt Guillelmus Capud Bovis, bajulus Montispessulani, et Guido de Capite Porcho, cancellarius et judex domini Raimundi, comitis Tholose et Melgorii, assidentibus eis Berengario Lamberto judice, et Bernardo de Porta notario dicte terre Montispessulani.

Acta sunt hec in solario, quod est ante curiam Montispessulani, ubi prelacita ventilantur, in presencia et testimonio

Bernardi Capitis Bovis, Johannis de Latis causidici, Johannis Vacca, Mathei Gregorii, Petri de Bizanchis, Guillelmi Petri, Guillelmi Cathalani, Petri Guillelmi, G. de Novitalis, G. de Albaterra, Bernardi fratris sui, Petri Poncii, Firmini Favafracta, et Raimundi de Portu notarii publici Montispessulani, qui hec omnia scripsit.

Ego Petrus Carbonelli, Melgorii notarius, speciali mandato Guidonis de Capite Porco, judicis et cancellarii domini R[aimundi] comitis, bullam imposui et signum meum feci.

(Reg. A, fol. 50 r°).

CCXCIV. — 1208

Diplôme de Philippe Auguste en faveur de l'évêque de Maguelone.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis. Amen. Philippus, Dei gratia Francorum rex. Noverint universi presentes pariter et futuri, quod, sicut ex autentico pie recordationis genitoris nostri regis Ludovici (1) cognovimus, ipse, ad instanciam Johannis quondam Magalonensis episcopi, ac divine claritatis intuitu, Magalonensem Ecclesiam, cum hiis que ad ipsam pertinere noscuntur, ad exemplar predecessoris sui venerande memorie Ludovici, serenissimi regis, sub regie protectionis munimine suscepit, et sui privilegii auctoritate communivit; statuens ut quascumque possessiones, quecumque bona eadem Ecclesia in tempore ejusdem patris, nostri predecessoris, ipsius largicione, sive alio justo titulo, juste et canonice possidebat, aut in futurum largicione regum vel principum, oblacione fidelium, aut concessione Pontificum, seu justis aliis modis, Deo propicio, posset adipisci (2), eidem episcopo Johanni et dicte Ecclesie Magalonensi illibata permanerent.

In quibus hec propriis duxit vocabulis exprimenda: totam

(1) Cart.: *Lodovisi.*
(2) Cart.: *adiplici.*

videlicet insulam, in qua ipsa Magalonensis Ecclesia, *etc.* (*pareil au N° CXIII, Tome I, p. 221, jusqu'à la fin de ce paragraphe*).

Preterea predecessorum suorum vestigia jamsequens, jam dicte Ecclesie et prefato Johanni episcopo privilegii sui scripto perpetuo possidenda concessit (*pareil au N° CXIII, T. I, p. 222 et 223 jusquà la 28e ligne*): temerario ausu accipere presumat, salva tamen ei et successoribus suis regia auctoritate ad hec in eternum valitura. Statuens adjecit ut Magalonensem Ecclesiam et omnia supradicta, ad eandem pertinencia, in quantum ad regiam spectabat majestatem (1), nulli unquam persone, nulli loco concedere posset; sed ea semper ipse et successores sui ad regni Francorum coronam sibi inconvulse (2) servarent.

Nos igitur ejusdem patris nostri pro affectu vestigiis inherentes, pro salute anime nostre et omnium predecessorum nostrorum, concessionem prescriptam et confirmationem omnium predictorum, ab eodem patre nostro factam, sicut superius est expressum, ad peticionem dilecti et fidelis nostri (3) Guillelmi de Altiniaco, venerabilis Magalonensis episcopi, ratam in perpetuum habemus et firmam, et ut hoc perpetue stabilitatis robur obtineat, sigilli nostri auctoritate et regii nominis caractere inferius annotato, salvo in omnibus nostre regie dignitatis jure, presentem paginam confirmamus.

Actum apud Mosterolium Berlai (4), anno Incarnationis Dominice M° CC octavo, regni vero nostri anno vicesimo nono, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt et signa, dapifero nullo. Signum Guidonis butillarii. Signum Mathei camerarii. Signum Droconis constabularii. Datum vacante cancellaria.

(Reg. C, fol. 186 v°).

---

(1) Cart.: *magestatem*.
(2) Cart.: *in commisse*.
(3) Cart.: *nostri et Guillelmi*.
(4) Cart.: *Musterolrerius Bellaii*.

CCXCV. — 18 juin 1209

Raimond VI, comte de Toulouse, promet de se soumettre aux volontés d'Innocent III et de ses légats.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Anno pontificatus domini Innocencii Pape III duodecimo, XIIII kalendas julii, ego Raymundus, comes Tholose, dux Narbone, marchio Provincie, facio, sanctis reliquiis, Eucharistia et ligno Crucis Dominice coram positis, supra sancta Dei evangelia corporaliter manutacta, juramentum quod super singulis et universis (1) capitulis pro quibus a domino Papa, vel ejus legato, vel legatis, seu aliis, vel ipso, inde fui vel sum excommunicatus, stabo omnibus mandatis ipsius domini Pape et vestris, magister Milo, domini Pape notario, Apostolice Sedis legato, vel alterius legati, seu nuncii Sedis Apostolice, ita videlicet ut quicquid per se, litteras suas, nuncium, vel legatum michi preceperat super universa capitula, pro quibus excommunicatus fui vel sum, bona fide, sine fraude et malo ingenio, adimplebo, super istis precipue capitulis que hic nomino :

Videlicet quod pacem aliis jurantibus dicor voluisse vitare ;

Item quod juramenta, que feci super expulsione hereticorum vel eorum (2) credentium, non servasse dicor ;

Item quod hereticos dicor semper fovisse, eisque favisse ;

Item quod de fide suspectus habeor ;

Item quod rotarios (3) sive manuadas tenui ;

Item quod dies quadragesime, festorum et temporum, qui securitate gaudere debebant, dicor violasse ;

Item quod adversariis meis, qui se justicie offerebant pacemque juraverant, dicor noluisse justiciam exhibere ;

Item quod Judeis comisi officia ;

Item quod monasterii Sancti Willelmi (4) et aliarum Ecclesiarum possessiones et ecclesias injuste detineo ;

---

(1) Cart.: *utilis*.

(2) Cart.: *ejus*.

(3) Cart.: *notarios*.

(4) Saint-Guillem du Désert.

Item quod incastellavi ecclesias et incastellatas (1) detineo;

Item quod indebita pedagia, vel guidagia, colligo vel colligi facio;

Item quod Carpentoratensem episcopum a propria sede depuli;

Item quod de interfectione sancte memorie Petri de Castronovo suspectus habeor (2), pro eo maxime quod interfectorem ipsius in magna familiaritate recepi (3);

Item quod Vasionensem episcopum et clericos ejus cepi, et capi feci, et palatium ejusdem episcopi et domos canonicorum destruxi, et castrum Vasionense per violenciam abstuli;

Item quod in religiosas personas manus violentas injecisse, et incendia et multas rapinas dicor comisisse;

Super hiis, et salvariis, et super aliis, si qua potuerunt inveniri, in predicto modo juravi, et alios jurare feci, et septem castrorum tradidi cautiones quorum nomina sunt hec: Furche, Opeda, Balme, Rocamaura, castrum Mornacii, Fanjau in Argentaria, Monsferrandus. Si autem ea que circa supradicta capitula et alia injuncta michi fuerunt, in perpetuum bona fide non servavero, volo et concedo quod VII predicta castra cadant in commissum Romane Ecclesie, et jus quod habeo in comitatu Melgorii ad Romanam Ecclesiam plenissime revertatur.

Volo etiam ut persona mea excommunicetur, et terra supponatur ecclesiastico interdicto, et conjuratores mei, tam consules quam alii, et successores eorum, a fidelitate, jure ac servicio, quibus michi tenentur, ex hoc ipso absoluti, Romane Ecclesie pro feudis et juribus que habeo in villis, et civitatibus, et castris, de quibus erant tam consules, quam alii qui juraverunt fidelitatem, facere teneantur pariter et servire;

Item sub eodem juramento et eadem pena stratas publicas

---

(1) Cart.: *vicastellatas*.

(2) Cart.: *habete*.

(3) Raimond VI offre de se justifier sur le principal crime que lui reprochait Innocent III.

securas servabo, et in eisdem penis subjacere volo, si predicta omnia non servavero, vel aliquid predictorum.

(Reg. A, fol. 229 v°).

Cette pièce est d'un grand intérêt. Dom Vaissete l'a connue (*Hist. gén. de Languedoc*, t. VI, p. 277) et a su en tirer profit. Nous ne nous y arrêterons pas. Nous constatons seulement que Raimond VI offre de répondre aux deux crimes qui lui sont surtout reprochés : la mort de Pierre de Castelnau, et le crime d'hérésie, deux crimes sur lesquels il n'a pas été interrogé et qu'on n'a jamais essayé de lui prouver. Ce n'est pas en prévenu qu'il paraît devant les légats et les évêques, mais en coupable, jugé d'avance. Voir plus loin les instructions secrètes données par les légats et les évêques de la province à leurs délégués auprès du Pape : le meurtre de Pierre de Castelnau n'y est même pas mentionné. Et cependant ce fut l'occasion de la Croisade. Quand on étudie cette époque de notre nationalité avec impartialité, on éprouve malgré soi de la sympathie pour Raimond VI. Les légats et les évêques en s'acharnant sur lui, en désobéissant à Innocent III, rendent sympathique un homme qui ne l'était guère. — Voir ce que nous avons dit sur lui dans *Bull. de l'Eglise de Maguelone*, t. I, p. 326, et surtout t. II, p. 65.

CCXCVI. — 18 juin 1209

Les chevaliers, qui se portent caution pour Raimond VI, jurent d'observer fidèlement les volontés du Pape et de ses légats.

In nomine Domini. Anno pontificatus Innocencii Pape III duodecimo, XIIII kalendas julii, nos Guillelmus de Baucio, et Hugo frater ejus, R. nepos noster, Dragonetus, G. Arnaldi, R. de Agouto, Ricardus de Carone (1), B. de Laudone, G. frater meus, B. de Andusia et P. Bermundi filius ejus, et R. de Vecia (2) et filius meus Decanus, R. de Poscheriis, et R. Gau-

(1) Nous donnons la leçon du *Cartulaire*. C'est certainement le même que « Ricard de *Carniumpo* al. *de Chamuno* ou *Carupno* » de dom Vaissete (*Hist. gén. de Languedoc*, t. VI, p. 278).

(2) Ne faudrait-il pas lire *Veceria?* ou, plutôt, *Ucecia?* C'est cette dernière leçon que nous préférerions.

celmi de Lunello, et Petrus (1) Gaucelmi, juramus tibi, magistro Miloni, domini Pape notario, Apostolice Sedis legato, coram Sancta Eucharistia, et Cruce Dominica, et sanctorum reliquiis, super sancta evangelia corporaliter manu tacta, quod stabimus omnibus mandatis Ecclesie, seu tuis, vel alterius nuncii, seu legati domini Pape, super istis capitulis que inferius exprimuntur :

Videlicet super abjuratione maniadatum perpetua ;

Item super Judeis, ab omni administratione vel officio perpetuo amovendis, et, nullo unquam tempore, restituendis, vel aliis Judeis ad aliquam administrationem nullatenus assumendis ;

Item super pedagiis et guidagiis dimittendis, et nullo unquam tempore resumendis ;

Item super pace vel treuga juxta mandatum tuum, vel alterius nuncii, seu legati domini Pape, instituenda pariter et servanda ;

Item super plena ecclesiarum libertate servanda ;

Item super ecclesiis incastellatis demoliendis, et penitus dimittendis, et nullo unquam tempore incastellandis ;

Item super dampnis per nos dictis ecclesiis, et aliis personis, sive laicis, sive privatis, resarvendis ;

Item quod de nobis querelantibus justiciam exibebimus ;

Hec omnia, sicut supra scripta sunt, et in omnibus suprascriptis articulis, et aliis, si qui forsitan emercerent, et in cautionibus tibi dandis, pro posse nostro, fideliter adimplebimus. Sic Deus nos adjuvet et hec sancta omnia.

Similiter, sub eodem juramento, stratas publicas securas servabimus ; eciam eos quos episcopi nostri hereticos nominabunt, et receptatores, et fautores eorum, animadversione debita, puniemus.

(Reg. A, fol. 230 v°).

(1) La leçon du *Cartulaire* est fautive : il faut lire *Pontius* ; il s'agit de Pons Gaucelm, fils du précédent, et seigneur de Lunel de 1215 à 1262.

CCXCVII. — 19 juin 1209

Les consuls d'Avignon jurent aussi de se soumettre aux décisions du Pape et de ses légats.

In nomine Domini. Anno pontificatus domini Innocencii Pape III duodecimo. XIII kalendas julii, nos, consules Avinionenses, de consensu et voluntate domini R[aimundi], comitis Tholose, precise juramus, super sancta Dei evangelia manu tacta, tibi, magistro Miloni, domini Pape notario. Apostolice Sedis legato, quod, bona fide, sine omni malo ingenio. et sine omni fraude. consulemus et operari dabimus pro posse nostro, quod dominus comes, tam per se quam per successores suos, super hiis omnibus, pro quibus fuit excommunicatus, que videlicet exponuntur in forma secundum quam ipse, antequam absolveretur, juravit, pareat (1) omnibus mandatis Ecclesie; et quod ea in perpetuum servet, ita ut, si quid illorum non fecerit, vel contravenerit manifeste. nos ei nullum consilium, vel auxilium, seu obsequium. per nos vel per homines, sive amicos nostros, aliquatenus impendemus, scientes ex hoc ipso domini comitis delicto absolutos nos esse a fidelitate, si qua in servicio illi ullo modo tenebamur; ymo, quousque plene paruerit (2), faciemus contra ipsum, pro posse nostro, quicquid Romana Ecclesia, vel ejus nuncius, sive legatus, nobis mandaverit faciendum, non obstante fidelitate, vel jure aliquo, vel servicio, si quo ipsi ullo modo tenebamur, a quo tam tu quam dictus comes nos absolvistis et absolvitis (3), si forte ipse, ut dictum est, contra precepta que sibi facta sunt, vel fuerunt, venerit manifeste; tunc etiam pro jure sive servicio, si quod in villis et castris nostri consulatus et ipsa civitate habere dinoscitur, fidelitatem Romane Ecclesie faciemus, ipsam eidem fideliter et perpetuo servaturi;

---

(1) Cart.: *pateat.*
(2) Cart.: *patuerit.*
(3) Cart.: *absolutis.*

Item stratas publicas securas servabimus, et faciemus per totum nostrum districtum inviolabiliter observari;

Item pedagia, seu guidagia, vel exactiones aliquas transeuntibus per stratas, vel etiam per flumina, nullatenus accipiemus, nisi que vel quas antiqua regum vel imperatorum concessione constiterit nos habere;

Item ecclesias omnes et domos religiosas in nostro districtu, tam in civitate, quam extra, in plenaria servabimus libertate, videlicet quod in eis exactiones aliquas vel talias nullatenus exigemus; et, defunctis episcopo earum, vel aliis rectoribus, ipsas vel domos earum nullo modo spoliabimus, nec administrationi earum seu custodie, occasione alicujus consuetudinis, vel aliqua alia, nisi forte rogati ab episcopo, vel a capitulo, nos inmiscebimus; sed omnia, sine diminutione aliqua, defunctorum successoribus reserventur, et electioni ipsi, vel alterius rectoris ecclesie faciende, per nos vel per quancumque aliam personam, nos nullatenus inmiscebimus, nec aliquam violentiam faciemus, vel impedimentum prestabimus, quominus electio canonice ac libere celebretur;

Item pacem seu treugam, sicut nobis injunctum fuerit, bona fide observabimus;

Item si episcopus, vel capitulum, vel alia persona ecclesiastica nobis aliquos hereticos nominaverit, vel credentes, vel per nosmetipsos cognoscere poterimus aliquos heresim predicare, vel facere conventicula aliqua, ipsos persequemur secundum legitimas sanctiones (1), et eorum bona omnia justificabimus;

Hec omnia, singulis annis, per manus episcopi nostri successores nostros faciemus jurare; si quis autem hec jurare noluerit, ipsum tanquam hereticum habebimus manifestum, nec ejus judicium, sive auctoritas, vigorem in aliquo sociatur.

(Reg. A, fol. 230 v°).

(1) Cart.: *sacrationes.*

CCXCVIII. — 19 juin 1209

Ordonnance du légat Milon contre Raimond VI, comte de Toulouse.

In nomine Domini. Anno pontificatus domini Innocentii Pape III duodecimo. XIII kalendas julii. hec sunt precepta facta domino R[aimundo], comiti Tholose, postquam fuit absolutus.

Ego Milo, domini Pape notarius, Apostolice Sedis legatus, precipio tibi, domino R[aimundo], comiti Tholose, sub debito prestiti juramenti, et sub pena ejusdem juramenti, in forma adjecta, ut hereticos et eorum manifeste credentes in tota ditione tua detineas, tradendo cum rebus suis ad arbitrium Signatorum; reliquos vero hereticos cum Crucesignatis et sine illis fideliter persequaris ;

Item precipio ut hereticos de cetero nullo tempore foveas vel defendas, nec eis unquam prestes auxilium vel favorem ;

Item precipio ut dies dominicales, et quadragesime, et alios in Lateranensi concilio designatos, nullo unquam tempore violes, vel ab aliis, pro posse tuo, violari permittas (1) ;

Item precipio ut adversariis tuis, et universis ecclesiis, et domibus religiosis, et miserabilibus personis justiciam facias, cum fueris requisitus ;

Item precipio ut per bajulos tuos facias coram eis conquerentibus justiciam exhibere ;

Item ut ecclesias incastellatas, ad arbitrium diocesanorum episcoporum, diruas, vel etiam reserves (2), si quas duxerint reservendas : quas diocesanis episcopis vel aliis ecclesiarum prelatis, ad quos pertinere noscuntur, continuo tradas, ut ab eis perpetuo possideantur ;

Item precipio ut ecclesias, et domos religiosas, in libertate

---

(1) Cart.: *permiors*.
(2) Cart.: *deserves*.

plenaria conserves. videlicet quod in eis albergarias procurationes. vel exactiones quascumque nullatenus exigas vel percipias ; et, defunctis earum episcopis. vel aliis rectoribus. ipsas nullo modo expoliaris (1) : nec administrationi earum seu custodie. occasione alicujus consuetudinis. vel aliqua alia te immitas (2) ; sed ille (3). sine diminutione aliqua. eorum successoribus reserventur ; electioni etiam ipsius (4) vel alterius rectoris ecclesie faciende. per te vel per quamcumque personam. nullatenus te admiceas (5). nec aliquam violenciam facias. vel impedimentum aliquod prestes (6). quominus (7) electio libere et canonice celebretur :

Item precipio ut pedagiorum seu guidagiorum exactiones. tam in terris quam in aquis. penitus dimittas. nisi quas regum vel imperatorum concessione probaveris te habere, nec dimissa pedagia seu guidagia deinceps resumas ;

Item precipio ut salvarias, ubicumque habeas, dimittas ; nec alicubi de cetero instituas : nec impedias liberum transitum viaticorum tam in terris quam in aquis ;

Item precipio ut pacem seu treugam. secundum quod tibi injunctum fuerit, observes ;

Item precipio ut de conquerentibus secundum meum. vel alterius legati. seu judicis ordinarii (8). vel delegati arbitrium. justiciam facias ;

Item precipio ut stratas publicas et securas serves. nec transeuntes ab antiquis stratis deviare compellas ;

Item precipio ut hereticos, quos diocesani episcopi, vel alii ecclesiarum (9) rectores hereticis receptatores vel fautores (10)

---

(1) Cart.: *expoties.*
(2) Cart.: *imiteas.*
(3) Cart.: *alia.*
(4) Cart.: *ipsi.*
(5) Cart.: *admicois.*
(6) Cart.: *prestet.*
(7) Cart.: *quaminus.*
(8) Cart.: *ordinariis.*
(9) Cart.: *ecclesiasticorum.*
(10) Cart.: *factores.*

eorum tibi vel tuis bajulis nominabunt, tamquam hereticos habeas ;

Item precipio ut pacem a legatis statutam, vel deinceps statuendam, jures et serves inviolabiliter secundum ipsius pacis statuta (1), [et] universos homines tuos eandem pacem jurare (2) facias, et secundum pacis statuta servare (3).

Item precipio ut VII castra que michi, nomine Romane Ecclesie, tradidisti, vel totum [vel] aliquid non auferas, per te vel per aliam quamcumque personam ; et, si aliquid illorum fuerit per quamcumque personam ablatum, cum toto posse tuo ad recuperandum illud utiliter laborabis, et statim illud pristine custodie restituas.

Hec omnia tibi precipio perpetuo observanda, et si qua alia super predictis capitulis, vel aliis quibus excommunicatus fuisti, dominus Papa vel ejus legati tibi duxerint imposterum injungenda.

(Reg. A, fol. 230 r°).

Dès le début de leur mission, les légats dépassent les limites que le Pape leur avait tracées. Pourquoi? La réponse à cette question serait intéressante : nous y verrions figurer plusieurs éléments, soit laïques, soit ecclésiastiques.

Le meurtre de Pierre de Castelnau passe au second plan : on n'en parle même pas. Et pourtant c'est pour punir cette injure, que le Saint-Siège a précipité le Nord sur le Midi. On dirait vraiment que chaque évêque, chaque abbé, chaque église fait passer le bien temporel avant le bien spirituel. Il ne s'agit même plus de la foi de Raimond VI. Aucun article du légat ne s'y rapporte. Ainsi aucune allusion aux deux crimes reprochés à Raimond VI. C'est vraiment incompréhensible, ainsi que nous l'avons déjà remarqué dans les notes du *Bullaire de Maguelone.* Ces pièces éclairent d'un nouveau jour cette période de l'agonie de la Patrie Occitanienne. Sans contester l'existence de l'albigéisme, — ce serait nier l'évidence —, on constatera avec nous que cette croisade fut avant tout une question politique.

On y remarquera surtout la question juive, — nous ne faisons

(1) Cart.: *statutus.*
(2) Cart.: *vitare.*
(3) Cart.: *servata.*

que prendre date dans cette affaire —, et les nombreux articles relatifs aux routiers, aux péages, etc., questions intéressantes pour l'histoire sociale du pays, mais qui intéressaient médiocrement, croyons-nous, Innocent III.

Nous arrêtons là cette note : la développer nous entraînerait trop loin. Mais nous devons cependant avouer, d'après ces documents, que un an après le meurtre de Pierre de Castelnau, on n'en parlait pas beaucoup dans le pays, et que, de fait, évêques et prélats ne pensaient guère à venger l'affront fait au Saint-Siège.

On nous dira que Raimond avait été absous de ces deux crimes. C'est exact. Était-il innocent ou coupable ? Dans le premier cas, il n'y avait qu'à proclamer son innocence ; dans le second, qu'à lui imposer une pénitence ; dans les deux cas, qu'à arrêter les croisés sur les bords du Rhône. On le voit, nous sommes toujours en présence d'une énigme : nous l'avons dit dans le *Bullaire*.

CCXCIX. — 29 juin 1209

Autre ordonnance du légat Milon contre Raimond VI, comte de Toulouse.

In nomine Domini. Anno pontificatus domini Innocentii Pape III duodecimo, III kalendas julii, ego Milo, domini Pape notarius, Apostolice Sedis legatus, precipio tibi, domino R[aimundo], comiti Tholose, sub debito prestiti juramenti et sub pena in forma ejusdem juramenti adjecta, ut dominum episcopum Carpentoratensem, tam in civitate quam extra, pleno jure restituas, et de dampnis datis, tam de rebus quam de fructibus, eidem episcopo resarciendis, fidejussores prestes idoneos ; et universos cives Carpentoratenses a juramento, quod circa terminum tibi vel alii domino, nomine [tuo], prestiterunt, absolvas omnino, et municionem, quam sibi fecisti fieri, michi, vel cui jussero, facias assignari ;

Item precipio tibi, sub eadem pena, et episcopum, et prepositum, et canonicos Vasionenses, tam in castris quam (1) in aliis pleno jure restituas ; et de dampnis datis, et hedificiis

(1) Cart.: *quia aliis.*

destructis, et rebus aliis, et fructibus resarciendis, eisdem fidejussores prestes ydoneos; castrum autem Vasionense michi, vel cui (1) jussero, facias assignari;

Item precipio, sub eadem pena, ut Aragonenses, rotharios, coratellos, mainadas, Vascones, vel Brabantiones (2), vel quocunque alio modo nominentur, de tota terra tua et possessione tua (3) prorsus expellas, nec in alienam terram eos immittas, vel ibi concedas, nec eorum auxilio tempore ullo utaris;

Item tibi precipio ut universos Judeos, de tota terra tua et possessione (4), ab omni administratione publica vel privata prorsus amoveas; nec unquam eos ad ipsam vel aliam restituas, vel alios Judeos ad aliquam administrationem assumas, nec eorum consilio (5) ullo tempore contra Christianos utaris;

Item sub eodem juramento, et eadem pena, tibi precipio publicas stratas observes, salvis hiis que vel dominus Papa, vel alii, vel ego, de mandato ipsius, eodem tempore vel diverso, tibi duxerit in posterum injungenda.

(Reg. A, fol 230 r°).

CCC. — 1209

Instructions secrètes données par les évêques de la province et les légats aux envoyés qu'ils députent auprès d'Innocent III touchant l'affaire de Raimond VI.

Iste sunt que sepius ad memoriam contra comitem revocare debemus: videlicet quod Caturcensem, Agenensem (6) et Ruthenensem episcopatus in totum destruxit, castra et jura

(1) Cart.: *ubi.*
(2) Cart.: *Baimantiones.*
(3) Cart.: *et posse tue.*
(4) Cart.: *posse.*
(5) Cart.: *concilio.*
(6) Cart.: *Aganensem.*

episcoporum omnino occupando : Rutenensem ecclesiam incastellatam (1) tenet, et omnia jura episcopatus invasit.

Item quod tres uxores vivas habet, quarum una est heretica, cui certam prebendam concessit.

Item predicit se emisse matrimonium suum ab Ecclesia Romana, quam (2) meretricem vocat, pro ducentis marchis argenti.

Item quod, cum pecunia Tholosanorum et aliorum hereticorum, modo ad Ecclesiam Romanam accedit, predicens manifeste ac sperans quod per peccuniam suam corrumpere curiam romanam possit, et penam evadere commissorum ; ita quod castella (3), villas et alia jura [que] in ecclesiis, religiosis personis, viduis, pupillis, militibus, baronibus, et aliis personis abstulit violenter, restituere non cogatur, neque dampna, data supradictis personis, aliquatenus resarcire. Quod si obtinuerit, erit error novissimus priore deterior, et tota provincia ad antiquum cahos revocabitur.

Item ista, scilicet, castra comitis, in quibus sunt heretici et credentes : Castrum Novum (4) infectum est heretice (5) pravitatis, mansus castri Sancti Martini (6), Avinio, Monferan (7), Montem Maurum (8), castrum Sancti Felicis (9), Monbrun (10), Montem Esquivum (11), castrum Sarracenum, Montemalbanum ; apud Galacum plures sunt credentes ; totum Montem Agunt (12), plenum Rabastenx, Sancti Marcelli cas-

(1) Cart.: *ecclesiam et castellatam*.

(2) Cart.: *quem*.

(3) Cart.: *quastilla*.

(4) Probablement Castelnaudary.

(5) Cart.: *heretisse*.

(6) Difficile à identifier : probablement un Saint-Martin dans l'Aude.

(7) Montferrand (Aude, arrondissement de Castelnaudary).

(8) Montmaur (Aude, arrondissement de Castelnaudary).

(9) Saint-Félix (Haute-Garonne, arrondissement de Villefranche).

(10) Montbrun (Haute-Garonne ou Aude).

(11) Montesquiou (Haute-Garonne). Nous ne pouvons préciser davantage.

(12) Montégut (Haute-Garonne ?, Ariège ?, Tarn-et-Garonne ?).

trum, Verfolium et plura alia que sunt sub jurisdictione comitis Tolose, castrum Sancti Pauli (1), Seneganz, Rocadarifat, Quadalvit, Granulet; Sestarolo (2) plures sunt credentes, Lautario, Quaraman, Auriac (3), Grepia (4), Causac (5), Vasezia (6) et multa alia.

Item dicatis domino Pape et cardinalibus, quod modo est mors et vita clericorum et ecclesiarum Provincie in manibus eorum, precipue si comes Romam fuerit absolutus, et si recuperaverit castra sua priusquam satisfaciat ecclesiis et aliis personis quas bonis omnibus (7) spoliavit.

Item si forte (8) allegaverit comes, quod ipse gravetur in expensis castrorum, respondere potestis quod similiter alii gravantur barones, scilicet comes Fulgariensis, illi de Baucio, et ceteri qui sunt et semper fuerunt cum Ecclesia, nec tamen sua castra resposcunt, immo alia offerent melioraque; non posset alias pax et tranquillitas in Provincia illa servari.

Item si forte comes dixerit se satisfecisse juxta tenorem litterarum, quas nuncii ejus representaverunt a curia per alphabetum divisas, respondeatis quod nec per illas satisfecit. Hec autem sunt littere. *Ego B., Axitanus archiepiscopus, ego R., quondam Tolosanus episcopus* (9), *ego P., prior*

---

(1) Saint-Paul (Haute-Garonne, commune de La Garde), ou, plutôt, Saint-Paul Cap-de-Joux (Tarn), tout comme Sénégas, qui suit, et Rabastens, qui précède

(2) Cestayrols (Tarn, arrondissement de Lavaur). Cette identification nous paraît certaine. Il faudrait lire *in Sestarolo*. Nous donnons le texte tel que nous le trouvons dans le *Cartulaire*. Les trois noms qui précèdent ont dû être mal orthographiés, — tout comme *Lautario* = Lautrec —, nous ne pouvons les identifier. Il faut les chercher du côté de Lavaur.

(3) Caraman (Haute-Garonne, arrondissement de Villefranche). — Auriac (même département et arrondissement).

(4) Ne faudrait-il pas lire *Guippia* = La Guepie (Tarn-et-Garonne, arrondissement de Montauban)?

(5) Cahusac (Tarn, arrondissement de Gaillac).

(6) Baziège (Haute-Garonne, arrondissement de Villefranche).

(7) Cart.: *hoib.* = *hominibus*.

(8) Cart.: *fore*.

(9) Bernard de La Barthe, archevêque d'Auch, qui devait être

domus Hospitalis Jherosolomitani in Tolosa, juramus nos accepisse mandatum a comite Tholose, et mandatum illud non fuisse postmodum revocatum, ut offeramus vel ex parte sua quod, si ad partes suas legatum miseritis, ipse ad mandatum illius prestabit sufficientissimam cautionem, in castris, obsidibus, fidejussoribus, juramentis secundum providenciam ejusdem legati ; et tam castra quam obsides asignabit, et tradet illis personis, quibus legatus mandaverit tenenda et custodienda, donec ipse comes, bona fide, adimpleat universa (1) *mandata, que sibi facerent super eliminatione hereticorum et reformatione pacis, et super purgatione fidei sue; quibus peractis, obsides et castra restituantur, et eadem fidejussores promitentes absolvantur. Super aliis causis* (2) *pro quibus excommunicatus asseritur, standi mandamento vestro* (3) *secundum arbitrium legati, sufficientem causionem prestabit, quamvis eam non expresserit nobis eisdem, quam eam vobis exprimere non valemus.* Preterea si fecisset quod in (4) illis litteris continentur non tamen castra recuperare deberet, quousque satisfaciat, sicus juravit, super XV articulis, qui superius exprimuntur in forma quam, antequam absolveretur, juravit (5).

Item dicatis quod castra illa ceciderunt in commissum Ecclesie Romane, pro eo quod ex ipsis que sibi precepta fuerunt, nichil (6) fecit.

Item dicatis quod ceciderunt jura (7) que habebat in comitatu Melgorii (8).

---

bientôt déposé, et Raimond de Rabastens : deux partisans de Raimond VI.

(1) Cart.: *universsa.*

(2) Cart : *super aliquis quos pro quibus.*

(3) Cart.: *sa* (surmonté d'un trait) *mandanti vois* (surmonté d'un trait).

(4) Cart.: *et.*

(5) Voir ci-dessus, N° CCXCVIII, ces quinze articles.

(6) Cart.: *michi.*

(7) Cart.: *jure quod.*

(8) Ce point est digne d'une note : le Pape s'en souviendra.

Item dicatis quod communi consilio legatorum, archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, et multorum prudentum, ita ligatus fuit comes, et ceteri barones, scilicet per ignorancias (1), cautiones castrorum, et per juramenta propria, et per conjuratores alios, quia ita sunt fere omnes infideles, ut etiam vix ad rectitudinem valeant cum tanta cautione (2) teneri.

Item si forte dixerit quod satisfecerit Carpentoratensi et Vasionensi episcopis, quorum alterum scilicet Carpentoratensem dejecerat de civitate sua, et per triennium fere omnes redditus collegit, et alterum in vinculis tenuit, item dicatis quod coactus restituit eisdem quasdam possessiones, tamen non omnes ; et de palaciis, et aliis edificiis destructis, et dampnis datis, nichil (3) adhuc eis restituit.

Item dicatis in concilio (4) Avinionensi, de consilio legatorum, archiepiscoporum, et episcoporum, XXIIII^or abbatum, et tocius approbacione concilii excommunicatus fuit, et terra ipsius tota supposita interdicto, nisi usque festum Omnium Sanctorum veniret ad presenciam legatorum, et conquerentibus de se satisfaceret competenter.

Item dicatis quod in antea (5) multociens citatus fuerat, et dictum fuerat ei a legatis viva voce, ut satisfaceret querelantibus de se, et preceptum fuerat ei sub debito juramenti ; ipse tamen contempsit juramentum, et nichil fecit.

Item dicatis quod in exercitu Signatorum, quasi proditor et hereticus habebatur ; neque habe[b]at XXX milites, ut dicunt illi qui plenius veritatem noverunt (6).

Item dicatis quod habet secum duos (7) pessimos tirannos

---

(1) Cart.: *ingnorancias.*

(2) Cart.: *causione*

(3) Cart.: *michi.*

(4) Cart.: *consilio.*

(5) Cart.: *quod vitea.*

(6) C'est possible ; mais le comte de Toulouse pouvait-il suivre ceux qui avaient mis en prison son neveu. On connaît le sort qui fut réservé au jeune vicomte de Béziers.

(7) Cart.: *duorum.*

et persecutores (1) Ecclesie : Adhemarum de Pictavia et Geraldum Ademarii de Montilio, quorum uterque excommunicatus est, et terra supposita est (2) interdicto propter pedagia, rapinas et alia maleficia (3).

Item dicatis quod Geraldus Ademarii tenet Montilium a domino Papa, et bene persequitur (4) Ecclesiam quantum potest, et cum jurasset reddere municionem Montilii, legato manifestissime dexeravit.

Item si comes dixerit quod, nisi dominus Papa reddiderit ei castra, guerram faciet, et totam terram in confusionem revocabit antiquam, respondeatis quod non posset aliqua (5) ratione guerram facere vel discordiam se juvare, quamdiu castra fuerint in Ecclesie potestate, imo esset facillimum ipsum exterminari de terra.

Plus etiam dicatis quod, si dominus Papa castra ei reddiderit, antequam satisfaciat competenter querelantibus in universis, guerram faciet, et, si poterit, destruet totam patriam.

(Reg. C, fol. 79 r°).

Cette pièce si intéressante, ne porte pas de date ; celle-ci ne peut faire de doute : septembre 1209 (Cf. *Hist. gén. de Languedoc*, t. VI, p. 302).

CCCI. — 28 décembre 1209

Partage des biens entre Guillaume Gaucelm et son frère.

Anno Dominice Incarnationis M° CC° VIIII°, in mense decembris, in festo Innocentium, sit omnibus notum quod Guillelmus Gaucelmus et Gaucelmus de la Mata frater ejus, filii

---

(1) Cart.: *percecutores*.
(2) Cart.: *et*.
(3) Cart.: *malefficia*.
(4) Cart.: *percequitur*.
(5) Cart.: *aliquam*.

quondam domine Ricende Vivanie de Armazanicis, bona fide, sua inter se diviserunt, et voluerunt ut sic divisa semper permanerent.

Voluerunt quidem quod dictus Guillelmus Gaucelmi haberet et possideret (1), in perpetuum, omnia bona quecumque habent, possident, vel habere debent, a via illa que movetur a Sumidrio, et transit inter castrum de Montelauro et *Belluoc* (2), et discurit usque ad Melgorium, ab occidente scilicet versus *Monferran* et Montempessulanum, et in partibus illis; et quod ipse Guillelmus Gaucelmi persolveret sorori (3) eorum Marie quingentos solidos Melgorii, et cetera debita que debentur in partibus illis. Et si predicta Maria, predictorum soror, vel aliquis alius, nomine ipsius, aliquo juris titulo, aliquid adquireret in bonis maternis, dictus Guillelmus Gaucelmus, vel sui, debent restituere predicto Gaucelmo de la Mata, fratri suo, vel suis, totam medietatem bonorum, que predicta Maria adquisivisset, et medietatem omnium expensarum quam dictus Gaucelmus de la Mata propter hoc aliquo modo faceret; et de toto hoc debet credi predictus Gaucelmus de la Mata, et sui, per sacramentum sine teste.

Et predictus Gaucelmus de la Mata similiter habeat et possideat omnia bona quecumque habent, possident, vel habere debent, a via illa que movetur a Sumidrio, et transit inter castrum de Montelauro et *Belluoc*, et discurrit usque ad Melgorium, ab oriente scilicet versus Lunellum et Armazanicas, et in partibus illis; et persolvat predicte Marie, sorori (4) eorum, quingentos solidos Melgorii, et cetera debita que debentur in partibus illis.

Et ego, predictus Guillelmus Gaucelmus, et ego, Gaucelmus de la Mata, frater ejus, cum hoc instrumento jussu nostro facto, et a nobis laudato, coram infrascriptis testibus profitemur,

---

(1) Cart.: *possidere.*

(2) Montlaur et Beaulieu. Cette ancienne route passait plus près de Beaulieu que de Montlaur. On en voit encore des vestiges, du pont de Ginestet à Sussargues.

(3) Cart.: *sorrori.*

(4) Cart.: *sorrori.*

et in veritate recognoscimus predictas divisiones a nobis sic esse factas et concessas, prout in hoc instrumento scriptum continetur, et profitemur nos esse contentos de predictis divisionibus.

Et insuper ego, predictus Guillelmus Gaucelmus (1), et ego, Gaucelmus de la Mata (2), juramus, super sancta Dei quatuor evangelia, quod [contra] hoc nullo in tempore,... venire temptemus; et, ut sic compleamus, quisque donamus alteri retornum in bonis nostris, renunciantes omni juri quo nos juvare possemus.

Testes rogati fuerunt Raimundus de Marcissanicis, Ugo Ademari, Bertrandus Petri, Raimundus Petri, Petrus Laurencius; et ego Guillelmus Brito notarius interfui, et subscripsi, *ne derelinquas me, Domine Deus meus*, et hoc scribere feci; hoc est translatum.

(Reg. C, fol. 88 r°).

CCCII. — 25 janvier 1210

Innocent III écrit aux archevêques de Narbonne et d'Arles au sujet de Raimond VI, qui a donné des cautions et promis d'obéir à l'Église. Le Pape demande que le comte soit entendu dans une réunion et qu'on lui prouve sa culpabilité, surtout en ce qui regarde le meurtre de Pierre de Castelnau.

(Reg. F, fol. 29 r°).

Édité dans le *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. I, p. 323.

CCCIII. — 30 mars 1210

Béatrix, fille de Bernard de Montferrier, et son mari vendent à Étienne et à Raimond de Conques deux moulins qu'ils ont sur le Lez.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Anno ejusdem Incarnationis M° II^{c} decimo, III kalendas aprilis, ego Beatrix,

---

1 Cart.: *Gauselmus*.

2 Cart.: *Gauselmus de Lata mata*.

filia condam Bernardi de Insula et Guillelme ejus uxoris, et ego Eglesius de Nemauso, miles, maritus ejus... quisque in solidum, pro alodio vendimus... vobis Stephano de Conchis et Raimundo de Conchis, filiis condam Stephani de Conchis, et Hermessendis ejus uxoris, et Stephano de Conchis, filio et heredi condam (1) Berengarii de Conchis, quondam fratris vestri, et vestris, et quibus dimiseritis ad omnes voluntates... videlicet illa duo mollendina, cum suis ictibus, sive colpis, casali in quo sunt, aquis, aqualibus, aquarum decursibus, piscationibus, insulis, introitibus, exitibus, et cum omnibus suis pertinentibus, et adjacenciis, et cum omnibus suis instrumentis, et cum omnibus hiis que ad dicta molendina pertinent, vel pertinere possunt, vel debent : que molendina sunt in flumine Lesi, que vocantur *Croses*, et sunt sub uno tecto, et confrontantur a parte Montispessulani cum vestris molendinis, et a parte Melgorii cum alio honore vestro, et sunt in eadem vercaria (2) cum dictis vestris molendinis.

Addimus eciam, et concedimus vobis et vestris, et cedimus in predicta vendicione, omnem actionem [et] jus nobis competens, et quod nobis competere posset, adversum vos vel adversus aliam quamlibet personam ad receptionem fructuum et reddituum, qui retro temporibus ex dictis molendinis (3) percepti sunt; et specialiter damus et cedimus vobis et vestris, in hac memorata venditione, omnem petitionem, accionem, et totum jus quod nobis competit, vel competere potest, vel debet, vel aliquo tempore nobis vel Guillelme de Insule, matri condam mei Beatricis, compeciit, adversus Johannem Gras, vel res ejus, nomine vel occasione pensionum, fructuum et reddituum, quos ipse, vel aliquis per eum, ex dictis molendinis habuit et percepit. Et cedendo jus nostrum et acciones nostras directas et utiles, vos in rem vestram procuratores facimus et constituimus.

Addimus et adhuc in predicta vendicione, et concedimus

(1) Cart.: *filio condam heredi.*
(2) Cart.: *vrecaria.*
(3) Cart.: *temporibus.*

vobis et vestris omnem accionem et jus quod nobis competit, vel competere potest, vel debet adversus quemlibet, qui dicta molendina diruerit vel destruxerit; sed et quicquid ex ea destruccione molendinorum, vel ex materia edificii eorumdem, ad vos pervenerit, vel ad alium quemlibet, fuerint trabes vel postes, chadalfachi, qui super dicta molendina constructi fuerint, vel aliud quidlibet, hoc totum huic venditioni addimus.

Intuitu cujus venditionis, et ceterorum que huic predicte vendicioni addimus, scimus, et in veritate profitemur, nos habuisse et recepisse a vobis, precii nomine, CXXX et octo libras melgorienses, quas in dictis molendinis habebatis titulo pignoris, et VII milia solidorum raimundensium novorum, valentes octoginta septem marchas et dimidiam argenti fini; quas peccuniarum quantitates, ita in plenum a vobis habuimus et recepimus, quod nichil [ex] illis penes vos remansit in debitum vel ad solvendum; in quibus, ex certa sciencia, exceptioni non numerate peccunie et non soluti precii imperpetuum per nos et per nostros renunciamus. Et quod [si] dicta molendina... amplius dicto precio valent..., illud totum vobis et vestris donamus.... et nos de omnibus predictis et singulis venditis disvestientes, vos et vestros omnino investimus, et promittimus, et convenimus vobis stipulantibus, quisque nostrum in solidum, per nos et per nostros successores, quod tota prenominata molendina, cum omnibus eorum pertinenciis et adjacenciis, pro libero alodio faciemus vos et vestros, et quoscumque volueritis, semper habere, et possidere, et tenere quiete, et fructus et redditus inde exeuntes percipere. Pro eviccione totali seu particulari... nos et omnia nostra..., quisque in solidum, generaliter obligantes; et specialiter ego Euglesius regressum dans super totam terciam partem lesde bladi, quam habeo apud Nemausum. Super quibus sumptibus, vobis et vestris, absque sacramento et ullo genere probationis, et cuilibet vestrum et successorum vestrorum, credemus. Et facta a nobis renunciatione omnis juris scripti et...; sed ipsa omnia et singula firma et illibata semper observabimus et tenere faciemus. Sic Deus nos adjuvet, et hec sancta Dei evangelia a nobis tacta.

Et ego Bertrandus de Armon, filius dictorum Beatricis et Englesii de Nemauso (1) mariti, hanc vendicionem... a patre meo et matre predictis factam, et omnia supradicta et singula, sicud superius continetur, laudo, et confirmo, et rata imperpetuum manere volo; et si quid juris in dictis molendinis, vel in aliquo ad ea pertinente, michi competit, vel competere potest, vel debet, vel aliquo tempore compeciit, illud totum de bono animo et mera liberalitate vobis, Stephano de Conchis et Raymundo de Conchis fratribus, et nepoti vestro Stephano de Conchis, et vestris dono.... et pro eviccione... me et omnia mea... obligo; et promitto, et convenio... Hec universa et singula plenarie tenebo et observabo sine dolo et fraude. Sic Deus me adjuvet et hec sancta Dei evangelia, a me corporaliter tacta, sub ipso juramento cognoscens me esse majorem viginti quinque annis.

Acta sunt hec et laudata apud Montempessulanum, in ecclesia Sancte Marie. Horum omnium testes sunt P. de Conchis, G. de Conchis, ejus filius, Raimundus Atbrandi, Rostagnus de Arsacio (2), Raimundus de Gilan, Guillelmus de Gilan, prepositus de Nemauso, miles, P. Tropassen, Berengarius Lamberti causidicus, Raymundus Benedicti, Johannes de Casa, Bn. de Adillano, Guillelmus Bertrandi de Nemauso, Raimundus Amblardi, Bernardus Petiti, Deodatus Rasa, Stephanus Tabernarius, Bertrandus de Vedenobrio, scriptor, et Ugo Laurencii notarius, qui, mandato parcium, hec scripsit.

Et nos Bertrandus de Valauchesio et Rostagnus de Arsacio (3), anno et mense quo supra, octavo kalendas maii, in predictis omnibus observandis et complendis, cum rerum nostrarum omnium obligatione, nos obligamus vobis supradictis Stephano de Conchis et R. de Conchis fratribus, et supramemorato nepoti (4) vestro, pro vobis et pro ipso nepote stipulantibus, et expressim pro evictione, a quacumque persona fieri con-

(1) Cart.: *Mauso* ou *Manso*.
(2) Cart.: *Arciacio*.
(3) Cart.: *Arciacio*.
(4) Cart.: *nepoto*.

tingeret, in predictis molendinis, vel in aliquo ad ea pertinente; et specialiter nos obligamus et res omnes nostras, presentes et futuras, pro evictione, si fieri contingeret a Jana, sorore supradicte Beatricis, vel ab infantibus, seu successoribus ipsius Jane; sed et ego Bertrandus de *Vallauches*, pro supradictis omnibus in solidum, regressum do, et concedo vobis, memoratis Stephano et Raymundo, et nepoti vestro, super totum stare meum turris de Obilione, quod est in Montepessulano, et super omnia usatica et laudimia, que habeo in stari Deodati Bocados, et in stari condam B. Bocados, et in stari P. Arlohini, et in omnibus domibus que sunt in Flocaria, et in illis ortis qui sunt extra portale Obilionis; cum quibus usaticis et laudimiis horum dictorum honorum juris specialis regressus, vobis predictis, obligari volo omnia alia quoquo modo intra Montempessulanum et in ejus terminio ad me pertinencia: et facta a nobis Bertrando de Vallauchesio et Rostagno renunciatione omnis juris..., promittimus quod... in sua semper maneant firmitate. Sic Deus nos adjuvet et hec sancta IIII^or Dei evangelia.

Acta sunt hec et laudata in ecclesia Beate Marie. Horum omnium testes sunt Helyas de Cacaz, Johannes de Casa, Ermengavus de Adillano, Berengarius Aimerici, Matheus Pergaminarius, R. Amblardus, G. Bertrandi, P. Pellaminus (?) (1), P. Girardi, Bertrandus Ademarus, Stephanus Tabernarius, et Guillelmus Raymundi notarius, qui hec mandatus scripsit.

(Reg. D, fol. 309 v°).

CCIV. — Avril 1210

Pierre de Montferrier, procureur de l'église de Sainte-Marie de Melgueil, échange une terre.

Anno Dominice Incarnationis M°CC°X, mense aprilis, ego Petrus de Monteferrario, procurator ecclesie Beate Marie de

(1) Mot très douteux : tache d'humidité au haut du folio 310 r°.

Melgorio et mensate, [pro] utilitate nostra... permuto (1), et nomine permutationis et titulo escambii (2), pro (3) alodio libero trado... tibi Bonafosse, uxori quondam Poncii Grassi, et tuis, et quibuscumque volueris, ad omnes tuas tuorumque voluntates in perpetuum libere faciendas, videlicet quamdam petiam terre trium eminatarum, que confrontatur a circio cum terra tua, a vento cum terra Pet. Malfredi, ab aquilone cum terra que fuit Petri de Calvitione, a corina cum terra Bernardi de Castris et sue uxoris.

Et ego dicta Bonafos, recipiens a te predictam terram pro libero alodio (4), permutando... ad liberum alodium trado... tibi, predicto domino Petro de Monteferrario, jam dicte mensate procuratori, et successoribus tuis, ad omnes tuas tuorumque successorum voluntates imperpetuum libere faciendas, scilicet (5) quamdam peciam terre que conjungitur a circio cum croso Beati Thome de Medio Campo, et ex omnibus aliis partibus cum terris nostris.

Et ego Petrus de Monteferrario predictus, procurator prefate mensate, per me et per omnes sucessores meos, ex una parte; et ego dicta Bonafos, per me et per omnem meam posteritatem, ex alia, per stipulationem ad invicem promittimus, quod hanc permutationem et hec omnia in hoc instrumento prescripta, firma teneamus, et in perpetuum rata manere faciamus, et contra nunquam aliquo jure scripto vel non scripto veniamus; et si quid inde aliquando fuerit evictum, uni ex nobis ab altero totum jure restituatur; et circa evictionem ultro citroque alter alterum indempnem conservabit; et renunciamus (6) omni juri quo contra hec aut horum quid, modo vel in posterum, nos juvare possemus. Hec omnia et singula per nostras bonas fides fideliter observabimus.

(1) Cart.: *promito*.
(2) Cart.: *scambii*.
(3) Cart.: *p ca*; *p* avec abréviation de *pro* = *pro causa*.
(4) Cart.: *pro libere verodio*.
(5) Cart.: *silicet*.
(6) Cart.: *renunciato*.

Testes sunt R. de Sancto Desiderio, prior de Evorio, Bertrandus de Maurino, canonicus, R. de Albiniaco, Johannes Amellus, Ugo Clericus, et Petrus Carbonnellus notarius, qui hec omnia scripsit in duobus instrumentis alphabeto divisis.

(Reg. C, fol. 86 r°).

CCCV. — 8 juin 1210

Guillaume d'Autignac perçoit les droits de lods sur une terre donnée par droit d'héritage.

Anno ab Incarnatione Domini M° CC° decimo, mense junii, VI ydus, ego Guillelmus, Magalonensis episcopus, ... concedo tibi Guillelme, uxori Poncii Gariberti, filie condam Ademaris de *Montels* et Ermenssendis uxoris ejus, et tuis ad omnes voluntates tuas, . exceptis... cum consilio (1) tamen meo meorumque successorum, scilicet totam illam terciam partem tocius mansi, quam tibi advenit pars tua (2) pro paterna et materna hereditate, et pro fayresca tua : ita tibi laudo et concedo quod primus tuus filius erit pro predicta hereditate tua noster homo nostrorumque successorum : et si forte tu predicta decesseris sine liberis legitimis, erit noster homo similiter nostrorumque successorum ille cui, in testamento tuo, predictam partem tuam dimiseris (3).

Et est tamen sciendum quod, pro predicta parte tua, facies et persolves nobis et nostris successoribus, singulis annis, terciam partem tocius usatici et albergi, quod pater tuus et mater tua pro toto manso nobis faciebant, et antecessoribus nostris unquam fecerunt (4) : et fratres tui persolvent nobis et nostris successoribus alias duas partes pro partibus suis. Et propter istam laudationem et concessionem, ego habui a te et integre recepi quinquaginta solidos melgorienses, ita tamen quod nichil ex eis penitus penes te remansit in debito.

(1) Cart.: *concilio*.
(2) Cart.: *paralue*.
(3) Cart.: *dimisseris*.
(4) Cart.: *faciebant, neque successoribus nostris nunquam fecerunt*.

Hoc tamen fuit laudatum et concessum in curia nostra (1) in castro Villenove in porticu infra portam medianam, in presencia et testimonio Bremundi, prioris de Perols, Bernardi de Frontiniano oper[arii] (*déchirure de 6 centim.*), bajuli domini episcopi, R. de Ferraceriis, G. Fabri, Vitalis, G. Saguaire, Johannis Fabri, Martini Amanon, et Petri Alamandi, notarii publici, qui hec scripsit.

(Reg. C, fol. 226 v°).

CCCVI. — 1er février 1210 (n. s. 1211)

Raimond VI, comte de Toulouse, émancipe son fils Raimond VII.

In nomine Domini Nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnatione ejusdem M° II^c X°, kalendis februarii, in vigilia scilicet Beate Marie, Othone, Romanorum imperatore, et Philippo, rege Francorum. Quoniam emancipationis et ceteros actus legitimos, qui ex voluntaria pendent indictione, coram competenti judice fieri debent juris dictat ratio, ideo ego R[aimundus], Dei gratia dux Narbone, comes Tholose, marchio Provincie, filius regine Constancie, te filium meum R[aimundum], filium regine Johanne, presentem et expressim consencientem, apud memetipsum, qui presidiali fungor auctoritate, emancipo, et a paterna (2) potestate te penitus libero et absolvo, teque patremfamilias et tui juris esse constituo.

Predicta itaque emancipatione secuta, ego predictus R[aimundus] dux, comes et marchio, bono animo et spontanea voluntate, dono, et titulo perfecte donationis inter vivos trado imperpetuum, cum hac carta, tibi jamdicto filio meo Raymundo, et successoribus tuis, omnem terram meam cum civitatibus et burgis, castris, villis, munitionibus et omnibus eorum pertinenciis, cum pedagiis, et usaticis, et feuvalibus,

---

(1) Cart.: *sua*.

(2) Il semblerait, dans le *Cartulaire*, y avoir plutôt : *propria*. On peut lire *pria* aussi bien que *pna*, surmonté d'un trait.

demum omnia bona et jura mea, que modo habeo, teneo et possideo, vel in futurum adquirere potero, vel aliquis a me habet, tenet et possidet : usumfructum tamen in diebus vite mee in omnibus predictis michi retineo.

Item excipio quod Bertrandeto, qui filius meus dicitur (1), vel alicui seu aliquibus de vestris fidelibus, quicquid voluero de predictis bonis valeam jure donationis largiri, vel ubicumque voluero pro anima mea relinquere.

Predictis hiis omnibus, in formam suprascriptam completis et confirmatis, dicta donatio, ne, occasione immensitatis, in aliquo valeat retractari, in scriptis insinuata fuit coram predicto R[aimundo] et B. Radulfo, ipsius judice et cancellario.

Hujus rei sunt testes Heleasarius de Uccia, tunc in castro Bellicadri vicarius, Rostagnus de Sancto Privato, R. Carguerius, Bremundus de *Salve*, P. Almera, R. Gaufridus, P. Guillelmus de *Albaras*, Sancius Espaza, A. de Palimis, magister P. fisicus, et ego P. Arnaldus, domini comitis notarius, qui, mandato (2) utriusque partis, hoc instrumentum scripsi, complevi atque composui : et ego Bertrandus Radulfi, judex et cancellarius hoc instrumentum sigillavi et eidem subscripsi : *Cor mundum crea in me Deus*.

(Reg. F, fol. 81 r°).

CCCVII. — 8 février 1210 n. s. 1211

Accord entre l'évêque et les consuls au sujet des élections consulaires.

In nomine Domini Nostri Jesu Christi. Constat ratione fore cautum quod ea que in scriptis rediguntur, facilius retinentur et melius memorie mandantur. Noscant igitur presentes sciantque futuri quod he conventiones facte sunt inter dominum Guillelmum, Magalonensem episcopum, et XII consules Montispessulani, confirmate a legatis domini Pape.

---

(1) Bertrand, fils naturel de Raimond VI.

(2) Cart.: *mandatus*.

Cum tempus eleccionis XII consulum Montispessulani evenerit, auctore Jesu Christo, puris electorum mentibus sinceroque omnium judicio eorum electio et institutio in unoquoque anno fiat imperpetuum in kalendis martii ; ita quod electi consules incipiant regere et administrare in Annuntiacione Dominica.

Que (1) electio et institutio fiat hoc modo : venerabilis Magalonensis Sedis episcopus, ad quem cura populi spiritualiter pertinet, et superior temporalis dominatio indubitanter spectat, et tunc XII existentes consules, coadunatis sibi in eadem eleccione facienda septem aliis viris, uno videlicet de unaquaque scala, eligant XII viros de Montepessulano, laude et honestate preclaros, prestito tamen prius a prefatis electoribus sacramento super sancta Dei evangelia in manu domini episcopi, factaque promissione in bona fide requisita ab ipso episcopo quod bonos et legales (2) et utiles consules, secundum quod melius eis videbitur, bona fide eligant, nec aliquem odio vel inimicicia excludant, nec amore nec parentela aliquem in hoc officio et administratione eligant.

Si vero in electione predicta omnes insimul non convenirent, ejus partis electio firma consistat cui dominus episcopus assensum suum attribuerit, dum tamen in ea parte ad minus septem ex decem et novem electorum affuerint.

Si autem, dicto tempore eleccionis, dominus Magalonensis episcopus absens fuerit extra provinciam, vel vocatus ipse vel ejus vicarius adesse noluerit (3), tunc electio a XII consulibus et septem viris predictis, vel a majori parte ipsorum X et novem electorum facta, valida firmitate et irrevocabili existat.

Qui XII consules, de novo electi, jurabunt in manu domini episcopi, vel, eo absente, ejus vicarii, super sancta Dei evangelia, vel, ipsis absentibus et interesse nolentibus, in manu consulum, vice episcopi recipiencium, quod bona fide consulant et utiliter provideant toti communitati Montispessulani,

(1) Cart.: *Et ne.*
(2) Cart : *reales.*
(3) Cart.: *voluerit.*

et eam fideliter regant et gubernent, et statuta consulatus observent, et similiter quod bona fide consulant domino et bajulo curie.

Et preterea jurabunt, quod, ad cognitionem domini episcopi [et] Magalonensis Ecclesie, pacem et pacis statum bona fide custodiant, et custodiri faciant, et omnia ad fidem catholicam pertinencia servent, et quod dominum Magalonensem episcopum et Ecclesiam Magalonensem bona fide consulant, et eorum jura et ecclesiarum deffendant.

Quibus XII consulibus, pro se et universitate recipientibus, dominus Magalonensis episcopus, tam pro se quam pro Ecclesia Magalonensi, firmiter promittet quod ipsis et toti universitati utiliter bona fide consulet (1), et eos et universitatem, et singulos, et universitatis et singulorum jura ab omni injuria, et violencia, et oppressione bona fide defendet (2).

Si autem, quod Deus avertat, aliquis consulum, durante officio, decederet, vel in ea administratione tam negligenter et perverse se haberet, quod non tantum inutilis, sed dampnosus communitati appareret, tunc dominus episcopus et ceteri consules alium, loco demortui vel (3) remoti, substituant secundum formam superius expressam, qui omnia superiora jurare teneatur (4).

Verumtamem in istis XII consulibus non ponetur nisi unus solus de uno alberguo, nec in hoc officio erit aliquis continue, nisi per annum.

In [maximis] siquidem et arduis negociis consilium domini episcopi requiretur, et ejus consilio tractabuntur, promisso super illis secreto a domino episcopo.

Hec autem omnia universa et singula perpetuo et inviolabiliter observentur, vigentibus tamen in aliis et in sua firmitate persistentibus omnibus et singulis a rege et a domina regina, et consuetudinibus, olim concessis XII consulibus et universitati Montispessulani, salvo jure domine Marie regine.

(1) Cart.: *consulent.*

(2) Cart.: *deffendant.*

(3) Cart.: *et.*

(4) Cart.: *tenentur.*

Universa hec predicta et singula, sicud superius continentur, solempni stipulacione vallata perpetuo valitura, per se et per omnes successores suos, ad invicem laudaverunt et confirmaverunt, et a se et successoribus suis observari promiserunt dominus G[uillelmus] de Altiniaco, Magalonensis episcopus, in bona fide sua requisita, et consules Montispessulani Johannes Boccados, Stephanus Johannini, Guillelmus de Lunello, Luccas Pulverelli, Raymundus de Sancto Tiberio, Bertrandus de Venranicis, Bn. de Montaniaco, Pontius R., P. Salvaire, Bernardus Macellarius, Gerardus Tahon, et R. Carbonelli per sacramentum super sancta Dei evangelia in manu domini episcopi corporaliter prestitum, coram Raymundo, Dei gracia Uticensi episcopo, Apostolice Sedis legato, qui, pro se et domino A[rnaldo], Cisterciensi abbate, Apostolice Sedis legato, hec omnia confirmavit, approbavit et corroboravit auctoritate legationis qua fungitur.

Acta sunt hec omnia in domo communitatis Montispessulani, anno Dominice Incarnationis M° II^{c} decimo, sexto idus februarii. Horum omnium testes sunt dominus G., Dei gratia Avinionensis episcopus, Bertrandus, Magalonensis prepositus, P. de Acrifolio archidiaconus, Bernardus de Mesoa, Bernardus de Montealto, canonici Magalonenses, Stephanus de Miscedia, frater Martinus, Guillelmus de Costa, Johannes de Latis, P. Guiraldi, Guillelmus de Petra, R. Atbrandi, G. de Conchis, P. de Bizanchis, Johannes de Casera bajulus, Johannes Luciani, P. Lobeti, R. Capud de Bove, Poncius Vitalis, Deodatus Boccados, Deodatus de Fanx, G. Petri, P. Franchiis, R. de Arlenis, Durantus Mercerius, P. Boterius, P. Ymberti, Ymbertus frater ejus, et consules officiorum, et alii quam plures quibus fere tota domus plena erat, et Ugo Laurencii notarius, qui, mandato parcium, hec scripsit.

(Reg. A, fol. 176 v°, et D, fol. 311 r° ; édité par Germain, *Hist. de la commune de Montpellier*, t. I, p. 349.)

CCVIII. — Février 1210 (n. s. 1211)

Raimond VI, comte de Toulouse, donne, en fief, Balaruc à Gui Chef-de-Porc.

Notum sit omnibus hominibus quod, anno Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi M° II° X°, mense februarii, ego Raimundus, Dei gratia dux Narbone, comes Tholose, marchio Provincie, per me et per meos, dono in feudum honoratum Guidoni de Capite Porco et suis heredibus totum castrum de Badaluco, cum omnibus terminis et pertinenciis suis, et omne potestativum, et dominium, et segnoriam ejusdem castri, et omnem jurisdictionem in omnibus militibus et hominibus et feminis, et fidelitatem eorumdem ; et in omnibus terris montuosis et planis ejusdem castri, cultis et incultis, et in nemoribus, et in aquis dulcibus et salsatis, et in molendinis et furnis omnibus.

Quam donationem facio sibi propter preces domini Henrici, Sanctionensis episcopi, et multorum aliorum amicorum nostrorum, et maxime propter multa servicia que michi prefatus Guido fecit; et quia pro me solvit sex millia solidorum mergoriensium de sorte Bernardo Capitali et Petro Arma Nigra lombardis ; et propter duo millia solidorum, quos in eis mandato meo expendit ; et propter gravamina predictorum VI millium solidorum, de quibus omnibus nunc et imperpetuum per me et per meos credam, et credo sibi et suis simplici verbo.

Et propter hoc feudum honoratum et censatum, faciet ipse et sui michi et meis albergium X militum tantum, ubicumque ipse Guido et sui voluerint, cum ab eis fuerit requisitum, et non aliter facere teneantur. Et similiter, pro me et meis, faciet guerram de castro cum hominibus suis tantum infra leucam a castro, nisi contra Ecclesiam et dominum Montispessulani, et nichil aliud ipse et sui pro castro facere teneantur.

Et promitto, per me et per meos, sibi et suis eviccionem totius castri et cujuslibet partis ejus; et quod castrum ei

deffendam ab omni homine de facto et jure; et de hoc ipsum et suos recipio in Dei fide et mea; et mando militibus et aliis omnibus hominibus de castro, quod ei et suis fidelitatem jurent, sicud michi.

Acta sunt hec omnia et laudata apud Marcilianum, in presentia R. Ricaldi, Eudoati, Alamanni [de] Miravalle, Guillelmi de Meczano, Lamfranci, magistri Guillelmi et magistri Petri, et multorum aliorum et Johannis Scriptoris, qui, mandato ejusdem domini comitis, et Petri Arnaldi notarii ejus, hanc cartam rogatus scripsit et sigillavit.

Eodem modo, sibi dono jus quod habeo in Seta, et albergum XXV militum in domini. Frontiniani pro pasturalibus Frontiniani; et albergum XL militum in hominibus Sancti Vincencii juxta Porcianum. Quod actum fuit statim in presencia eorumdem testium.

(Reg. F, fol. 51 v°; édité par Germain dans *Balaruc*, p. 2, note 4).

CCIX. — Février 1210 n. s. 1211

Pour reconnaître les services que lui a rendus Gui Chef-de-Porc, Raimond VI lui inféode Balaruc.

[I]n nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Anno Incarnationis ejusdem M° CC° X°, mense februarii, ego Raymundus, filius quondam regine Constancie, per Dei gratiam, dux Narbone, comes Tholose [et] Melgorii, marchio Provincie, scio et in veritate cum hac carta cognosco, quod ego debebam [VI] M (1) solidos melgorienses, minus C solidis, tibi Guidoni de Capite Porco, quos (2) pro me solvisti et numerasti Lombardis, pro debito quod eis juramento debebam, et pro gravamine ejusdem debiti; similiter pro tribus equis, quos mandato meo eis dedisti, et pro expensis quas precibus meis,

(1) Le Cartulaire est déchiré : nous rétablissons le texte d'après l'acte précédent avec lequel celui-ci a beaucoup de ressemblance.

(2) Cart.: *quod*.

tribus annis, in eis fecisti (1) : pro qua summa pecunie, et pro recognoscendo servicio quod michi semper exibuisti, per me et per meos dono, trado tibi et tuis in feudum honoratum et censatum castrum totum de Badaluco, et omnem senioriam ejusdem castri, et firmancias militum et aliorum hominum, et justicias omnes et generaliter omnia jura pertinencia ad idem castrum in personis et rebus cum omnibus terminis et pertineneciis castri, per terram et per aquam : et de omnibus te investio, et me devestio ad intellectum et utilitatem tuam et tuorum ; et sollempni stipulatione, per me et per meos, tibi, prephato Guidoni, et tuis promitto, quod ipsum castrum predictum faciam te et tuos habere et possidere ; et evictionem ejusdem castri et cujuslibet partis ejus, tibi promitto : pro quo castro facies michi albergam tantum ad decem milites, semel in anno ; et extra castrum et non aliter facere tenearis michi tantum cum a te vel tuis fuerit petitum ; nec aliquid aliud pro castro facere tenearis tu vel tui, michi vel meis, propter guerram quam pro me facere debetis infra unam leugam tantum a castro, exceptis hominibus Montispessulani ; ad commonicionem tamen meam tantum guerram facies omnibus, nisi hominibus Montispessulani, contra quos guerram facere non debetis, nec contra Ecclesiam.

Preterea est sciendum quod ipsum castrum reddere non debes michi vel meis, et quod nullo tempore contra aliquod supradictorum veniam per me vel per meos, et de hiis omnibus servandis recipio te et tuos in Dei fide et mea.

Acta sunt hec et laudata in domo Sancti Martini de Pruneto in presencia et testimonio Dragonen, B. de *Salve*, et R. Talgere, et G. Guasci juvenis, et Gaudelmarii, et P. Guytardini, et G. de Medena, et P. Arnaldi, domini comitis notarii, qui, mandato ejusdem domini comitis, hanc cartam scripsit, et bullam plumbeam imposuit.

(Reg. C, fol. 222 v°).

Cet acte et le précédent méritent de nous arrêter un instant. Cette donation donnera lieu à un grand procès entre Gui Chef-de-

(1) Cart.: *fecistis*.

Porc et Bernard de Mèze. On en trouvera les pièces, dans leur intégralité, à la fin du VII[e] Fascicule de cette Publication. S'appuyant sur Arnaud de Verdale, et nous appuyant sur lui, Germain avait dit que Bernard de Mèze avait eu gain de cause. Il n'en est rien. De fait, la donation de Raimond VI fut confirmée par l'archevêque de Narbonne : l'évêque de Maguelone rentra seulement en possession du château de Balaruc, et non de la ville. Il faut corriger sur ce point, en nous appuyant sur le *Cartulaire*, tout ce qu'a dit Germain à propos de cette affaire dans son étude sur *Balaruc*, et tout ce que nous avons dit nous-même dans les notes du *Bullaire*. En particulier, la vente de Balaruc, faite par Béatrix, femme de Gui Chef-de-Porc, après la mort de son mari, à Jacques d'Aragon, était parfaitement légitime. On trouvera cet acte dans le Fascicule VIII.

Raimond VI oublie de mentionner une des raisons pour lesquelles il donna Balaruc à Gui Chef-de-Porc : il l'avait envoyé auprès d'Innocent III plaider sa cause. Plus tard, le comte reconnut avoir été desservi par son chancelier. — Voir toute cette affaire dans le Fascicule VII, à la fin, où nous avons groupé les pièces relatives à Balaruc.

CCCX. — 21 mars 1210 (n. s. 1211)

Échange entre Guillaume d'Autignac, évêque de Maguelone, et Jean Boccados.

Anno Dominice Incarnationis M° CC° decimo, duodecimo kalendas aprilis, ego Guillelmus de Altiniaco, Dei gratia Magalonensis episcopus,... concedo, titulo permutacionis et escambii imperpetuum valituri, tibi, Johanni Boccados et tuis, ad omnes voluntates tuas tuorumque plenarie faciendas, cum consilio tamen meo et meorum, videlicet totam unam peciam vinee cum terra in qua est, et suis omnibus pertinenciis, que est in decimaria Sancti Dyonisii de Montepessulaneto, et confrontatur ex una parte cum vinea R. Benedicti, et ex alia cum ortali P. de Bizanchis, et ex alia cum flumine Lesi, et ex alia cum vinea Stephani Bari, et ex alia cum via qua itur ad Saimalencx ;

Et totum medium quartum, quod habebam et habere debebam in tota una pecia terre vinee, quam tenet Guillelmus Bonius in eadem decimaria Sancti Dyonisii, que confrontatur

ex duabus partibus cum vinea tui, Johannis Boccados, et ex alia cum vinea viguerie, et ex alia cum honore magistri Guidonis, via publica in medio qua itur ad Saimalenex;

Et totum medium quartum quod habebam et habere debebam in una pecia vinee quam tenet vigueria, que confrontatur ex una parte cum vinea G. Bonii, et ex duabus partibus cum vineis tui Johannis de Boccados, et ex alia cum podio Montispessulaneti, via in medio, et in alia cum honore magistri Guidonis, altera via in medio, qua itur ad Saimalenex.

Et est sciendum quod in istis duabus peciis vinearum, scilicet in vinea G. Bonii et in vinea viguerie, tu, dictus Johannes Boccados, habebas ante hanc permutacionem aliud medium quartum; et ita habebitis et percipietis de cetero, tu et tui, pleno et integro jure in ipsis duabus peciis vinearum totum quartum.

Totam supradictam peciam vinee et totum medium quartum, quod in aliis supra confrontatis duabus peciis vinearum habebam, vel habere debebam, et eorum jura, tibi, dicto Johanni Boccados, et tuis, cedo et concedo, titulo permutacionis et escambii, pro infrascriptis octavis que a te, Johanne Boccados, nomine escambii, recipio; et ea omnia et singula in te et tuos perpetuo transfero irrevocabiliter, per me et per omnes successores meos, ad omnes voluntates tuas tuorumque plenarie faciendas, retentis michi in eis et meis (1), consilio et laudimio, et annuatim in dicta vinea XII denariis pro usatico, solummodo sciens et in veritate profitens utilitati mee et omnium successorum meorum et Magalonensis episcopatus respicere predicta escambia fieri; et ea que a te pro escambio predictorum recipio, pocius ad utilitatem meam, et successorum meorum, et Magalonensis episcopatus pertinere, quam ea que tibi superius in escambium dedi.

Et ego Johannes Boccados... pro hiis que superius a te, dicto domino Guillelmo de Altiniaco, Magalonensi episcopo, pro escambio recepi, dono... tibi ipsi domino episcopo et omnibus successoribus tuis titulo permutacionis et escambii

(1) Cart.: *retentis michi in eis michi et meis.*

perpetuo valituri, ad omnes voluntates tuas, et successorum tuorum plenarie faciendas, absque omni mei (1) meorumque inquietudine et retencione, videlicet totum octavum seu medium quartum, quod habebam, et habere et percipere debebam, in tota illa condamina quam Petrus Tropassens, et Guillelma soror ejus, uxor condam Poncii de Montearbedone, tenent : que est in predicta decimaria Sancti Dyonisii de Montepessulaneto, que confrontatur ex una parte cum campo condam Durandi Bonafos, et ex alia parte cum campo P. Basterii, et cum podio Montispessulaneti, via in medio qua itur ad Saimalenex, et ex alia parte cum camino publico, quo itur de Portali Montispessulaneti ad Crozes ;

Et totum octavum, seu medium quartum, quod habebam et percipiebam, et habere et percipere debebam, in omnibus campis et vineis, et in toto alio honore, culto et inculto, que Petrus Guntardi nunc habet vel tenet, vel aliquis per eum, in tota masura sua ;

Et totum octavum seu medium quartum quod habeo, et habere debeo, in una pecia terre de na Dahura, que confrontatur ex duabus partibus cum honore P. Guntardi, et ex alia cum campo Stephani Benedicti, et ex alia cum carreria qua itur ad Mortem Asinorum ;

Et totum octavum, seu medium quartum, quod habeo et habere debeo in una pecia terre, quam tenet Bernardus Pulverelli, que confrontatur ex una parte cum campo P. Guntardi, et ex alia parte cum vinea Lamberte, et ex alia cum condamina que fuit Poncii Godafredi, que modo est Petri Tropasseni, et Guillelme sororis ejus, agarella in medio ;

Et totum octavum, seu medium quartum, quod habeo et habere debeo in tota una pecia vinee, quam tenet Lamberta, que confrontatur ex una parte cum vinea Bernardi Pulverelli, et ex alia cum campo G. Auruoli, et fratris ejus.

Omnia supradicta octava, seu media quarta, et eorum jura, sicud unquam Guiraldus Pet[ri] et Erminia, ejus uxor, vel aliquis per eos, ea melius habuerunt et possederunt, vel quasi

(1) Cart.: *me*.

possederunt, tibi dicto domino V[uillelmo] de Altiniaco, Magalonensi episcopo, et omnibus successoribus tuis, dono... tytulo permutationis et escambii pro supradicta vinea, et pro predictis mediis quartis a te, dicto domino Magalonensi episcopo, superius in nomine escambii datis ; et ea omnia et singula in te et successores tuos perpetuo irrevocabiliter transfero, per me et per omnes heredes et successores meos, ad omnes voluntates vestras plenarie faciendas, absque omni mea meorumque inquietudine et retencione.

Et nos, predictus Guillelmus, Dei gratia Magalonensis episcopus, et Johannes Boccados, omnia predicta et singula ad invicem laudantes et confirmantes, et de predictis honoribus, et octavis, seu mediis quartis, nos mutuatim possessores vel quasi possessores constituentes, et possessionem, vel quasi possessionem eorum que ad invicem pro escambio dedimus, alter in alterum transferentes, promittimus et convenimus quisque alteri per stipulationem, quod omnia predicta et singula, sicud ab altero (1) nostrum alteri pro escambio data sunt, faciemus alter alterum semper habere et tenere quiete, ab omni contradicente jure deffendemus ; et pro eviccione universali et particulari, si forte in aliquo eorum que ego dictus G[uillelmus], Magalonensis episcopus, tibi Johanni Boccados pro escambio dedi, fieri contingat, omnia bona Magalonensis episcopatus tibi et tuis teneri et obligata esse volo.

Et similiter pro eviccione universali et particulari, si forte in aliquo eorum que ego Johannes Boccados pro escambio dedi, fieri contingat, omnia bona et jura mea, mobilia et immobilia, presencia et futura, tibi et tuis teneri et obligata esse volo.

Item ego, dictus G[uillelmus], Dei gratia Magalonensis episcopus, per me et per omnes successores meos, et ego, dictus Johannes Boccados, per me et per omnes heredes et successores nostros, alter alteri per stipulationem promittimus, quod nunquam contra predicta escambia vel aliquid

---

1) Cart.: *alteri*.

predictorum, occasione majoris valencie seu alterius cujuslibet rei occasione, veniemus, vel venire faciemus, vel venire temptabimus, nec aliquis arte nostra vel ingenio : renunciantes ex certa sciencia, per nos et per omnes successores nostros, omni juri scripto et non scripto, divino et humano, seculari et canonico, et omnibus privilegiis et auxiliis indultis et indulgendis, quibus contra predicta, vel aliquid predictorum, nunc vel infuturum venire possemus.

Acta sunt hec et laudata apud Montempessulanum, anno et die quo supra, in domo domini Magalonensis episcopi, in presencia et testimonio domini Petri de Agrifolio, Magalonensis archidiaconi, Johannis de Latis, Johannis de Orlaco, Guillelmi de Azellano, Guiraldi de Cocone, Petri Petiti, Guillelmi Bocados, et Jacobi Laurencii notarii, qui hec omnia scripsit, rogatus a partibus.

(Reg. D, fol. 156 r°).

CCCXI. — 4 mai 1211

Accord à propos de Notre-Dame de Beaulieu entre Pierre de Montaud, procureur de Saint-Pierre d'Aissedanègues, et Laurette.

In nomine Domini. Anno Incarnationis ejusdem millesimo CC° XI°, IIII° nonas madii, ego Petrus de Montealto, procurator et nomine procuratorio Sancti Petri de *Aissadaniers*, voluntate et assensu domini G[uillelmi] de Altiniaco, Magalonensis episcopi, et P. de Lunello, archidiaconi, laudo et concedo in perpetuum tibi Laurete, ad honorem Dei et salutem anime tue, et omnibus successoribus tuis, in ecclesia infra scripta, voluntate et assensu Magalonensis episcopi receptis, capellam ecclesie Sancte Marie de Belloloco cum omni dote sua ; et concedo tibi cimiterium ibidem, et fratribus et sororibus ibidem degentibus, et eciam familie tue, de voluntate tamen et assensu domini episcopi ibi receptis ; ita tamen quod, in dicta capella, nullatenus tu vel tui successores debetis recipere parrochianos Sancti Petri de *Aissadaniers* vel

Sancti Cesarii de Lentresceleriis (1), nec divina officia celebrare : et si forte dicte ecclesie, vel aliqua earum ullo (2) tempore fuerint interdicte, cessabis similiter in dicta capella a divinis, nisi tantum tibi et familie tue secreto.

Decimas vero et primitias totius honoris, quem dicta capellania, modo vel infuturum, Deo annuente, adquiret, dabis fideliter ecclesie Sancti Petri de Aissadanicis ; nec aliquid inpetrare vel facere debes, per te vel per alium, tu vel successores tui, quominus decimas et primicias fideliter persolvas, nec oblationes parrochianorum dictarum ecclesiarum in dicta capella recipies, nec eciam vigilias, nisi infirmancium, vel in sabbatis.

Et ego, Laureta, hec omnia et singula predicta vera esse agnoscens, et ad honorem Dei et salutem anime mee dictam capellam recipiens, dono et concedo in perpetuum, amore Dei et pro salute anime mee, Domino Deo et dicte capelle Beate Marie, pro libero alodio, totum hoc, quicquid sit, quod ego habeo, per me vel per alium, vel aliquis per me, vel nomine meo, in tota parrochia de Aissadanicis ; insuper etiam campum de Doansza, quem habeo ad Lunellum veterem promitto, et precium inde habitum receptum mittere in honorem circa dictam cappellam : hic campus confrontatur a vento cum terra Fiscalmi, et a circio cum camino Melgorii, et ex alia parte cum via qua itur ad Sanctum Justum.

Scio eciam, et confiteor, quod [pro] predicta capella, ego et successores mei, singulis annis perhenniter, in sinodo Sancti Luce, dare tenemur ecclesie Sancti Petri de Aissadanicis V solidos melgorienses nomine canonis.

Et ego G[uillelmus], Dei gratia Magalonensis episcopus, hec omnia laudo et confirmo ; et ad majorem firmitatem habendam presentem paginam bulle mee impositione consigno.

Acta sunt hec et laudata in stari domini episcopi apud Montempessulanum. Testes sunt dominus P. abbas Vallis-

(1) Saint-Pierre d'Aissedanègues est l'ancien nom du Beaulieu actuel ; l'autre village nommé est Restinclières.

(2) Cart. : *nullo*.

magne. B. de Costa prior ejusdem, G. Zabat Bonafos capellanus de Montelauro, Bertrar nardo, B. de Burbuzon, B. Leonis, et ' a notarius, qui hec mandatus scripsit.

(Reg. A, fol. 251 v°, et E. e par M. l'abbé Villemagne, dai *rique du diocèse de Montpellier*, t. I

C'est le plus ancien document que nous connaissions sur l'église de Notre-Dame de Beaulieu. Si on pèse bien tous les mots, on verra que nous sommes en présence d'un couvent fondé à cette époque auprès de ce sanctuaire, et qui, comme celui de Saint-Léon, fondé quelques années plus tard, eut une existence éphémère. Ce serait donc le troisième monastère fondé dans le diocèse à cette époque, et le premier par ordre de date. Arboras ne devait être fondé que deux ou trois ans après.

CCCXII. — 5 mai 1211

Échange entre Guillaume d'Autignac, évêque de Maguelone, et Guillaume de Conques.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Ego Guillelmus de Altiniaco, Dei gratia Magalonensis episcopus, cognoscens infrascriptum escambium ad augmentum et utilitatem meam et successorum meorum pertinere.... jure permutacionis seu escambii dono et imperpetuum concedo tibi, Guillelmo de Conchis, et tuis, et quibuscumque volueritis ad omnes... exceptis..., cum consilio tamen meo et successorum meorum, videlicet totum medium quartum quod ego et antecessores mei habuimus et percepimus in sex peciis terrarum et in una carreria, que sunt in decimaria Sancti Dionisii de Montepessulaneto.

Una ex predictis sex peciis terrarum confrontatur a vento et corina cum terra tui, Guillelmi de Conchis, et a vento cum terra que fuit Boneti Anguile, et ab aquilone cum terra Hugonis de Porta, et a circio cum terra que fuit Poncii de Ferragine.

Secunda pecia confrontatur a vento cum predicta terra P. Bertrandi, et a corina cum terra tui, Guillelmi de Conchis, et a circio cum terra G. Arnaldi, et ab aquilone cum terra Hugonis de Porta.

Tercia pecia terre confrontatur ex una parte cum terra que fuit Poncii de Ferragine, et a corina cum terra tui, Guillelmi de Conchis, et a circio cum terra que fuit Saurine, filie quondam Lamberti de Ferragine, que modo est tui, Guillelmi de Conchis, et ab aquilone cum terra Hugonis de Porta.

Quarta pecia confrontatur a vento cum terra Guillelmi Arnaldi et fratris sui, et a corina et a circio cum terra tui, Guillelmi de Conchis, et ab aquilone cum terra sororis dicte Saurine, uxoris Micaelis Pastre, garillano in medio quod exit de Flocaria.

Quinta pecia confrontatur a vento cum terra Guillelmi Arnaldi et ejus fratris, et a corina cum terra tui, Guillelmi de Conchis, et a circio cum terra que fuit P. Basterii, quam modo tenet G. de Cavannaco, et ab aquilone cum terra Hugonis de Porta.

Sexta pecia confrontatur a vento cum honore Guillelmi Johannis, et a corina cum terra Petri Bertrandi, et cum terra Poncii de Ferragine, et cum terra Saurine, et cum terra uxoris Michaelis Pastre ; et a circio cum exhitu, sive carreria, et cum domibus ejusdem Hugonis de Porta ; et ab aquilone cum via publica, qua itur de portali Montispessulaneti versus portaletum.

Carreria est communis cum predictis honoribus, et confrontatur a vento cum terra Hugonis de Porta, et a circio cum terra quondam P. Basterii, quam tenet G. de Cavannacho, et ab aquilone cum via publica ; et totum jus, quod in predictis sex peciis terrarum et in dicta carreria habebam, vel habere poteram seu debebam, nomine medii quarti, vel census, seu usatici, vel alterius cujuslibet rei vel cause comtemplatione, que dici vel excogitari possit, tibi et tuis titulo permutacionis seu escambii, pro infrascripto escambio a vobis michi concesso, dono et imperpetuum sine aliqua retractacione concedo, et in te et tuos prorsus transfero, et jus possessionis vel quasi

possessionis omnium predictorum et singulorum in vos transfero, et propria auctoritate vestra ipsam vos adipisci volo ; et inde me disvestiendo, vos investio, retento tamen in omnibus predictis, dominio et consilio et laudimio, et pro usatico tantum modo septem denariis et obolo in unoquoque anno, in festo sancti Michaelis, michi et successoribus meis.

Et Ego Guillelmus de Conchis, pro supradictis a vobis, domino Guillelmo de Altiniaco, Magalonensi episcopo, jure permutationis et escambii michi concessis et datis... dono... vobis Guillelmo, Magalonensi episcopo, et omnibus successoribus vestris, ad faciendas plenarie omnes voluntates vestras sine aliqua retencione, videlicet totam duodecimam partem dominacionis, et laudimii, et consilii, et sex solidos et quatuor denarios censuales, et omne aliud jus, quodcumque et qualecumque Petrus de Conchis, pater meus, habuit et percepit in tota illa tenetura domorum et aliorum honorum, sicut confrontantur ex una parte cum carreria recta de Flocaria, qua itur de Agullaria veteri ad ecclesiam Sancte Fidis, et ex alia parte cum via qua itur de domo quondam Nicolai de Mecio ad portale Montispessulaneti, et ex alia parte cum via qua itur ab eodem portali ad ecclesiam Sancte Fidis ; et totum jus quod in honoribus, infra predictas confrontaciones contentis, predictus pater meus et egomet vel habuimus, vel habere possumus, seu debemus, nomine laudimii, consilii, dominii, dominacionis, census, usatici, vel alterius cujuslibet rei vel cause contemplacione, que dici vel excogitari possit, vobis et vestris successoribus, titulo permutacionis seu escambii, pro suprascripto escambio, a vobis michi concesso, dono et imperpetuum, sine aliqua retractatione, concedo, et in vos et vestros successores sine aliqua retencione transfero, et jus possessionis vel quasi possessionis predictorum omnium et singulorum in vos transfero, et propria auctoritate vestra ipsam vos adipisci volo, et inde vos investiendo me disvestio.

Et nos Guillelmus, Dei gratia Magalonensis episcopus, et Guillelmus de Conchis, omnia predicta et singula ad invicem laudantes et confirmantes, et nos et nostra inde de evictione ad invicem obligantes, promittimus et convenimus per stipu-

lacionem alter alteri quod, occasione majoris et minoris valencie, vel cujuslibet alterius rei vel cause, que dici vel excogitari possit, contra predicta vel aliquod predictorum, aliquo jure divino vel humano, nunquam veniemus, vel aliquem contra venire faciemus, seu patiemur; sed omnia predicta et singula, incomota et inviolata irrevocabiliter, per nos et per omnes successores nostros, imperpetuum tenebimus et observabimus.

Preterea ego, predictus Guillelmus Dei gratia Magalonensis episcopus, scio et recognosco te, Guillelme de Conchis, michi reddidisse instrumentum, cum quo Petrus de Conchis, pater tuus, [acquisivit] predicta, a te michi, jure escambii et permutacionis, data et concessa (1), a Petro Rotgairon, filio Rotguerii speciatoris, et a Petro Basterii, scriptum per manum Guillelmi Raimundi notarii.

Acta sunt hec omnia et laudata, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo undecimo, tercio nonas madii, in presencia et testimonio Petri de Lunello, Magalonensis archidiaconi, Johannis de Latis, Raimundi Benedicti, Guiraldi de Cocone, Petri Deodati, Petri de Gijano, Arnaldi Marinarii, Bernardi Petiti, et Jacobi Laurencii notarii, qui hec scripsit, rogatus a partibus.

(Reg. E, fol. 137 r°).

CCCXIII. — 5 août 1211

Accord entre Guillaume d'Autignac et Pons Pierre, seigneur de Ganges.

In nomine Domini. Anno ab Incarnatione ejusdem M° II° undecimo, nonis augusti, controversia vertebatur inter dominum Guillelmum de Altiniaco, Magalonensem episcopum ex una parte, et Pontium Petri de Agantico ex alia, coram Bernardo de Vallauquesio, et Johanne de Orllaco, et P. Boterio

(1) Cart.: *concessa sunt*.

paciariis (1), in quibus partes tamquam in judices ordinarios compromiserunt, et concesserunt.

Petebat siquidem dominus G[uillelmus], Magalonensis episcopus, a predicto Poncio Petri de Agantico, hominium et servicium pro feudo quod ab eo tenet in villa de Agantico, scilicet portale de Cruce, et portale Bocherium, et muros constructos a domo Petri de Duabus Equabus usque ad domum que fuit Raymundi Boniamici, et ad duas domos ultra, et omnia illa que sunt circa dicta portalia et dictos muros intus et extra.

Item dicebat et allegabat, quod stare, in quo Poncius Petri manet, tenetur a domino Magalonensi episcopo: pro quo feudo, et quibusdam aliis feodis, que scripta sunt in quodam alio instrumento per alphabetum diviso in jure producto, et ab utraque parte credito, per manum Arolphini subdiaconi Sancti Firmini scripto, quod sic incipit: *In nomine Domini. Ego Raymundus Petri, et ego Pontius Petri de Agantico, ambo fratres,* et cetera, et sic finitur: *Arolfinus, subdiaconus Sancti Firmini, hujus carte testis et scriptor est* (2), dicebat, quod Poncius Petri debebat facere hominium et servicium, et jurare fidelitatem domino Magalonensi episcopo; et pro servicio petebat dictus dominus episcopus ab ipso Poncio Petri, ut sequeretur eum, suis expensis, in exercitu, vel faceret albergum sibi et sociis, vel saltim quartam partem fructuum feodi prestet ei, deductis expensis.

Petebat eciam dictus Magalonensis episcopus a prenominato Poncio Petri, ut redderet ei, jure domini, muros dictos, et portalia, et claves ipsorum portalium, que omnia ab eo tenebat.

Item dicebat dominus episcopus, quod Poncius Petri debebat facere ecclesie de Agantico apparatus IIIIor clericis (3), in

(1) Cart.: *pariariis*. Ce mot ne nous paraît avoir aucun sens dans le cas présent. Plus bas, nous trouvons *paciariis*.

(2) Voir cet acte dans *Cartulaire de Maguelone* (T. I, p. 85). On trouvera aussi, plus haut, les actes auxquels font allusion les deux parties.

(3) Cart.: *clericis et in martirio.*

martirio apostolorum Petri et Pauli, et in sequenti festo sancti Petri omnibus clericis, qui in illa die ad ecclesiam Sancti Petri venerint.

Econtra Pontius Petri de Agantico, supradictis omnibus respondens, confitebatur se tenere in feudum a domino Magalonensi episcopo honores, scilicet staria, vineas, campos et ortos, in quibus ecclesia Sancti Petri de Agantico habet usaticum: et totum illum murum, qui est a domo Petri de Duabus Equabus usque ad portale Bocherium, et a portali Bocherio usque ad portale de Cruce, et a portali de Cruce usque ad domum que fuit Raymundi Boniamici, et ad duas domos ultra: que omnia in solo feodi domini Magalonensis episcopi esse constructa confitebatur, et a domino Magalonensi episcopo ad feudum se tenere, et illa omnia, que in instrumento supranominato continentur, se tenere in feudum a domino Magalonensi episcopo, confitebatur. Item confitebatur se tenere ab ipso domino Magalonensi episcopo stare de Agantico, in quo manet, in feudum, excepta [turri].

Pro quibus omnibus prenominatis, cognoscebat se debere facere hominium et servicium, et jurare fidelitatem domino Magalonensi episcopo, allegans quod pro servicio predicto debet facere apparatum annuatim IIIIor clericis in martirio apostolorum P[etri] et Pauli; et, in sequenti festo sancti Petri, omnibus clericis, qui in illa die erunt in ecclesia Sancti Petri de Agantico; et pro feudo nullum aliud servicium se debere facere allegabat.

Ad redditionem vero portalium, et clavium, et jurium nullatenus se teneri dicebat: tum quia nunquam facta fuit reddicio a se vel ab antecessoribus suis, nec fuit pactum appositum in donatione feudi de reddicione facienda (1).

Visis et auditis peticionibus, confessionibus, et attestacionibus, et instrumentis diligenter inspectis, et attestacionibus, et allegacionibus tam juris quam facti ab utraque parte propositis, diligenter et curiose examinatis, factaque renunciacione

1 Voir acte du 23 septembre 1116 (T. I, p. 85). Cette clause, en effet, n'est pas contenue dans cet acte, fondamental pour les seigneurs de Ganges.

et conclusione super eisdem allegacionibus, utraque parte presente, et sepius requisita utrum aliquid de novo addere vellent, prestitoque sacramento calumpnie, nos scilicet Bertrandus de Vallauquesio, et Johannes de Orllaco, et P. Boterii paciarii, qui, de parcium voluntate, causam audivimus, assidentibus nobis, Guillelmo de Podio et Petro Almerado causidicis, habito eorum et plurium aliorum consilio jurisperitorum, cum quibus hujus tocius cause veritatem plenissime inquisivimus, diffiniendo pronunciavimus Poncium Petrum de Agantico tenere, a domino Magalonensi episcopo et successoribus ejus, in feudum, omnia suprascripta, sicud ab ipso Poncio Petri sunt confessa, scilicet honores, staria, vineas, campos et ortos, in quibus ecclesia Sancti Petri de Agantico habet usaticum, et totum illum murum qui est a domo Petri de Duabus Equabus usque ad portale Bocherium, et a portale Bocherio usque ad portale de Cruce, et a portali de Cruce usque ad domum que fuit Raymundi Boniamici, et ad duas domos ultra, que omnia esse constructa in solo feudi domini Magalonensis episcopi confessus fuit superius Poncius Petri.

Item diffiniendo pronunciamus Poncium Petri de Agantico tenere in feudum, a domino Magalonensi episcopo et a successoribus ejus, omnia illa que in supradicto instrumento, scripto per manum Arlohini, continentur (1), et stare de Agantico, in quo manet Poncius Petri, excepta turri.

Et, pro hoc predicto feudo, condempnamus Poncium Petri de Agantico quatenus hominium faciat, fidelitatem juret, et servicium pro feudo exhibeat domino G[uillelmo], Magalonensi episcopo, nomine Magalonensis Ecclesie: et hoc idem faciant alii, invitante domino, hinc inde, videlicet sub hac forma: quod Poncius Petri de Agantico serviat et valeat in placito et guerra domino Magalonensi episcopo et successoribus ejus; quod si, ad commonitionem domini Magalonensis episcopi, valenciam cum feudo facere noluerit domino episcopo, ipsemet dominus Magalonensis episcopus, de feudo et cum feudo, possit inde facere placitum et guerram, et quod in omnibus et

(1) Cart.: *continentur scripta sunt et stare.*

per omnia sit fidelis domino Magalonensi episcopo, sicud vassallus domino.

Item condempnamus Poncium Petri de Agantico in apparatu IIII^or clericorum ecclesie Sancti Petri de Agantico, in martirio apostolorum Petri et Pauli; et in sequenti alio festo sancti Petri, in apparatu omnium clericorum, qui, in illa die, venerint ad ecclesiam Sancti Petri de Agantico.

In aliis vero capitulis, scilicet in redditione portalium, et clavium, et murorum, et in petita quarta parte fructuum, et in albergo, et in sequendo dominum episcopum in exercitu suis expensis, retinemus salvum jus utriusque partis.

Lata est hec sententia anno et die quo supra, apud Montempessulanum, in Sala domini Magalonensis episcopi, presente domino G[uillelmo], Magalonensi episcopo, et Poncio Petri de Agantico, in presencia et testimonio domini Bertrandi de Sancto Gervasio (1) Magalonensis prepositi, Petri de Agrifolio archidiaconi, Johannis de Montelauro archidiaconi, Petri de Lunello archidiaconi, Bernardi de Mezoa sacriste, Guillelmi Carbonelli prioris Sancti Ylarii (2) canonici, Raymundi Girardi canonici, Raymundi Leonis prioris ecclesie de Monteferrario, Johannis de Latis causidici, Bernardi Petri de Monteolivo militis, Ugonis de Verruels militis, Johannis de Montebelliardo, Jacobi Lumbardi, Ermengaudi de Adillano, Raymundi de Bordellis, Poncii Guiraldi, Ugonis Aldeberti, Bigorre, Guiraldi de Cocone, Guillelmi Fabri, Bernardi Coquinarii, Guiraldi de Mercadilio, et Raymundi de Portu, publici Montispessulani notarii, qui hec scripsit.

(Reg. D, fol. 254 v°).

(1) Cart.: *Jerrasio*.
(2) Saint-Hilaire de Centrayrargues.

CCCXIV. 27 décembre 1211

Guillaume d'Autignac, évêque de Maguelone, confie la garde du château de Montferrand à Jean d'Orllac et à Bernard Chef-de-Bœuf.

In nomine Domini. Anno ejusdem Incarnationis millesimo ducentesimo undecimo, sexto kalendas januarii, ego Guillelmus, Dei gratia Magalonensis episcopus, auctoritate domini Pape, quoniam vos, Johannem de Orllaco et Bernardum Caput Bovis, expertus sum viros probos, et honestos et integre fame et opinionis, trado et committo vobis castrum de Monteferrando, cum tota juridictione sua et pertinenciis custodiendum et tenendum, et nobis et Ecclesie Romane fideliter conservandum : sciens et in veritate recognoscens vobis jamdictis quod, de mandato domini legati, Uticensis episcopi (1), et meo, dedistis, et, numeratione precedente, solvistis Bertrando de Vallauchesio, octo milia solidorum melgoriensium, que ei debebantur pro custodia prefati castri.

Et nos, Johannes de Orllaco et Bernardus Caput Bovis, recipientes castrum de Monteferrando a vobis domino G[uillelmo], Magalonensi episcopo, juramus vobis, sacramento corporaliter prestito, fidelitatem pro predicto castro et castri custodia, promittentes ut, fide prestiti juramenti, quod castrum Montisferrandi, ad utilitatem domini Pape et Romane Ecclesie et vestri, sine omni malo ingenio et fraude, bona fide, pro posse nostro, custodiemus, et faciemus fideliter custodiri ; nec idem castrum comiti Tholosano, vel alii persone, restituemus, vel restitui scienter permittemus, sine mandato vestro, vel successoris vestri Magalonensis episcopi, vel ejus qui locum Magalonensis episcopi teneret, vacante episcopatu. Sane vobis, vel illi cui mandaveritis, predictum castrum restituemus, congruo tempore nobis assignato, restitutis tamen nobis prius prefatis octo milibus solidorum, quos

(1) Raimond, évêque d'Uzès, légat du Pape.

Bertrando de Vallauquesio, mandato vestro persolvimus: restitutis eciam universis expensis et usurarum gravaminibus pro castri custodia a vobis factis usque modo, et imposterum faciendis, juramento vestro sine alia probacione declarandis.

Expensas autem, de concessione vestra, in castri custodia intellegimus faciendas de redditibus et proventibus castri illius et mandamenti. Porro si predicti proventus ad expensas pro castri custodia faciendas non sufficerent, nos ex peccunia, mutuo accepta, faciemus : nec predictum castrum tenebimus restituere, donec prefata octo milia solidorum, et expense circa castri custodiam facte, cum omnibus suis gravaminibus, nobis plenarie fuerint restitute.

Hec omnia, sicut supra scripta sunt, bona fide servabimus. Sic Deus nos adjuvet et hec sancta Dei evangelia.

Et ego Guillelmus, Magalonensis episcopus, hanc fidelitatem, auctoritate domini Pape et Romane Ecclesie, recipiens, concedo vobis, jam dictis Johanni de Orllaco et Bernardo Capitis (1) Bovis, super castro Montisferrandi octo milia solidorum predicta soluta, de mandato nostro, Bertrando de Vallauquesio, et omnes expensas, in castro et pro castri custodia a vobis factas, cum suis gravaminibus, et imposterum faciendas. Et omnia supradicta, modo et tenore prefato, laudo, approbo et confirmo.

Sciendum tamen est, quod omne dampnum et gravamen quod, pro octo milibus solidorum, a vobis solutis Bertrando de Vallauquesio, vel occasione eorum, sustinetis, vel sustinebitis, vobis restituetur arbitrio domini legati Uticensis episcopi ; quod si ipse dominus legatus noluerit, vel non potuerit arbitrari, ad nostrum vel successorum nostrorum arbitrium recuperetis.

Acta sunt hec et laudata apud Montempessulanum, in domo domini Magalonensis episcopi, in presencia et testimonio domini B. de Sancto Gervasio, Magalonensis prepositi, et Petri de Agrifolio, et Petri de Lunello, et Johannis de Montelauro archidiaconorum Magalonensis Ecclesie, Firmini cano-

(1) Cart.: *Capiti*.

nici, Petri Luciani, Guillelmi Gresi, Bernardi Gresi, Guillelmi de Azillano, Bernardi de Porta, Johannis Ecclesie, Guillelmi Pincer, Ademari Scriptoris, Johannis de Villamagna, et aliorum plurimorum, et Jacobi Laurencii, qui hec scripsit, rogatus a partibus.

Post hec anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo duodecimo, sexto idus julii, ego predictus Guillelmus, Dei gratia, Magalonensis episcopus, scio, et in veritate cum hac eadem carta profiteor, quod vos, Johannes de Orllaco et Bernardus Caput Bovis, persolvistis et numerastis Bertrando de Vallauquesio predicto speciali mandato meo, quatuor milia et septingenta solidorum melgoriensium pro expensis, quas ipse Bernardus fecerat in castro, seu pro custodia castri Montisferrandi, ultra predicta octo milia solidorum melgoriensium; et sic per omnia sunt duodecim milia et septingenta solidorum melgoriensium, que laudo et concedo vobis et vestris super predicto castro Montisferrandi, sub eisdem pactis et convencionibus quibus vobis laudaveram supradicta octo milia solidorum.

Testes sunt G. de Agrifolio, Magalonensis archidiaconus, R. Gerardus, Stephanus de Orllaco sacerdos, Stephanus Benedicti, Ademarus de Orllaco, et Jacobus Laurencii notarius, qui hec scripsit, rogatus a partibus.

(Reg. E, fol. 240 r°).

Cet acte nous paraît intéressant, et peut, jusqu'à un certain point, excuser nos évêques devenus comtes de Melgueil. Dans le *Bullaire* (T. II, p. 44), nous avons été un peu sévère pour Guillaume d'Autignac et Bernard de Mèze. Nous ne connaissions pas cet acte. De fait, le comté de Melgueil était déjà endetté de près de 13.000 sols melgoriens, avant qu'il ne fut cédé à Guillaume d'Autignac. On verra, par la suite de cette publication, les difficultés qu'éprouvèrent nos évêques pour rendre liquide cette situation.

On sait que le château de Montferrand avait été donné en gage à Milon par Raimond VI. L'évêque de Maguelone était évidemment tout désigné, en sa qualité de représentant du Saint-Siège pour le comté de Melgueil, pour garder ce château.

CCCXV. — 1211, 1212, 1213

État de la monnaie frappée à Melgueil par Guillaume d'Autignac. Livre de raison de cet évêque.

Anno Dominice Incarnationis M° CC° XI°, mense madii, dominus Guillelmus, Dei gratia Magalonensis episcopus, recepit castrum Melgorii ; et eo anno usque ad Pasca fecit in moneta Melgorii B. Mauricius DCCLX libras ; B. Caput Bovis MDCCC libras ; Guillelmus Maventi MMD libras ; item B. Caput Bovis MCC libras ; item Guillelmus Maventi MDCCC libras. Summa VIII milia LX libras ; de quibus VIII milibus et LX libris habuit dominus episcopus MMM et CCCXXXIII (1) solidos et IIII denarios ; et de omnibus supradictis habuit V denarios pro libra.

Anno Domini MCCXII [men]se aprilis, [c]epit operari in moneta G. Marnerii, et fecit MC libras ; B. Mauricii, DCCC libras ; item G. Maventi, MMC libras ; B. Guillelmi, MLXX libras ; item Guillelmus Maventi, MMDCCCC (2) libras ; item G. MCC minus XX libras ; item, idem Guillelmus CCC libras ; item, idem Guillelmus DCCC libras ; item, idem MMMDL libras. Summa XIII milia et DCCXL libras, de quibus habuit dominus episcopus MMMMDC solidos minus XX per omnia, IIII denarios pro libra.

Anno Domini MCCXIII, octo diebus post Pasca, fecit in moneta B. Guillelmi DLX libras ; eodem anno, Guillelmus Maventi MMM minus C libras ; item B. G. MCCC libras ; item Guillelmus Maventi MM libras ; item B. G. MCCXL libras ; item, Guillelmus Maventi MMCC libras ; item B. G.

(1) Les trois *CCC* paraissent un peu surchargés. L'erreur est évidente : le sol valant 12 deniers, l'évêque reçut, à raison de 5 deniers par livre, 3.358 sols et 4 deniers.

(2) Le 1er et le 4e *C* sont ponctués en dessous = *MMDCC*. Le calcul est inexact cependant : ce n'est pas 13.740 livres melgoriennes qui furent frappées en cette année, mais bien 13.600 livres. Corriger en conséquence la somme, et l'évêque reçut non pas 4.580 sols, comme nous avons laissé dans le texte, mais bien 4.533 sols 4 deniers.

DCCCC libras ; B. de Azilano DCCC libras ; G. Maventi MCCC libras ; B. G. DCCC libras ; item G. Maventi DCCC libras ; item B. de Azilano M libras ; item B. G. MDCC libras ; Summa XVII milia et DL libras, de quibus habuit dominus episcopus MMMMCCCC solidos minus XIII sol. et III denarios pro libra (1).

Ego G[uillelmus], Dei gratia Magalonensis episcopus, expendi denarios de moneta perceptos in hunc modum :

Dedi R. Gaucelmo pro conestablia CCC solidos ; in debitis communis apud Melgorium solvi XIIII libras, minus VI solidos ; in castri custodia de Frontiniano expendi XXX VIII libras minus VIIII solidos ; in custodia de Breisaco XXX VIIII libras et X solidos ; milites Melgorii pro debito vicecomitis habuerunt LII libras et X solidos ; domino Pape misi C libras.

A die dominica ante Ascensionem (2) Domini, que fuit anno Domini MCCXI usque ad XV diem festi Sancti Johannis, expendi in necessariis castri Melgori XVI libras XII denarios ; et a die illa usque ad festum (*déchirure de 4 centim.*) libras et XIIII solidos ; in vestimentis B. Sabaterii bajuli, et vestimentis Go[rdo]nis CX solidos ; in vercheria ejusdem Gordonis XXX solidos ; in semine C solidos ; in feno quod emi IIII libras. Anno predicto, a festo Sancti Egidii usque ad festum Sancti Laurencii, in vestimentis familie bajuli et expensis castri expendi XIII libras et XIIII solidos.

Pro castro Montisferrandi, LXX libras ; alia vice, XIIII libras minus V solidos ; dedi legato, Uticensi [episcopo], pro expensis VI libras ; ejusdem nuncio ejusdem mandato CC solidos raimundenses : solvi G. Rainaldo CCCC solidos pro vicecomite : solvi pro Alamando pro debito comitis C solidos ; ad putandam vineam castri XXII solidos ; ad fodendum L solidos ; item magistro Tedigio et Marco cum tractarentur de facto Melgorii expendi CCCC solidos, de quibus solvi C solidos et debeo CCC. Item ad fodendum vineam L solidos ; pro de Columbis bajulo pro expensis castri dedi C solidos, alia vice (3)

(1) Encore double erreur.
(2) Cart.: *Assencionem.*
(3) Cart.: *vinee.*

CCVII ; Poncio B. pro vicecomite IIII libras et X solidos : solvi in debitis Melgorii CC solidos : Summa VIIII M et CCCCLXXX et VII solidos.

Donavi in castro Melgorii B. Seguino L solidos ; G. de Mornobrio L solidos ; pro Bernardo L solidos ; G. Rainaldo L solidos : B. de Caslario XXVI solidos ; G. Guadalmaro XL solidos ; G. de Melgorio XX solidos ; B. de Tornello L solidos ; P. Alamandi, judici de (1) Latis, CC solidos ; B. Raterio L solidos ; B Botzeno L solidos ; R. de Melgorio L solidos ; R. de Sancto Privato XL solidos ; Petrus Alamandi XL solidos ; P. de Brixeriis XL solidos ; R. de Marginis XXX solidos ; Guillelmo Rainaldi L solidos : Summa DCCCC VI solidos.

(Reg. C, fol. 228 r° ; édité en partie par Germain, dans *Memoire sur les Monnaies seigneuriales de Melgueil*, p. 102).

Cet acte est intéressant à plus d'un titre. Tout d'abord Guillaume d'Autignac fait frapper la monnaie de Melgueil bien avant l'inféodation. Ensuite, cette expérience dut lui apprendre ce que rapportait l'atelier monétaire du comté.

Le légat du Pape, mentionné dans cet acte, est Raimond, évêque d'Uzès ; maître Thédise devait bientôt après occuper le siège d'Agde ; Pierre Marc était originaire de Nimes, sous-diacre, chargé par le Pape de lever les cens dus à l'Église Romaine. — Voir sur l'affaire à laquelle fait allusion Guillaume d'Autignac, *Bullaire de Maguelone*, t. I p. 334.

CCCXVI. — 10 juillet 1212

Guillaume d'Autignac abandonne au prieur de Saint-Martin de Londres la dime de cette église pour le cens annuel de dix setiers de blé.

Ego Guillelmus de Altiniaco, Magalonensis episcopus.... dono et imperpetuum derelinquo Domino Deo et ecclesie Sancti Martini de Lundris, et tibi Fredoloni de Roqueta, monacho, priori dicte ecclesie, et omnibus successoribus tuis pro

(1) Le *Cartulaire* ne porte que ces deux lettres : *j. d.*

dicta ecclesia, scilicet omnem decimam, quam Raimundus Guerra quondam habuit in decimaria Sancti Martini, in pane et vino, et omnibus aliis ad dictam decimam pertinentibus, sicut melius ipse Raimundus Guerra, vel ejus antecessores, illam decimam habuerunt, tenuerunt, vel perceperunt ; quam decimam ego habebam ex solucione et donacione michi facta de illa decima a R. Guerra, sicut in carta inde facta continetur, et de illa decima predictam ecclesiam Sancti Martini et te priorem, pro ipsa ecclesia, investio, et in ipsam ecclesiam transfero, sicut melius potest dici vel intelligi ad utilitatem dicte ecclesie.

Et dictam decimam faciam te et tuos successores habere et tenere pacifice ; tamen ex dicta decima retineo michi et omnibus successoribus meis, episcopis Magalonensibus futuris, pro quartone annuatim decem sestaria bladi, scilicet quinque frumenti et quinque civate, danda michi semper et successoribus meis in festivitate Sancte Marie de augusto ; de quibus decem sextariis, annuatim prestandis et solvendis michi et cuilibet mandatorio meo vel successorum meorum, teneatur ecclesia Sancti Martini et prior ejusdem ecclesie, quicumque erit, obligatus.

Et ego Fredolonus, prior ecclesie Sancti Martini, omnia predicta et singula laudans et confirmans per me et per omnes successores meos, futuros priores dicte ecclesie, habito speciali mandato in hoc domini Petri abbatis et capituli Sancti Guillelmi, promitto et convenio tibi domino G[uillelmo], Magalonensi episcopo, ut omnibus successoribus tuis, quod predicta decem sestaria bladi, ut dictum est, bene et fideliter dabo tibi et omni mandatorio tuo, et faciam afferri in domum tuam apud Montempessulanum ; et inde obligo tibi et tuis successoribus omnia bona predicte ecclesie.

Acta sunt hec et laudata apud Montempessulanum, in Sala domini episcopi, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo duodecimo, VI idus julii, in presencia et testimonio Guillelmi de Agrifolio archidiaconi, R. Girardi archipresbiteri, P. Garcini, prioris ecclesie de Castronovo, canonicorum Magalonensium, Giraldi de Cocone, prioris ecclesie de Arsacio, R.

de Lauda fratris domini episcopi. J. Vacce et Ademari Scriptoris notarii, qui hec omnia scripsit.

Et ego P., Dei gratia abbas monasterii Sancti Guillelmi, viso et intellecto presenti infrascripto publico instrumento coram me lecto, omnia et singula, sicut in eodem instrumento scripta sunt, vel ut melius intelligi possunt, sine omni dolo per me et per omnes successores meos, habito consilio tocius conventus ejusdem monasterii, imperpetuum laudo et confirmo, et valitura esse volo atque concedo.

Et nos Guillelmus de Parlages, Raimundus Petri, Petrus de Giniaco, Petrus de Alairaco, Hugo de Sancto Poncio, Guillelmus *del Cros*, Guillelmus de Spartora, Guillelmus Benedicti, P. Figuerius, P. Ricardi, Augerius et Fredolus monachi ejusdem predicti monasterii, omnia predicta et singula laudamus et confirmamus, et nunc et imperpetuum valitura et illibata esse volumus et concedimus.

Acta sunt hec, confirmata et laudata, ut superius et in altera parte presentis publici instrumenti plenius continentur, in claustro dicti monasterii Sancti Guillelmi, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo duodecimo, quarto nonas septembris, in presencia et testimonio Johannis Vacce, Berengarii Lamberti, Guillelmi Lamberti, fratris ejus, Petri Ademari presbiteri, Symonis Boeti et Johannis Scriptoris, publici notarii, et ad hec vocati et rogati, qui hec scripsit.

(Reg. E, fol. 223 r°).

CCCXVII. — 24 juillet 1212

Reconnaissance faite à Guillaume d'Autignac par Guillem Arnaud de Claret des fiefs qu'il tient de l'Église de Maguelone.

Anno Dominice Incarnationis M° CC° duodecimo, nono kalendas augusti, Guillelmus Arnaldi de Clareto cognovit se tenere ad feudum ab Ecclesia Magalonensi et ab ejusdem episcopo, scilicet domino G[uillelmo] de Altiniaco, et successoribus

suis, episcopis Magalonensibus, villam totam Sancti Martini de Saytayranicis, et mansum de Gardia, et mansum de Crecio, et mansum Laulardum, et mansum Bonesium Gausueris, et apennariam que vocatur de la Bastida, et mansum de Costa, et mansum de Favar, et villam de Asperellis cum suis pertinentiis, et mansum Regem.

Et preterea recognovit se tenere in ipso et de ipso feudo totum honorem qui (1) fuit Guillelmi de Clareto, quem inde tenet Maria de Savolta, soror Ruffi de Castris; et totum honorem qui (2) fuit Rostagni de Saltayranicis, quem nunc tenet Adalaycia Maleta, filia quondam Rostagni de Saltayranicis, et totum honorem qui fuit Guillelmi Folcardi, quem nunc tenet, filia ejus, uxor Bermundi de Salsone, et quicquid habet in ipsa villa et in ipsa parrochia.

Et recognovit (3) eodem modo se tenere ad feudum a predicta Ecclesia Magalonensi et ejus episcopo, totam villam Sancti Martini de Crecio, scilicet totum honorem quem (4) Poncius Gaucelmi de modo tenet in toto manso de Salis et in ejus terminio, et in manso de Cloalz et in ejus terminio, et in valle de Bozigas et in ejus terminio, et garrigam que vocatur (5) la Rocha: et feudum quem habebat R. de Corcona in manso de Salis et in ejus terminio, et in manso de Cloals, et in valle de Bozigas; et garrigam que vocatur la Rocha; et honorem quem de ipso tenet R. Marini; et honorem quem (6) de ipso tenet Bertrandus Galterius; et honorem quem tenet filia quondam Poncii Gotafridi, uxor R. Fredoli; et totum honorem quem tenet Maria, uxor quondam B. Albaterra; et quicquid habet in ipsa parrochia: promittens dictus G. Arnaldi per stipulationem, tactis corporaliter sacrosanctis quatuor Dei evangeliis, se recogniturum et notificaturum, bona fide et sine omni dolo, predicto domino G[uillelmo], Magalonensi episcopo.

(1) Cart.: *que*.
(2) Cart.: *que*.
(3) Cart.: *recognitio*.
(4) Cart.: *que*.
(5) Cart.: *vocacatur*.
(6) Cart.: *quod*.

stipulanti, quicquid plus noverit, sciverit, vel cogitaverit de predicto feudo.

Acta fuerunt hec in ecclesia Sancti Petri *de Vallefennes* (1), in presencia et testimonio Petri Garcini, canonici Magalonensis ac prioris de Castronovo, Poncii Fulcrandi, B. Maleti, sacerdotis ac procuratoris Sancti P[etri] *de Vallefennes*, B. de la Fabrega, B. de Monteviridi, G. Campannihan, G. de Flexio, Fulconis de la Bastida, R. de Bitteris, R. de Costa, et Petri Guntardi, publici Montispessulani notarii, qui hec scripsit, cum predicta razura que est in octava (2) linea et dicit : *Guillelmi*.

(Reg. C, fol. 125 v° et 126 v°).

L'acte du folio 126 v°, bien que pareil pour les parties essentielles avec celui que nous donnons, date, contenu, témoins, etc., présente quelques différences de minime importance.

Il est question dans cet acte de Sauteyrargues, qui faisait partie du diocèse de Nimes. Cet acte fournit une preuve à ce que nous avons dit, que le comté de Melgueil dépassait le diocèse et que même celui-ci, au point de vue temporel, franchissait les limites spirituelles. On en verra d'autres preuves.

CCCXVIII. — Juillet 1212

Pons de Vaillauquès reconnaît tenir de l'évêque ses biens de Gigean.

Anno Dominice Incarnationis M° II° XII°, mense julii, ego Poncius de *Vallauques* scio, et in veritate cum hac carta recognosco, quod teneo ad feudum de te, Guillelmo de Altiniaco, gratia Dei Magalonensi episcopo, totum hoc quod Petrus de Philippo de Laveruna tenet, et recognoscit tenere de me, in castro de Gigano, scilicet terciam partem turris, et terciam partem scalarii ipsius turris, et scalarium coherentem ipsi turri, et totum hoc quod pertinet ad castellaniam (*cetera desiderantur*). (*Voir plus loin acte du 30 novembre 1212, N° CCCXX*).

(Reg. D, fol. 197 v°).

(1) Valflaunès, canton de Claret.
(2) Cart.: *clova*.

CCCXIX. — 24 août 1212

Guillaume d'Autignac cède une terre à acapte à Bernard Cocho, pendant sa vie seulement.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo duodecimo, mense augusti, nono kalendas septembris, ego Guillelmus, Dei gratia Magalonensis episcopus.... laudo et concedo tibi Bernardo Cocho, tantum in vita tua, scilicet totam unam peciam terre laborative cum omnibus suis pertinentiis, que est *als Bollidors,* et confrontatur a circio cum via publica qua itur ad Vallem, a vento cum pasturali nostro.

Hanc vero dictam terram laudo et concedo tibi, quod habeas et possideas tantum in vita tua, et fructus, et redditus inde exeuntes, tanquam tuos proprios, habeas et percipias. Post vero mortem tuam, michi et successoribus meis predicta terra integre et libere revertatur.

Horum sunt testes rogati Guillelmus de Agrifolio archidiaconus, J. Bedocius, Petrus Bois, B. de Lauda, Valentinus, B. Fornerius, et Petrus Alamandi, notarius publicus, qui hec scripsit, rogatus a partibus.

(Reg. F, fol. 108 r°).

CCCXX. — 30 novembre 1212

Pierre de Castries, sa femme et son fils vendent à Guillaume d'Autignac, en franc-alleu, une terre à Gigean.

Anno Dominice Incarnationis M° II° XII, pridie kalendas decembris, ego Petrus de Castris, et ego Cecilia, ejus uxor, et ego Petrus de Montelauro, eorum filius.... absque pensione, exceptione et retractacione, quisque in solidum, vendimus... pro alodio libero tibi, Guillelmo de Altiniaco, Magalonensi episcopo, et successoribus tuis, ad omnes voluntates vestras plenarie faciendas, videlicet totam unam condaminam nostram alodii liberi, cum omnibus suis pertinenciis et adjacenciis.

que est in decimaria Sancti Genesii (1) de Gigano; et confrontatur ex una parte cum campo tuo, et ex alia parte cum prato castri, via mediante, et ex alia parte cum terra Raymundi de Cornone, et ex alia parte cum terra R. de Sancto Martino;

Et terciam partem pro indiviso tocius prati castri cum omnibus suis pertinenciis et adjacenciis, quod tenetur cum dicta condamina, a nobis superius tibi vendita, via in medio, et ex alia parte cum condamina Philippi de Veiruna, et ex alia parte cum pecia prati Raymundi Martini, et ex alia parte cum condamina tua, via in medio;

Et consilium, dominium et laudimium in duabus quarteriatis prati, quarum unam tenet de nobis Raymundus de *Ponz*, et aliam Raymundus de Sancto Martino;

Et totum aliud jus, quod nobis competit, vel competere potest vel debet, vel aliquo tempore compeciit, in dicto prato, vel nomine ejus, adversus possessores illius, vel quaslibet res vel personas, cedendo actiones nostras (2) directas et utiles, et jus, te in rem tuam procuratorem facimus; et de omnibus predictis et singulis nos omnino disvestientes, te et successores tuos penitus investimus, et certos et speciales dominos et possessores perpetuo facimus, et constituimus; et tua propria auctoritate vacuam te jubemus ingredi et adipisci possessionem.

Propter hanc autem venditionem... profitemur nos habuisse et recepisse a te, domino G[uillelmo], Magalonensi episcopo, precii nomine, mille solidos melgorienses, ita quod nichil remansit penes te in debito; in quibus excepcioni non numerate peccunie renunciamus; et quod amplius hoc pretio valet... illud totum... donamus;... promittimus quod hec omnia, a nobis tibi vendita, faciemus te et omnes successores tuos semper habere et tenere quiete pro alodio libero, et ab omni contradicente jure deffendemus; et pro eviccione.... damus tibi et successoribus tuis regressum, quisque pro toto, super omnes res nostras... facta a nobis renunciatione juris...; et a

(1) Cart.: *Jenesii*.

(2) Cart.: *vestras*.

me Cecilia facta renunciatione juris ypotecarum et cujuslibet alterius; per stipulationem sollempniter vallatam promittimus ... hec universa et singula prescripta plenarie tenebimus, et observabimus sine omni dolo et fraude. Sic Deus nos adjuvet et hec sancta Dei evangelia a nobis tacta.

Hanc vendicionem et donacionem predictam, et omnia predicta et singula laudavit et confirmavit Mathea (1), uxor Petri de Montelauro, renuncians omni juri ypothecarum et omnibus aliis juris scripti et non scripti auxiliis, et beneficiis ad contra veniendum sibi competentibus vel competituris; et super sancta Dei evangelia, a se tacta, juravit se nunquam contra venturam.

Acta sunt hec apud Terrallum. Horum omnium testes sunt Petrus de Lunello archidiaconus, Petrus Lumbardi diaconus, G. de Noals sacerdos, G. Silvestri diaconus, P. de Vinea, Bernardus Faber, Pontius Rainulfus, Petrus Garnerius, R. de Sancto Desiderio, P. Porcelli, Poncius de Triatorio, et Ugo Laurencii notarius, qui, mandato parcium, hec scripsit.

(Reg. D, fol. 209 r°).

CCCXXI. — 30 novembre 1212

Philippe de Lavérune et sa femme vendent à Guillaume d'Autignac une maison, sise à Gigean, et leurs droits sur le château.

Anno Dominice Incarnationis M° II° duodecimo, pridie kalendas decembris, ego Philippus de Veruna, et ego Ermengarz ejus uxor, nos ambo rei facti venditores,... vendimus... tibi domino Guillelmo de Altiniaco, Magalonensi episcopo, et omnibus successoribus tuis, ad omnes voluntates vestras faciendas, videlicet totum stare nostrum cum curte, et cum tercia parte turris castri de Gigano, et terciam partem scalarii, cum omnium predictarum rerum omnibus introitibus, exitibus, et

(1) Cart.: *Mathias.*

cum omnibus suis pertinenciis et adjacentibus, et cum omnibus hiis et singulis que ad omnia predicta et singulorum singula pertinent, vel pertinere possunt vel debent : que omnia sunt in castro de Gigano;

Et introitum et exitum ipsius castri, et turris, et generaliter omnia alia jura corporalia et incorporalia, ordinaria et extraordinaria, quecumque per nos vel per alium habemus vel habere possumus, seu nobis competunt vel competere possunt vel debent, vel aliquo tempore compecierunt, in capite castri de Gigano, vel nomine horum contra quaslibet res vel personas : et cedendo actiones nostras directas et utiles, et jus, te et successores tuos in rem vestram procuratores facimus, constituimus; et, de omnibus predictis et singulis nos et nostros penitus disvestientes, te et successores tuos investimus, et certos et speciales dominos et possessores perpetuo facimus et constituimus, et tua propria auctoritate possessionem vacuam omnium predictorum te ingredi et adipisci volumus.

Propter hanc autem vendicionem et tradicionem predictam, irrevocabiliter permansuram, precii nomine, nongentos solidos melgorienses a te domino G[uillelmo] episcopo habuisse et recepisse plenarie, ita quod nichil remansit in debito, profitemur : in quibus excepcioni non numerate peccunie et non soluti precii renunciamus; et quod amplius hoc precio hec venditio valet... illud totum... tibi et tuis successoribus donamus, et ex certa sciencia in vos prorsus transferimus ; promittentes tibi... quod hec omnia... tibi... ab omni contradicente jure defendemus; et pro evictione... damus tibi et successoribus tuis, quisque pro toto, regressum generaliter super omnes res nostras..., et juris scripti... facta a nobis renunciatione.... tibi firmiter promittimus... hec omnia et singula plenarie tenebimus et observabimus sine omni dolo et fraude; sic Deus nos adjuvet et hec sancta Dei evangelia, a nobis tacta.

Acta sunt hec omnia apud Terrallum. Horum omnium testes sunt Petrus de Lunello, archidiaconus Magalonensis, G. de Noals, sacerdotes; Petrus Lumbardi, Guillelmus Silvestri dyacones, Petrus de Vinea, B. Faber, Poncius Rainulfus, Petrus Garinerius, Raymundus de Sancto Desiderio, Petrus

Porcelli, Poncius de Triatorio, et Ugo Laurencii, Montispessulani publicus notarius, qui, mandato parcium, hec scripsit.

(Reg. D, fol. 209 v°).

CCCXXII. 20 décembre 1212

Pierre d'Arlen vend à Guillaume d'Autignac plusieurs terres sises dans la paroisse de Béjargues.

In nomine Domini. Innotescat omnibus presentibus et futuris quod ego Petrus de Arlenis... cedo, solvo et penitus derelinquo tibi, domino Willelmo de Altiniaco, Magalonensi episcopo, et omnibus successoribus tuis, episcopis Magalonensibus, scilicet totas octo pecias terrarum cum omnibus suis pertinentiis et adjacenciis, et que pertinere possunt et debent, que sunt in parrochia Sancti Stephani de Bejanicis, quas a te tenebam; in quibus tu et successores tui habebatis dominium, consilium, et laudimium, et octavum de omnibus obventionibus inde provenientibus.

Quarum octo peciarum terrarum jam dictarum una confrontatur ex una parte cum terra Bernardi de Bejanicis, et ex alia parte cum honore Raimundi de Noals;

Altera confrontatur ex duabus partibus cum [terra] Bernardi de Bejanicis;

Tercia confrontatur ex una parte cum terra Salvatgne, et ex alia parte cum honore Raimundi Roveira;

Quarta confrontatur ex una parte cum vineis Raimundi de Roveira et Bernardi Balbi, et ex alia parte cum vinea Johannis de Biterris;

Quinta pecia confrontatur ex duabus partibus cum honore Raimundi Duranti, et ex alia parte cum honore Bernardi de Bejanicis;

Sexta pecia confrontatur ex una parte cum vinea Pineti, et ex alia parte cum honore Raimundi de Noals;

Septima pecia confrontatur ex una parte cum terra Petri de *Taulatgues*, et ex alia parte cum vinea Guillelmi de Columberio;

Octava pecia confrontatur ex una parte cum honore infantum quondam Petri de Bejanicis, et ex alia parte cum honore Chausaldorum, via in medio.

Has omnes supra confrontatas octo pecias terrarum cum omnibus suis pertinenciis et adjacentiis, et generaliter omnem honorem, quemcumque a te tenebam et habebam, et habere seu tenere debebam, de camino Sancti Jacobi usque ad caminum de Villanova, quicumque honor, vel quilibet, sit cultus vel incultus, tibi jamdicto domino G[uillelmo] de Altiniaco, Magalonensi episcopo, et omnibus successoribus tuis, ut supradictum est, ad omnes voluntates tuas plenarie faciendas, prorsus tibi solvo et derelinquo: promittens tibi et tuis firmiter per stipulacionem, quod nichil, in hiis jamdictis octo peciis terrarum vel in aliqua ipsarum, dixi vel feci in preterito, neque dicam vel faciam in futuro, quominus hec tota suprascripta cessio et hec omnia... in sua semper maneant firmitate: nec contra hanc cessionem... veniam...., facta etiam a me renunciacione juris... Sic Deus me adjuvet et hec sancta ejus evangelia a me corporaliter tacta.

Super ipso jurejurando, tibi acciones meas omnes et singulas cedendo, te dictum dominum G[uillelmum], Magalonensem episcopum, ut in rem tuam propriam me disvestiendo et te investiendo, et, tua auctoritate, in corporalem possessionem intrare jubendo, dominum et possessorem de toto jamdicto honore facio et confirmo; precipiens de toto ipso honore possessionem auctoritate tua propria adypisci.

Acta sunt hec anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo duodecimo, tercio decimo kalendas januarii, in presencia et testimonio Johannis de Latis causidici, Johannis Bocados, Stornelli, Raimundi Girardi, Sicardi de Olargis, canonicorum, Petri Gras, Bertrandi de Vallauquesio et Petri Guitardi, notarii, qui mandatus hec scripsit.

(Reg. E, fol 162 r°).

CCCXXIII. — 4 janvier 1212 (n. s. 1213)

Raimond Alamand se reconnaît vassal de l'évêque et lui fait hommage pour sa maison de Gigean.

In nomine Domini. Anno ejusdem Incarnationis M° II° XII°, pridie nonas januarii, ego Raymundus Alamandi.... spontanea et propria voluntate mea, ex mera liberalitate et certa sciencia, facio et constituo me hominem tui, Guillelmi de Altiniaco, Magalonensis episcopi, et successorum tuorum Magalonensium episcoporum, et modo de presenti, junctis manibus hominium tibi facio, et dominationi et jurisdiccioni tue et successorum tuorum me subjicio, et mitto; et fidelitatem tibi et successoribus tuis, in omnibus et per omnia promitto; et per te et per manus tuas et successorum tuorum recipio domum meam, cum introitibus et exitibus, et cum omnibus suis pertinenciis et adjacenciis, que est in barrio de Gigano, et confrontatur a circio et corina cum camino publico, ab aquilone cum domo Guillelmi de Lezano (*un blanc de 3 cent.*), cum orto sive casali viriderie, in qua domus [est] cum omnibus suis pertinenciis; dono, laudo et concedo tibi, et omnibus successoribus tuis, imperpetuum, consilium, dominium et laudimium, et singulis annis ad festum sancti Michaelis VI denarios pro usatico.

Et quod [h]actenus meo nomine possedi, incipio tuo nomine possidere, et te et successores tuos exinde certos dominos facio et esse volo.

Et ego Guillelmus, Dei gratia Magalonensis episcopus, per me et per successores meos, te Raymundum Alamandi, in fidelem hominem recipiens per stipulationem te, ut fidelem et karissimum hominem meum, in omnibus et per omnia salvare et custodire, et ab omni illicita exaccione defendere juste et legitime, promitto.

Testes sunt Raymundus Gerardi archipresbiter Magalonensis, Bernardus Faber, Petrus de Vinea, bajulus de Gigano, Guiraldus de Cocone, et Ugo Laurencii notarius, qui, mandato parcium, hec scripsit.

(Reg. D, fol. 210 r°).

CCCXXIV. — 29 mai 1213

Ermessens, veuve de Raimond de Vacquières, et Raimond Augier vendent à Sicard d'Olargues, prieur de Murviel, leur part sur un jardin sis dans cette paroisse.

Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo tercio decimo, quarto kalendas junii, ego Ermessens, uxor quondam Raimundi de Vacheriis, et ego Raymundus Autgerius, ejus consanguineus, nos omnes... vendimus... pro libero alodio Domino Deo et ecclesie Sancti Johannis de Muroveteri, et Sicardo *d'Olargue*, priori ejusdem ecclesie, et omnibus successoribus suis, et tibi Philippo, clerico ejusdem ecclesie, pro dicto priore absente, et ejus nomine, et ad utilitatem dicte ecclesie recipienti, videlicet totam quartam nostram [partem] pro indiviso quam habebamus, et habere debebamus, in quarto cujusdam orti, quem predicta ecclesia habet et tenet ad Fontem, in terminio Sancti Johannis de Muroveteri; qui ortus confrontatur (1) a circio cum Fonte, et ab aquilone cum carreria, et a vento cum orto Poncii de Riperia, et a corina cum condamina ecclesie.

Propter hanc autem venditionem... dedisti michi tu, Philippus predictus, nomine precii, pro predicto priore tradenti et ejus nomine, sex solidos melgorienses, quos (2) omnes de te habuimus et accepimus, renunciantes exceptioni non numerate peccunie, et non soluti (3) precii, et si amplius hoc precio valet... donamus.

Preterea sub venditione predicta, et sub dicto precio, solvimus... predicte ecclesie Sancti Johannis, et dicto priori suo, et omnibus successoribus suis imperpetuum, generaliter omnia jura quecumque habebamus.... in toto supradicto orto; et promitimus... tibi dicto Philippo, pro dicto priore recipienti, quod ipsum priorem et omnes suos successores faciemus dictam quartam partem nostram semper habere et tenere

(1) Cart.: *conffrontatur*.
(2) Cart.: *quod*.
(3) Cart.: *solute*.

quiete pro indiviso, et pro libero alodio, et ab omni contradicente jure defendemus; et pro evictione damus dicte ecclesie regressum in omnibus rebus nostris.

Totum hoc plenarie tenebimus, et observabimus, et contra non veniemus; plevimus per fides nostras.

Testes sunt G. de Menreza, R. de Caravetis (1), Guillelmus Fusterius, P. de Sancto Egidio, et Jacobus Laurencii notarius, qui hec scripsit, rogatus a partibus.

(Reg. C, fol. 175 r°).

CCCXXV. — 13 juin 1213

Reconnaissance faite à Guillaume d'Autignac par Bernard du Pin de tous les biens qu'il tient de l'Église de Maguelone dans la paroisse de Mireval.

Manifestum et notorium presentibus, et clarum et indubitatum futuris, quod ego Bernardus de Pinu, sciens de facto et certioratus de jure, Deo auctore et veritate previa.... recognosco... vobis domino G[uillelmo] de Altiniaco, Dei gratia Magalonensi episcopo, quod ego habeo et teneo in feudum censatum (2) a vobis, dicto domino Magalonensi episcopo, hunc honorem infrascriptum, quod est in parrochia Sancte Eulalie de Miravalle, de quo honore Petrus Saturnini habet unam peciam terre, quam tenet a me, que confrontatur a vento cum palude, a circio cum honore Lobassone Bernardi de Melgorio;

Et unum ortum quod confrontatur a circio cum honore Lobassone, a vento cum honore Guillelmi Aimonii, a corina cum via qua itur a Miravalle ad stagnum;

Et aliam peciam terre, quam tenet a me Petrus Saturnini, que confrontatur a circio cum honore Iteriorum, ab aquilone cum honore Petri Ricardi;

Aliam peciam terre, que confrontatur cum via qua itur ad nemus, a circio cum honore Petri Ricardi;

(1) Cart.: *Caraveris*.
(2) Cart.: *sensatum*.

Item unam faissam ad Peireriam, que confrontatur ab aquilone cum via qua itur ad nemus, a vento cum honore Petri de Sancto Egidio;

Item aliam peciam terre, que confrontatur a corina cum honore Iteriorum, a circio cum honore de castro;

Item aliam peciam terre, que confrontatur a corina cum honore Coste, a vento cum honore Bernardi Berengarii;

Item aliam petiam terre, que confrontatur ab aquilone cum honore Bernardi Berengarii, a circio cum honore condam Johannis Polliciani;

Item unum planterium *a Canet*, quod confrontatur cum mata mei ipsius Bernardi de Pinu, a circio [et] a vento cum planterio Beatricis;

Item aliam peciam terre, que confrontatur a corina cum planterio Porcellorum, ab aquilone cum honore Julianorum;

Item aliam peciam terre, que confrontatur a vento cum honore Julianorum, a circio cum honore Porcellorum;

Item quamdam matam, que confrontatur ab aquilone cum honore Porcellorum, a corina cum via qua itur ad nemus;

Item unum stare, quod tenet a me Guillelmus de Montearbezone, et est in castro de Miravalle; et confrontatur a corina cum via publica, a circio cum stari Petri Ricardi;

Item quamdam domum, quam tenet Pontius Lobassonus, et confrontatur a corina cum stari Guillelmi de Montearbezone, ab aquilone cum domo Marie de Cellis;

Item quamdam domum, quam tenet Maria de Cellis, que confrontatur a corina cum domo Poncii Ebrardi;

Item quamdam domum quam tenet Raimundus de Crecio, et confrontatur cum domo Guillelmi de Montearbezone, a circio cum muro castri, via in medio;

Item quamdam domum, quam tenet na Salvariz que confrontatur a circio cum domo Guillelmi de Montearbezone, via in medio;

Item quoddam stare, quod tenet Petrus Ricardi, et confrontatur a corina cum stari Raimundi de Crecio, et a vento cum stari Guillelmi de Montearbezone;

Item medietatem staris Julianorum, quod confrontatur a

vento cum domo Poncii Ebrardi, a corina cum stari Petri Ricardi;

Item unum casale, quod confrontatur a corina cum via qua itur ad stagnum, ab aquilone cum condamina (1) castri de Miravalle.

Et ego, predictus Bernardus de Pinu, tactis sacrosanctis evangeliis, nomine predicti feudi, juro vobis, prefato domino episcopo, et successoribus vestris, fidelitatem, faciendo vobis hominium pro predictis, flexis genibus, et inter manus vestras manibus meis interpositis, et prestito osculo observande fidelitatis, et recognitionis, dominacionis, et debite subjectionis.

Preterea ego, supradictus Bernardus, in prefato sacramento, assero me nescire aliud pertinere ad dictum feudum, preterquam dictum est. Quod si ad scientiam meam devenerit, unquam ego illud non celabo; imo faciam totum illud vobis domino episcopo et vestris successoribus manifestum, et etiam inde vobis et vestris successoribus recognitionem debitam faciamus.

Acta sunt hec omnia solemniter apud Villlamnovam, in porticu curie ipsius domini episcopi, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo tercio decimo, idibus junii, in presencia et testimonio Petri de Lunello, archidiaconi Magalonensis, Berengarii de Valveria, bajuli dicti domini episcopi, Vitalis, et Bernardi Fornerii, et Johannis Bedocii, notarii, qui hec rogatus scripsit.

(Reg. A, fol. 25 r° et 25 v°).

CCCXXVI. — Juillet 1213

Reconnaissance faite au prieur de Sainte-Marie de Melgueil par Paul de Pierrefiche et son frère de tous les biens qu'ils tiennent de cette église.

Anno Dominice Incarnationis M° CC^{mo} XIII°, mense julii, ego Paulus de Petraficha, et ego Bernardus Aimericus frater

---

(1) Cart.: *condamiana*.

ejus, filii quondam Aimerici de Petraficha, nos duo in simul... recognoscimus tibi domino Bremundo (1) de Vicenobrio, priori ecclesie Beate Marie de Melgorio, interroganti, quod nos habemus et tenemus ad feudum a te et a dicta ecclesia, scilicet omnes vineas et terras quas habemus in vineto de Peracio, excepta tamen una pecia vinee alodii, que est unius quarteriate minus aliquantulum, et continuatur a circio cum via qua itur a Melgorio versus prata de Alayranicis, a corina cum terra nostra quam a dicta ecclesia tenemus.

Et etiam tenemus a dicta ecclesia tres pecias vinearum, et unam peciam terre, in vineto de Morrigol ; dictarum trium peciarum una terminatur a vento, cum via qua itur de Petraficha apud Ovorium, a circio cum honore Giraldi Gralle et infantum quondam Guillelmi Gammonerii, et cum terra nostra ; de hoc feudo altera conjungitur a circio cum vinea Raimundi Lautardi, a vento cum vinea Martini Boni Occuli, a corina cum via qua itur de Oliveta longa versus Vallem Auream ; tercia pecia conjungitur a vento cum via que ducit a Petraficha versus Follam, a circio cum vinea Bernardi de Rinaco, de qua nobis dat quartum et V denarios et gardiam, et est de hoc feudo, et dicta pecia terre continuatur a vento cum prima vinea prenominata (2), et cum via publica qua itur apud Ovorium.

Et tenemus ex hoc feudo tres pecias terrarum in pertinimento de Petraficha, quarum una confrontatur a vento cum camino Lunelli, qui (3) transit ad Petramficham, a corina cum [via] qua tenditur de Melgorio ad Castrias ; altera pecia terminatur a corina cum dicta via qua itur ad Castrias, ab aquilone cum via qua itur apud *Alairanegues* (4), a circio cum terra Poncii Johannis, et cum alia terra nostra alodii ; tercia pecia conjungitur a corina cum via qua itur apud *Aleiranegues*, a vento cum terra Poncii Johannis, a circio cum terra Guillelmi

(1) Cart.: *Bremundi*.
(2) Cart.: *prenominato*.
(3) Cart.: *que*.
(4) Saint-Barthélemy de Layrargues, commune de Mauguio.

de Salarone (1); et una pecia terre, que vocatur terra de Prato, et continuatur a circio cum terra quam tenemus a Gaucelmo de Monteherbesone, ab aquilone cum vinea Guillelmi Seguerii, via in medio.

Et pro hoc feudo predicto, dare tenemus annuatim, in festo sancti Michaelis, tibi, dicto domino priori stipulanti, et successoribus tuis, dicte ecclesie rectoribus, XXI solidos et II denarios melgorienses nomine usatici et census; et si plus ex hoc feudo ad nostram pervenerit scienciam, totum tibi vel successoribus tuis per hec sancta Dei evangelia fideliter demonstrabimus, renunciato omni jure quo juvari possemus.

Testes sunt hujus rei tocius Petrus Almeradus miles et causidicus (2), R. de Albiniaco, Martinus monetarius, Poncius Gastonis, et Petrus Carbonelli notarius, qui hec omnia scripsit, ab utraque parte rogatus.

(Reg. D, fol. 38 v°).

CCCXXVII. — 13 août 1213

Guillaume Rostang de Cournon vend au prieur de Murviel la moitié du huitième qu'il possède par indivis sur un jardin.

Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo tercio decimo, idibus (3) augusti, ego Guillelmus Rostagnus de Cornone... vendo... Domino Deo et ecclesie Sancti Johannis de Muroveteri, et tibi Philippo, in ipsa ecclesia existenti sacerdoti pro ipsa ecclesia, et ad ejus comodum recipienti, videlicet totam medietatem pro indiviso tocius octavi, quam ego habebam, et habere et percipere debebam, in toto illo orto quem illa dicta ecclesia habet in decimaria Sancti Johannis de Muroveteri; qui ortus confrontatur ex circio cum fonte, et a corina cum condamina ecclesie, et a vento cum orto Poncii de Riperia. Et generaliter comprehendo in hac vendicione omnia jura que habebam, vel habere debebam, in toto supradicto orto.

---

(1) Cart.: *Salorone*.
(2) Cart.: *jausidicus*.
(3) Cart.: *idus*.

Intuitu vero hujus prescripte venditionis et traditionis, dedisti michi, nomine precii, sex solidos melgorienses, in quibus exceptioni non (1) numerate peccunie renuntio. Et si amplius hoc precio valet... illud totum.. dono: et totam hanc medietatem meam predicti octavi faciam dictam ecclesiam Sancti Johannis... tenere quiete, et ab omni contradicente jure defendam; et pro evictione dono dicte ecclesie regressum in omnibus rebus meis.

Testes sunt Guillelmus de Monreza, Johannes Fornerius, Berengarius de Serigosta, et Jacobus Laurencii notarius, qui hec scripsit, rogatus a partibus.

(Reg. C, fol. 175 v°).

CCCXXVIII. 17 août 1213

Guillaume de Castlar vend à Guillaume d'Autignac tout ce qu'il possède à Gigean.

In nomine Domini. Anno ejusdem Incarnationis millesimo ducentesimo tercio decimo, sexto decimo kalendas septembris, ego, Guillelmus de Castlario, filius quondam et insolidum heres Guillelmi de Castlario.... vendo... Domino Deo et Magalonensi Ecclesie, et tibi, domino Guillelmo de Altiniaco, Magalonensi episcopo, et omnibus successoribus tuis ad omnes voluntates... videlicet totam totaliter terciam partem [pro] indiviso in quinque solidis melgoriensibus, quos Bernardus Catalani de Gigano, singulis annis, michi et particibus meis donat et dare tenentur ipse et sui pro tota illa domo, sive lari, quod tenet infra castrum de Gigano cum omnibus suis pertinenciis et adjacenciis: que eciam domus confrontatur cum domo Raimundi Vitalis, a vento (2) et a circio (3) cum muro castri:

Et totam totaliter terciam partem pro indiviso de tribus

(1) Cart.: *vero*.
(2) Cart.: *ad vento*.
(3) Cart.: *cipcio*.

solidis melgoriensibus et de tribus boneriis censualibus, in quolibet anno, et de toto quarto, quem idem Bernardus Catalani donat et facit pro tota una pecia terre, quam tenet in Burgata vetula, que confrontatur a circio cum orto Guillelmi Ermengavi, et a corina cum Campo Rotundo ;

Et pro quartuor sestariatis terre, quas tenet in loco qui dicitur Area vetula, que tenentur ab aquilone cum terra Petri de *Prades*, et a circio cum terra Petri Rainulphi ;

Et pro novem sestariatis terre, quas tenet in loco qui dicitur ad Grezillam, et tenentur a vento cum strata publica beati Jacobi, et a corina cum terra Raimundi de Cornone ;

Et pro aliis novem sestariatis (1) terre [que confrontantur] cum garriga prefata (2), et a circio cum terra que extenditur usque ad menia (3) Villenove, in loco qui dicitur *Leuzan*, et confrontantur a vento cum garriga prefata, et a circio cum terra tua ;

Et pro aliis novem sestariatis terre, que sunt ad Petram Ficatam, et tenentur a vento cum terris Guillelmi Ermengaudi, et a circio cum via qua itur apud Cornonem ;

Et pro duabus sestariatis terre, que sunt in ipso loco, et confrontantur a corina cum terris Raimundi Agreti ;

Et pro una sestariata terre ad prata de Barreria, que tenentur a vento cum terra Bernardi Grallon et fratrum ejus ;

Et consilium, dominium, laudimium, firmancias et justicias pro tercia parte ; et totum aliud jus quod habeo et habere debeo in toto predicto stari et domo supra confrontata, et in omnibus et singulis honoribus supra confrontatis et nominatis.

Et eodem modo, et pacto, et prorsus eodem tenore vendo... tibi domino G[uillelmo], Magalonensi episcopo, et omnibus successoribus tuis ad omnes voluntates... videlicet totam totaliter partem terciam pro indiviso in tota illa sala et casali, cum ingressibus, et egressibus, et cum omnibus suis pertinenciis, et adjacentiis, infra muros de Gigano, et confrontantur

(1) Cart.: *sestariis*.
(2) Il doit y avoir une lacune dans ce document.
(3) Cart.: *ma*. Le prolongement de l'*a* est recourbé sur l'*m*.

a circio cum muro castri, et ab aquilone cum domo dicti Bernardi Catalani :

Et in quadraginta sestariatis de terra cum omnibus suis pertinenciis, in loco qui dicitur Mala Corsa, et tenentur a vento cum terra domini episcopi, et a corina cum campo Poncii Fabri ;

Et in aliis decem sestariatis terre cum omnibus suis pertinentiis, ad Grazillam, et confrontantur ab aquilone cum terris Sancti Felicis de Monteceven, et a vento cum ripperia de Dunsos ;

Et in aliis decem sestariatis terre cum omnibus suis pertinenciis ad Dunsos, et tenentur a corina cum terra Sancti Felicis, et a vento cum ripperia de Dunsos.

Et generaliter vendo... tibi et successoribus tuis, totum aliud jus quodcumque habeo vel habere possum, vel debeo, vel habere videor (1), et in toto predicto honore supra assignato, et in omnibus ejus pertinenciis ; et totum alium honorem et alia omnia consilia, dominia, laudimia, usatica, quartos, census, firmancias, justicias, satisdaciones, et omnia alia jura, et eciam culta et inculta, quecumque michi competunt, vel competere possunt, vel debent, vel michi, vel patri meo unquam (2) compecierunt, vel competere potuerunt, in isto castro de Gigano, intus et extra, in tota decimaria Sancti Genesii (3), et in toto ejus territorio, sicut melius et plenius ad utilitatem tuam et successorum tuorum dici vel intelligi potest, et sicut ego et pater meus, et ejus uxor, vel antecessores ejus, melius et largius habuimus, [et] tenuimus, vel aliquis alius per nos vel nomine nostro.

Et dono et cedo tibi et successoribus tuis omnem peticionem, accionem, et totum jus quod, nomine vel occasione predictarum rerum venditarum, vel alicujus earum, habeo, vel habere debeo, contra quaslibet res vel personas habeo, vel habere possum, vel debeo, per me et per alium, et cedendo

(1) Cart.: *habere video.*
(2) Cart.: *nunquam.*
(3) Cart.: *Jenerii.*

acciones meas directas et utiles et jus, te et successores tuos in rem vestram procuratores facio ; et scio et in veritate profiteor quod ego et pater meus et ejus antecessores hec omnia et singula vendita, de te et predecessoribus tuis, ad feudum tenebamus ; de quibus omnibus me et meos omnino disvestiens, te et successores tuos penitus (1) investio ; et certos et speciales dominos et possessores perpetuo faciendo, vestra propria auctoritate possessionem vacuam vos ingredi et adipisci jubeo.

Propter hanc autem vendicionem et tradicionem predictam, irrevocabiliter permansuram, scio et in veritate recognosco me habuisse et recepisse a te G[uillemo], Magalonensi episcopo, ducentos solidos melgorienses, precii nomine, ita quod nichil remansit penes te in debito vel [ad] solvendum ; in quibus exceptioni non numerate peccunie et non soluti precii renuncio ; et quod amplius hec vendita memorato precio valent... illud totum... in vos prorsus transfero ; et promitto... quod hec omnia et singula faciam te et successores tuos semper habere et tenere quiete, et ab omni contradicente jure defendam : et pro evictione... dono vobis regressum specialiter super totum honorem, et super omnia jura quecumque habeo apud Lunellum et apud Armazanica, et in eorum terminio, et generaliter super omnes alias res meas mobiles et immobiles ubicumque sint, vel fuerint ; et facta a me renunciacione juris scripti... inviolabiliter observabo. Sic Deus me adjuvet et hec sancta Dei evangelia a me tacta, sub ipso juramento cognoscens me esse majorem viginti quinque annis.

Horum omnium testes sunt Raimundus Gerardi archipresbiter, Guillelmus Catuli, canonici, Raimundus de Lauda, Bernardus filius ejus, Berengarius de Bojano, Guiraldus de Cocone, Guillelmus de Campanniano, Guillelmus Dionisius de Curia, Guillelmus de Podio Sartre, Guillelmus Mainada, et Ugo Laurencii notarius, qui mandato parcium hec scripsit.

(Reg. F, fol. 309 r°).

(1) Cart.: *petitus*.

CCCXXIX. 1er septembre 1213

Raimond Benoît vend en franc-alleu, à Guillaume d'Autignac, les deux moulins de Tortorel.

In nomine Domini. Anno ejusdem Incarnationis millesimo ducentesimo decimo tercio (1), kalendis septembris, ego Raimundus Benedicti... vendo... pro libero, absoluto et francho alodio Domino Deo et vobis, domino Guillelmo de Altiniaco, Magalonensi episcopo, et omnibus successoribus vestris, ad omnes voluntates vestras plenarie faciendas, videlicet duo molendina mea, que vocantur Tortorel, cum suis ictibus, aquis, aqualibus, aquarum decursibus, vircariis, insulis, et casali in quo sunt, et cum omnibus instrumentis, piscationibus, arboribus; et turrem, sive forciam, in ipsis vel prope ipsa existentem; et omnes terras, cultas et incultas, rippatica, prata, pascua que juxta molendina predicta habeo, vel habere debeo: que molendina sunt in flumine Amancionis.

Et generaliter vendo... pro libero et francho alodio vobis et successoribus vestris ad omnes voluntates... omnes honores cultos et incultos, cum omnibus suis pertinenciis et adjacenciis, et cum omnibus his que ad dicta molendina vel ad honores predictos pertinent.... quos habeo... in tota decimaria Sancti Felicis de Veiruna, et in tota decimaria Sancti Johannis de Vedatio, et in tota decimaria Sancti Stephani de Bejanicis (2), et in earum omnibus territoriis vel terminiis, sicut ego vel alius per me, vel nomine meo, melius et plenius unquam habuimus et tenuimus, vel visi fuimus habuisse et tenuisse;

(1) Cart.: *ducestesimo quadragesimo tercio.* Faute évidente du copiste. Nous avons rencontré, plus haut, ce Raimond Benoit, qui ne devait pas exister en 1243. De plus, l'acte porte en toutes lettres le nom de l'évêque. Nous avouons qu'on pourrait lire la date : 3 des calendes de septembre 1210.

(2) Lavérune et Saint-Jean de Védas, près Montpellier ; Béjargues, commune de Saint-Jean de Védas.

Et in hac vendicione et concessione dono, et cedo vobis et vestris successoribus omnem peticionem, actionem, et totum jus quod, nomine predictorum molendinorum, vel prescriptarum rerum vel aliquarum (1) earum, michi competit, vel competere potest, vel debet, vel aliquo tempore competit, contra quaslibet res vel personas; et cedendo actiones meas directas et utiles, et jus omne, quodcumque sit, vos et successores vestros in rem vestram procuratores facio et constituo harum omnium rerum venditarum, cum omnibus pertinenciis earum et omnium jurium que in eis vel pro eis habeo, vel habere possem; vos investiendo, et certum et specialem dominum, et possessorem perpetuo faciendo, et dominium et proprietatem, et jus totum quod, nomine proprietatis, vel alio quovis modo qui dici vel excogitari posset, in eis ad me pertinere posset vel potest; in vos et successores vestros omnino transferens, me et meos penitus disvestio, et vestra propria auctoritate possessionem vacuam, et quasi possessionem, ingredi et adipisci (2) volo et jubeo.

Propter hanc autem venditionem... precii nomine, profiteor michi te dominum Guillelmum, Magalonensem episcopum, dedisse decem milia solidorum melgoriensium, de quibus a te michi ita satisfactum est, quod nichil ex eis remansit in debitum, vel ad solvendum; in quibus per me et per meos exceptioni non numerate peccunie... renuncio; et quod amplius res supra vendite dicto precio valent... illud... dono...; et promitto... quod... faciam vos et successores vestros semper habere et tenere quiete pro alodio francho et libero; et ab omni contradicente homine et femina jure defendam; et pro evictione... dono vobis et successoribus vestris regressum generaliter super omnes res meas mobiles et immobiles, ubicumque sint vel fuerint.

Item promitto et convenio vobis et successoribus vestris per stipulationem, facta a me renunciatione juris... nichil me vel aliquem alium dixisse... quod his que supra continentur

---

(1) Cart.: *alicius* ou *alicuis*.
(2) Cart.: *adipisi*.

vel alicui (1) predictorum obviet : nec contra hanc vendicionem et donationem... aliqua juris legis vel usus subtilitate.... venire temptabo : sed universa hec predicta et singula plenarie tenebo ... promitto vobis in bona fide mea requisita.

Horum omnium testes sunt Petrus de Lunello, Magalonensis archidiaconus, Petrus Lumbardi diaconus, Petrus de Aurellis sacerdos, Guillelmus de Conchis, Petrus Torpassen, Berengarius Aimerici, Johannes Boccados, Guiraldus de Cocone, Vinaldus Januensis de Quatuor Casis, et Ugo Laurencii notarius, qui mandato parcium hec scripsit.

(Reg. C, fol. 177 r°).

CCCXXX. — 10 septembre 1213

Pons de Fontalier vend au prieur de Murviel un cens annuel de trois deniers qu'il a sur un jardin.

Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo tercio decimo, quarto idus septembris, ego Poncius de Fontalerio... vendo... Domino Deo et ecclesie Sancti Johannis [de] Muroveteri, te Philippo sacerdote, ipsam venditionem pro ipsa ecclesia et ad comodum ipsius ecclesie recipiente, et pro libero et absoluto alodio ipsi (2) ecclesie solvo et derelinquo imperpetuum, absque ulla retentione et exceptione, videlicet totum consilium, et dominium, et laudimium, et tres denarios censuales, et omne illud jus quod habebam... vel visi sumus habuisse et recepisse, ego vel predecessores mei, in toto uno orto cum omnibus suis pertinenciis, qui est in decimaria Sancti Johannis de Muroveteri : et confrontatur ex una parte cum Fonte, et ex alia parte cum condamina ecclesie, et ex alia parte cum orto Poncii de Riperia, et ex alia parte cum carreria.

Propter hanc autem venditionem... dedisti... michi tu, dictus Philippus, pro dicta ecclesia, septem solidos melgorienses.

---

(1) Cart.: *aliquo*.
(2) Cart.: *ipse*.

quos omnes bene et plenarie de te habui et recepi, renuncians ex certa sciencia exceptioni non numerate pecunie et non soluti precii; et sub eodem precio laudo et confirmo predicte ecclesie Sancti Johannis omnes adquisitiones quas fecit de medio quarto predicti orti; et quicquid inde michi competebat, ipsi ecclesie solvo et derelinquo in perpetuum, et totum illud ei remitto; et si predicta vendicio et laudimii solutio (1) plus valent... illud totum... dono; et tibi, dicto Philippo stipulanti (2), promitto, quod hec omnia... faciam dictam ecclesiam Sancti Johannis semper habere et tenere quiete pro libero alodio, et ab omni contradicente jure defendam; et pro evictione dono tibi et dicte ecclesie regressum specialiter in toto dominio et usatico, et in toto jure quod habeo in prato Poncii de Mezoa, qui confrontatur ab aquilone cum via, et a circio cum orto Johannis de Olivario, et a corina cum orto G. Devadam, et generaliter in omnibus rebus meis.

Testes sunt P. de Sancto Egidio, Vezianus, Bigoira, Stephanus de Roerio, et Jacobus Laurencii notarius, qui hec scripsit, rogatus a partibus.

(Reg. C, fol. 175 v°).

CCCXXXI. — 31 octobre 1213

Guillaume Titlad promet à Guillaume d'Autignac de lui payer le surplus des droits de lods, quand la vente des maisons qu'il a acquises sera définitive.

Anno Dominice Incarnationis M° CC° tercio decimo, pridie kalendas novembris, ego, Guillelmus Titiadi, promitto... tibi, domino Guillelmo de Altiniaco Dei gratia Magalonensi episcopo, quod si forte vendicio illa, que [h]eri michi facta fuit ab Elendino et G. Rufo fratribus de estari suo de Flocaria (3), et de tiratoriis, et orto, que conditionaliter facta est, firma

(1) Cart.: *laudimiis soluto.*
(2) Cart.: *stiplilanti.*
(3) Cart.: *Folquaria.*

remanserit, ita quod revocata non sit ab hinc usque ad proximo veniens festum Assumptionis Beate Marie, ego deinde, quandocumque volueris, ad tuam voluntatem et comonitiones, vel bajuli tui, dabo et persolvam tibi octo libras et dimidiam Melgorii, que (1) remanerent ad solvendum de decem libris quas debuisti habere pro laudatione, a te michi facta, super predicta venditione, si ipsa vendicio firma remanserit a festo Assumptionis Beate Marie in antea; et incontinenti habuisti residuos triginta solidos.

Testes sunt G. Luciani, Stephanus frater ejus, P. Nig[r]ellus, Ugo de Rutenis, Guiraldus de Cocone, et Jacobus Laurencii notarius, qui hec scripsit, rogatus a partibus.

(Reg. C, fol. 134 r°).

CCCXXXII. — 7 janvier 1213 (n. s. 1214)

Innocent III ordonne une enquête sur les droits des Pelet sur le comté de Melgueil.

(Reg. A, fol. 189 v°, et Reg. C, fol. 48 r° à 50 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. I, p. 356.

CCCXXXIII. — Février 1213 (n. s. 1214)

Bernard de Lauda, Pons Bernard (2) et Raimond de Melgueil donnent à acapte une partie de l'étang, pour y établir sept maniguières au travers de Carnon.

Anno Dominice Incarnationis millesimo II^c^ tercio decimo, mense februarii, ego Bernardus de Lauda, bajulus Melgorii, et ego Poncius Bndi, et ego Raimundus de Melgorio, nos tres

(1) Cart.: *qui*.

(2) Bien que nous conservions dans cet acte l'abréviation du *Cartulaire*, nous croyons cependant que ce personnage est le même que Pons Bernard, mentionné dans l'acte CCCXXXV.

in simul... in acapitum donamus... vobis Guillelmo Sonerio de Latis, et fratri tuo Raimundo, et vestris, et quibuscumque volueritis, ad omnes voluntates vestras... exceptis... salvo tamen dominio, et consilio, et usatico nobis et successoribus nostris, et salva etiam nobis dimidia omnium fructuum seu reddituum inde exeuncium, videlicet quandam partem stagni ad septem manegueri as faciendas infra traversum de Carnone, a vento continuatur cum maneguer iis quas accaptavit a nobis Budus Ferraderii.

Pro hac accapiti donatione habuimus et recepimus a vobis, nomine accapiti, quinquaginta et quinque solidos melgorienses, quorum penes vos nichil remansit ad solvendum; et in eis exceptioni non numerate peccunie renunciamus; et si plus dicto precio valet duplum, triplum vel amplius, illud totum, nomine accapiti, vobis donamus. Vos autem et vestri dabitis domino comiti Melgorii, et nobis Poncio Budo, et Raymundo de Melgorio, et nostris, totam dimidiam omnium piscium inde captorum, seu reddituum inde proveniencium; et annuatim, in vigilia Natalis Domini, duas libras piperis nomine usatici et census: in quo dominio, consilio (1) et in dimidia dictorum reddituum seu piscationum, dominus comes Melgorii habeat totam dimidiam; et nos Poncius Budi et Raymundus Melgorio, aliam dimidiam.

Et volumus quod vos et heredes vestri, vel nuncius vester, vel quilibet permanens in hoc negocio, seu capiens predictam piscationem vel predictos redditus, faciat nobis annuatim, ad nostri nostrorumve monitionem, sacramentum evangeliorum, ut dictam dimidiam piscium, inde captorum vel obventorum, nobis vel nostro nuncio fideliter reddat.

Et non paciemur ut quilibet alius faciat maneguerias a stagno de Magalona usque ad stagnum Raymundi Gaucelmi, nisi illi qui, juxta vestras predictas maneguerias, alias ibi facere voluerint cum vestro tamen consensu; et vos et res vestras omnes, et quemlibet ibi pro vobis existentem vel permanen-

---

(1) Cart.: *concilio*.

tem recipimus in protexione, et dominicatu (1), et salvataria nostra, per nos et per omnes successores nostros; et vobis stipulantibus promittimus quod hanc accapiti donationem et hec omnia firma teneamus, et contra nunquam aliquo jure vel ratione veniamus, et ab omni contradicente semper jure deffendemus; et si quod inde aliquando fuerit evictum, totum vobis jure restituemus, et indempnes vos conservabimus; et renunciantes omni juri scripto vel non scripto, quo contra hec vel horum quid modo vel imposterum juvare possemus.

Hec omnia et singula per fidei nostre juramentum imperpetuum firmiter observabimus.

Testes sunt Bndus Ferraderis, Bndus de Circio, Paulus Merteris, P. Goyrannus, Bndus Gache, G. de Marginis, P. Guillelmi de Maurojolis, et P. Carbonelli notarius Melgorii, qui hec omnia scripsit, ab utraque parte rogatus.

(Reg. F, fol. 384 r°: d'après un vidimus de 1287, et reg. C, fol. 190 r°).

CCCXXXIV. — Mars 1213 (n. s. 1214

Guillaume d'Autignac donne une maison à acapte.

Notum sit omnibus hominibus quod anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo tercio decimo, mense marcii, nos G[uillelmus], Dei gratia, Magalonensis episcopus,... titulo perfecti acapiti... tradimus tibi Vitali, et tuis, et quibuscumque volueris ad omnes voluntates tuas... exceptis... cum consilio tamen nostro, vel successorum nostrorum, videlicet quamdam domum cum omnibus introitibus, et exitibus suis, et cum omnibus aliis suis pertinenciis, que sibi debent pertineri; et confrontatur a circio cum via publica, ab aquilone cum casali nostro, a vento cum stari nostro, a corina cum stari Petri Johannis.

Propter hanc autem donacionem et concessionem imperpetuum valituram et duraturam, habuimus et recepimus a te

---

(1) Cart.: *ducatu.*

supradicto, nomine acapiti, centum solidos melgorienses, de quibus penes te nichil remansit in debito; et dabis inde annuatim nobis et successoribus nostris, ad festum sancti Michaelis, unam eiminam ordei pro usatico. Totam predictam domum faciemus te et tuos semper habere et tenere in pace, et ab omni homine et femina contradicente semper deffendemus. Horum sunt testes Raimundus Guirardi, archipresbiter, Petrus de Montealto, Valentinus, Raimundus de Lauda frater domini episcopi, Bernardus de Lauda filius ipsius, Bernardus Coc, et Johannes Bidocii, notarius, qui hanc cartam scripsit, et signum suum apposuit.

(Reg. E, fol. 146 v°).

CCCXXXV. — 3 mai 1214

Échange entre Guillaume d'Autignac et Jean de Montlaur, archidiacre, prieur de Saint-Firmin, agissant en qualité de vestiaire de Maguelone.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis. Innotescat omnibus hec audientibus et legentibus, quod, propter evidentem utilitatem mutuam, talis facta est permutatio inter nos G[uillelmum] de Altiniaco, Magalonensem episcopum, et Johannem de Montelauro, Magalonensem archidiaconum, priorem Sancti Firmini, et procuratorem vestiarii Magalonensis Ecclesie: videlicet quod nos G[uillelmus], Dei gratia Magalonensis episcopus, per nos et per omnes successores nostros, damus et jure permutationis concedimus tibi, predicto Johanni archidiacono, et successoribus tuis prioribus ecclesie Sancti Firmini, et procuratoribus prefati vestiarii, videlicet ecclesiam Sancti Juliani de Grabellis cum decimis, primiciis, et cum omnibus aliis ad ipsam ecclesiam pèrtinentibus, quecumque sint, et qualiacumque sint et specialiter triginta solidos melgorienses, quos in ea et in ejus redditibus annuatim accipiebamus, salvo tamen nobis et successoribus nostris jure episcopali in prefata ecclesia, sicut illud percepimus et percipere debemus in aliis ecclesiis episcopatus nostri.

Preterea damus et concedimus, jure permutationis, tibi dicto Johanni, et successoribus tuis, ut determinatum est supra, omnia alia jura, corporalia et incorporalia, quecumque sint et qualiacumque sint, in rebus seu personis, infra parrochiam predicte ecclesie ad episcopum Magalonensem pertinentibus, que omnia et singula tibi et tuis successoribus omnino cedimus et plenarie transferimus, et jus dominii, et possessionis tibi et tuis successoribus, et ecclesie Sancti Firmini cedimus et concedimus, et possessionem omnium predictorum, tua propria auctoritate, te et tuos successores ingredi jubemus, et de ipsis omnibus et singulis, nomine ecclesie Sancti Firmini et Magalonensis vestiarii, te dominum et possessorem constituimus, et te et tuos successores inde investimus.

Et ego, prefatus Johannes de Montelauro, archidiaconus Magalonensis, et prior ecclesie Sancti Firmini, ac etiam procurator Magalonensis vestiarii, per me et per omnes in dicta ecclesia Sancti Firmini, et dicto vestiario succedentes, dono et jure permutationis concedo vobis, domino Guillelmo de Altiniaco, Magalonensi episcopo, et successoribus vestris, sine aliqua retentione, videlicet ecclesiam Sancti Johannis de Muroveteri, cum decimis, et primiciis, et cum omnibus aliis ad ipsam ecclesiam pertinentibus, quecumque sint et qualiacumque sint, et specialiter unum modium bladi, et unum modium vini, et quatuor sestaria ordei, que prior Sancti Firmini annuatim percipiebat in predicta ecclesia Sancti Firmini et ejus redditibus.

Preterea do et concedo per me et per omnes in predictis michi succedentes, jure permutationis, vobis domino G[uillelmo] de Altiniaco, Magalonensi episcopo, et successoribus vestris, omnia alia jura corporalia et incorporalia, quecumque sint et qualiacumque sint, in rebus seu personis, infra parrochiam predicte ecclesie ad ipsam, sive ad priorem Sancti Firmini et procuratorem dicti vestiarii Magalonensis pertinentia (1), que omnia et singula vobis et vestris successoribus omnino cedo et plenarie transfero, et jus dominii et posses-

(1) Cart.: *pertinentibus*.

sionis vobis et successoribus vestris prorsus cedo et concedo; et possessionem omnium predictorum vestra propria auctoritate vos et successores vestros ingredi jubeo, et de ipsis omnibus et singulis vos dominum et possessorem constituo et vos inde investio.

Acta sunt hec et laudata apud Montempessulanum, in camera dicti domini episcopi, anno Dominice Incarnationis M° II° XIIII°, V° nonas maii, in presencia et testimonio Raimundi Girardi, archipresbiteri Magalonensis, R. Bermundi, canonici Magalonensis, Guiraldi Amelii, prioris Sancti Mathei, Guillelmi de Campaga, prioris de Belloloco, Guiraldi de Cocone, bajuli dicti domini episcopi, Johannis de Latis causidici, et Ademari Scriptoris notarii, qui, rogatus a partibus, hec scripsit.

(Reg. F, fol. 306 v°; édité par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 211).

Cet acte est intéressant à plus d'un titre. Tout d'abord, les personnages : Jean de Montlaur, n'est autre que le futur évêque (voir Fasc. VIII de cette Publication) que nous retrouverons prévôt, et dont l'élection épiscopale sera soumise à une enquête.

En 1214, il est prieur de Saint-Firmin et archidiacre. Comme prieur de Saint-Firmin, il est vestiaire de Maguelone, dont la dignité, à cette époque, n'est pas encore un bénéfice indépendant. Ce sera Rainier qui érigera la vestiarié. On remarquera ici l'échange fait, et on comparera cet acte avec celui de l'érection de la vestiarié en bénéfice indépendant (Voir Fasc. VIII).

Pour plus de renseignements, consulter notre étude sur *la Décimarie du Vestiaire de Maguelone*, dans *Revue historique du diocèse*, 1re année.

CCCXXXV. — 15 mai 1214

Pons Bernard et Raimond de Melgueil donnent à acapte aux Templiers de Saint-Gilles la forêt de Concuris.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Anno Incarnationis ejusdem millesimo ducentesimo quarto decimo, mense madii,

idibus (1) ejusdem mensis, notum sit presentibus et indubitatum futuris, quod ego, Poncius Bernardus Catelli, et ego, Raimundus de Melgorio, per nos et per omnes nostros, quilibet pro dimidia et indiviso (2)... nullo quo presens acaptum in totum vel in partem recindi et revocari possit, damus... titulo acapiti Domino Deo et tibi Petro *de Dieu*, preceptori domus milicie Templi, site apud Sanctum Egidium, et per te dicte domui, et omnibus ibidem degentibus, presentibus et futuris ad omnes voluntates vestras plenarie faciendas..., cum consilio tamen nostro et nostrorum, videlicet totam silvam de Concuris cum piscaris, [h]erbis, pratis, nemoribus, arboribus et cum mota de Concuris, et terris cultis et incultis, et cum omnibus aliis ad dictam silvam pertinentibus et adjacentibus, sicut terminatur ab aquilone cum silva dominorum de Portu, a corina cum silva beati [Petri] Magalone, columpna dictas silvas terminante, a vento cum mari et [a] circio cum stagno; infra quos terminos liceat vobis et vestris successoribus domus construere, quascumque et quantascumque volueritis, et etiam omnia alia ibi facere juxta beneplacitum et voluntatem vestram sine aliqua nostra et nostrorum inquietudine et contradictione, et per stagnum et aquas ad predictam silvam et loca libere intrare et exire.

Pro hac autem acapti datione... habuimus et recepimus, nomine precii, precedente numeratione, quatuor milia et quingentos solidos melgorienses, in quibus ex certa scientia exceptioni non numerate pecunie renunciamus; et si plus valet dicto precio... illud totum... Domino Deo, et predicte domui, et tibi Petro *de Dieu*, pro dicta domo recipienti, de mera liberalitate (3) donamus, et in perpetuum sine aliqua retractatione (4) concedimus.

De omnibus vero predictis et singulis, infra predictas confrontationes contentis ab aqua maris usque ad aquam stagni,

---

(1) Cart.: *idus*.
(2) Cart.: *indivisio*.
(3) Cart.: *libertate*.
(4) Cart.: *retraccione*.

sicut aque modo sunt vel in futurum erunt, et a dicta silva dominorum de Portu usque ad silvam Magalone, nos devestiendo (1) utile dominium et possessionem, in te et dictam domum prorsus transferimus, et ipsius silve possessionem, et omnium predictorum, vos ingredi, auctoritate vestra, volumus et mandamus.

Retinemus tamen infra predictos terminos, et a predicto acapto excludimus, omnes aquales que ibi modo [sunt], et in hiis que imposterum fient retinemus in unamquamque septimanam levatam unam; si tamen aquales ab illis qui eas detinent alienarentur, ante omnes homines possitis eas retinere, salva nobis in eis levata. Verumtamen in predictis aqualibus, presentibus et futuris, transitum vobis et animalibus vestris concedimus; et liceat vobis in ipsis aqualibus (2), et circa ipsas aquales, sine contradictione nostra, vel eorum qui ibi habent vel habuerunt aquales, pascere (3) animalia vestra et adaquare.

Retinemus similiter, et a predicto acapto excludimus, salinas que modo ibi sunt, vel in futurum erunt, si ibi salinas facere volueritis; liceat vobis, salvo nobis et domino Melgorii, in eisdem, illud quicquid sit, quod in aliis percipimus, vel percipere debemus.

Retinemus similiter ut piscatores qui in stagno vel mari piscationem exercuerunt, cabanas infra predictos terminos habere, facere et mutare, et de lignis que ibi sunt vel erunt, focum facere, dum tamen arbores et tamarises non abcidant (4), et ligna inde non extrahant, nec exportent. Et si infra predictas confrontationes aper captus fuerit, nos et nostri capud habebimus; et si cervus, ancam habebimus; de aliis autem feris nichil ad nos, sed ad vos sine parte nostra, pertinebit, et tota alia cassa vestra propria erit.

Pro usatico autem omnium predictorum dabitis nobis et

---

(1) Cart.: *investiendo.*
(2) Cart.: *acalibus.*
(3) Cart.: *pasce.*
(4) Cart.: *absidant.*

nostris annuatim, in festo sancti Micaelis, XII solidos melgorienses.

Preterea concedimus vobis ut possitis omnia supradicta, in toto vel in parte, in aliam domum milicie Templi, vel in fratres alterius domus ejusdem Ordinis, quoquo alienationis titulo, transferre sine nostro et nostrorum consilio et laudimio; sed si in alias domos religiosas alterius Ordinis, sive in alias personas, exceptis (1) domibus et fratribus vestri Ordinis, transferre vel alienare volueritis, ex alia alienatione sive alienationibus ad nos et nostros consilium et laudimium pertinebit.

Omnia supradicta universa et singula, infra predictas confrontationes detenta, faciemus vos et vestros semper habere et tenere quiete, et ab omni contradicente jure et judicio defendemus; et pro evictione (2)... ego Poncius Bernardi pro dimidia me et omnia bona mea (3) dicte domui obligo; et, sollempni stipulatione interposita, sepefactam domum indempnem conservare promitto.

Et ego Raimundus de Melgorio, pro altera dimidia, me et omnia bona mea generaliter prefate domui obligo, et specialiter ea que habeo in castro de Melgorio, vel in ejus tenemento seu dominatione; et, sollempni stipulatione interposita, sepefactam domum indempnem conservare promitto.

Omnia supradicta universa et singula firma et illibata tenebimus et observabimus, et observari ab aliis faciemus; et nullo jure... contraveniemus, neque aliquem vel aliquos contravenire paciemur. Sic Deus nos adjuvet et hec sancta Dei evangelia a nobis corporaliter tacta.

Acta sunt hec apud Balgerias in presencia et testimonio Rostagni Catelli, Petri Seguerii de Moneta, R. de Marginis, Petri Guillelmi de Sancto Firmino, Poncii Bernardi juvenis, Petri Almeradi, et Johannis de Latis causidicorum, et G. de Ecclesia, et G. de Manso (4), G. Aprilis, Stephani Rebolli,

(1) Cart.: *exceptibus*.
(2) Cart.: *evectione*.
(3) Cart.: *nostra*.
(4) Cart.: *Deumanso*.

Guillelmoti fratris dicti Stephani de Marcellanicis, G. Petri, B. Gausi, G. Ade, Johannis Constantini, Petri Constantini, R. Michaelis fratris Deodati, G. de Pruneto, et B. Salomonis confratrum predicte domus milicie, et in presencia Petri Carbonelli notarii, qui hec scripsit eodem anno et mense ac die prescriptis.

Ego Maria, uxor Poncii Bernardi, omnia predicta et singula tibi, Petro *de Dieu*, et dicte domui milicie Templi, laudo et confirmo; et juri ypothecarum, nomine dotis vel lucri, vel qualibet alia de causa, in predictis michi competenti vel competituro renuncio; et nullo jure vel occasione contra veniam. Sic Deus me adjuvet, et hec sancta Dei evangelia a me corporaliter tacta.

Testes sunt Petrus Almeradus miles et causidicus, Rostagnus Catellus, R. de Marginis, Petrus Seguerius de Moneta, G. Aprilis, et Stephanus Rebolli, confratres domus milicie, et dictus Petrus Carbonelli, Melgorii notarius, qui hec scripsit.

(Reg. A, fol. 181 v°).

CCCXXXVI. — Juin 1214

Sentence du bayle de Montpellier en faveur de Guillaume d'Autignac au sujet de certaines maisons de Montpellier.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Notum sit presentibus et indubitatum futuris, controversiam diu fuisse ventilatam in curia Montispessulani, coram pluribus per diversa tempora successive existentibus bajulis; tandem coram Johanne Luciano, curie Montispessulani existente bajulo, inter dominum Guillelmum de Altiniaco, Magalonensem episcopum, et Petrum Lumbardum diaconum, a prenominato domino episcopo ad presentis cause litigium agitandum [et] complendum procuratorem constitutum, ex una parte; et Petrum Clementem fusterium ex altera.

Petebat siquidem dictus procurator pro domino episcopo dominium, consilium et laudimium in quadam domo, quam

Petrus Clemens se tenere cognoscebat, que tenetur cum portali de Obilione, et ex alia parte cum domo Raimundi de Ochano : dicens dominium pertinere ad episcopum Magalonensem, affirmando quod dompnus Raimundus Gaucelmus, Magalonensis episcopus, solum illius domus et aliarum domorum circumstantium dedit ad acaptum, retento sibi laudimio et consilio ; et subsequenter domorum, in dicto solo edificatarum, alienationes laudaverat, et ex eis laudimium suum receperat ; et ad hec probanda instrumenta publica tam acapiti quam laudimii domini episcopi producebat.

Econtra Petrus Clemens allegabat bajulum Montispessulani dedisse ad acapitum de ipsa domo usque ad merossam portalis : et insuper affirmabat quod bajuli Montispessulani alienaciones dicte domus laudaverant et laudimium receperant ; et ad hec probanda instrumenta publica producebat.

Ad hec vero dominus episcopus et prefatus procurator respondebant dicentes, quod Bernardus Lamberti, bajulus Montispessulani, per violentiam laudaverat alienationes dicte domus contra prohibicionem domini G[uillelmi] de Flexio, tunc Magalonensis episcopi, et ipso conquerente et querimoniam exponente, quod non solum Petrum Clementem scire, sed et eciam omnibus notorium esse dicebat.

Preterea illud quod bajulus domini Montispessulani laudaverat usque ad merossam portalis de Obilione, dicebat sibi non nocere, quia bajulus domini Montispessulani illud fecerat clam, et ignorante episcopo ; unde dicebat quod propter hoc dominus Montispessulani non intelligebatur fuisse in possessione, cum hoc fecisset bajulus suus clam et inscio episcopo, et eciam Montispessulani domino ; quod intelligendum esse dicebat eo quod dominus Montispessulani promisisset quod non diminueret jura episcopalia (1) : adjiciens quod etsi domino episcopo nocere deberet, non valebat (2), nisi in quantum se extendit quoddam spacium parvulum ab aresta portalis, ubi plus exit, usque ad murum ejusdem portalis, ubi plus tenuior est idem murus. Alias vero laudaciones sibi non nocere dice-

(1) Cart.: *episcopali*.

(2) Cart.: *vocabat*.

bat, eo quia, conquerente episcopo, facte fuerant a Bernardo Lamberto bajulo, nec ab illis laudacionibus tantum temporis effluxerat quod prescriptionem induceret, que domino episcopo obesse posset.

Hiis autem et aliis quam pluribus rationibus et allegacionibus auditis et diligenter excussis, inspectis instrumentis et ipsorum verbis, et incarnacionibus consideratis, prestito sacramento calumpnie a Petro Clemente et predicto curatore in animam domini episcopi, ipso presente et jubente, vanatoque judicio a Petro Clemente voluntate consulum, et a dicto procuratore mandato domini episcopi, facta eciam conclusione super allegacionibus facti et juris, Johannes Luciani Montispessulani bajulus, Johannes de Latis judex, habito diligenti tractatu et consilio cum pluribus jurisconsultis, dominium et consilium et laudimium in predicta domo adjudicaverunt domino episcopo et dicto suo procuratori, in quantum dicta domus ante extenditur per frontem usque ad murum portalis, ubi ille murus facit angulare; et ex illo angulari, sicut recta linea extenditur, usque ad parietem ejusdem domus, que est retro, sicut signatum est in ipso pariete: et in predictis Petrum Clementem domino episcopo et ejus procuratori condempnaverunt.

Lata fuit hec sentencia in predicta domo presentibus dicto Petro Lombardi diacono, et Petro Clemente, anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quartodecimo, mense junii in presencia et testimonio Petri Luciani causidici, Petri Franchi, Petri de Poscheriis et aliorum, et Hugonis Laurencii notarii, qui mandatus hec scripsit.

(Reg. E, fol. 146 v°).

Nous avons déjà trouvé l'évèque Raimond Gaucelm (Voir T. I, p. 220, note, où nous l'avons identifié avec Raimond, qui fut évêque de 1129 à 1160).

Jean Lucien, qui prononce cette sentence, est le même que l'avocat si souvent nommé dans les actes. Il fut bayle de Montpellier, du 24 juin 1213 au 23 juin 1214 (Cf. Germain, *Hist. de la commune de Montpellier*, t. I, p. 379, Liste chronologique des consuls et bayles de Montpellier, d'après le *Petit Thalamus*. Ceci nous permet de fixer cet acte entre le 1er et le 23 juin.

CCCXXXVII. — 31 août 1214

Raimond d'Armaillargues reconnait à Guillaume d'Autignac les biens qu'il tient de l'Église de Maguelone à Sauteyrargues.

Manifestum sit cunctis presentibus et futuris quod anno Dominice Incarnationis M° CC° quarto decimo, pridie kalendas septembris, Raymundus de Armazanicis recognovit se tenere ad feudum ab Ecclesia Magalonensi et a domino G[uillelmo] de Altiniaco, ejusdem episcopo, et successoribus ejus episcopis Magalonensibus, scilicet mansum et totum honorem de Sautairanicis, qui (1) est in ejus parrochia, promittens, per stipulacionem, prefato domino episcopo stipulanti, veritatem dicere et notificare, ac recognoscere eidem domino episcopo et successoribus ejus totum alium honorem, et omnia quecumque se tenere cognoverit, et ad suam scienciam pervenerit de jamdicto feudo ; et insuper cognovit (2) se esse hominem domini episcopi Magalonensis pro jamdicto feudo.

Et illico (3), flexis genibus ac junctis manibus, fecit hominium prefato domino episcopo pro prescriptis, in presencia et testimonio Guillelmi Bertulfi (4) canonici Magalonensis, Petri Lumbardi, Guiraldi de Corcone, G. de Ergatorio, Bertrandi Maleti, Petri de Mata, R. de Mata, G. Gaucelmi, G. de Falata, Fulchonis de Bastida, Poncii Rouver, Poncii de Costa, P. de Areis, B. Grallardi, Johannis de Manso, et Petri Guitardi, publici notarii Montispessulani, qui mandatus hec scripsit.

(Reg. C, fol. 126 r°).

(1) Cart.: *quod*.
(2) Cart.: *cognosvit*.
(3) Cart.: *ilicco*.
(4) Cart.: *Bertulli*.

CCCXXXVIII. 31 août 1214

Raimond d'Armaillargues fait hommage à Guillaume d'Autignac pour tout ce qu'il possède à Sauteyrargues.

Pateat universis presentibus et futuris, quod Raymundus de Armazanicis cognovit tenere ab Ecclesia Magalonensi et a domino Guillelmo de Altiniaco, ejusdem [Ecclesie] episcopo, et suis successoribus episcopis Magalonensibus, ad feudum, videlicet mansum et totum honorem de Sauteyranicis, qui est in ejusdem parrochia ; et promisit jam dicto domino episcopo stipulanti dicere veritatem de toto illo honore, quem tenere et habere, seu possidere, vel alius pro eo cognoverit (1) de jamdicto feudo ; et cognovit se esse hominem Sancti Petri et domini Magalonensis episcopi pro jamdicto feudo.

Et inde fecit hominium jamdicto domino episcopo de presenti, in presencia testium subscriptorum ; promittens insuper tangendo sacrosancta Dei evangelia se fideliter intimare, et veritatem sine dolo dicere domino Magalonensi episcopo, ad voluntatem Magalonensis episcopi, de toto eo quod amplius habet et possidet ad feudum ab Ecclesia Magalonensi, vel alius pro eo, anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quarto decimo, pridie kalendas septembris, in presencia et testimonio Guillelmi Bertulfi (2) canonici Magalonensis, etc. (*mêmes témoins qu'à l'acte précédent jusqu'à la fin*).

(Reg. C, fol. 127 r°).

Ces deux actes sont pareils ; celui-ci paraît être la minute du notaire, l'autre l'acte public. Nous les donnons tous deux, cependant, pour ce motif.

(1) Cart.: *cognovit.*
(2) Cart.: *Bertulli.*

CCCXXXIX. 27 mars 1215

Pierre Bernard de Montagnac reconnaît tenir de l'évêque le quart du château de Cournonterral.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis. Clarum et indubitatum sit presentibus et futuris, quod ego, Petrus Bernardi de Montaniaco, dominus castri de Cornone Terrallo, recognosco Domino Deo et Beato Petro Magalonensis Ecclesie, et per eos vobis domino Guillelmo de Altiniaco, Dei gratia Magalonensi episcopo, et successoribus vestris, Magalonensis Ecclesie episcopis, me habere et tenere a vobis, ad feudum honoratum et censatum, quartam partem castri de Cornone Terrallo, cum hominibus et feualibus, fortiis et munitionibus, in ipso castro et in ejus territorio hedificatis et hedificandis, ita videlicet quod vobis et successoribus vestris, Magalonensibus episcopis, nullo modo, sit licitum predictum feudum alienare, vel in aliquam aliam personam secularem sive ecclesiasticam transferre.

Pro quo videlicet feudo ego et successores mei tenemur vobis, domino episcopo, et successoribus vestris, Magalonensibus episcopis, hominium facere, et fidelitatem jurare, et predictum castrum et forcias reddere, quandocumque in Ecclesia Magalonensi mutabitur episcopus, et quandocumque mutabitur dominus in predicto castro et fortiis. Et preterea, pro servicio dicti feudi, tenemur facere ego et successores mei vobis, domino episcopo, et successoribus vestris, Magalonensibus episcopis, albergum tantum modo uni militi semel in anno, in eo videlicet anno in quo dictum albergum petitum fuerit ; et pro dicto feudo nullum alium censum sive servicium facere tenebimur. Sciendum tamen est, quod quandocumque acciderit predictum castrum sive forcias reddi domino episcopo Magalonensi, ipse episcopus tenetur ipsum et ipsos reddere non diminutos neque deterioratos, eadem die qua ipsum castrum seu forcias receperit.

Et nos, Guillelmus de Altiniaco, Dei gratia Magalonensis

episcopus,... omnia predicta et singula scientes et recognoscentes, ut supra scripta sunt, vera esse, et ea confirmantes auctoritate Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et beati Petri, laudamus et concedimus vobis, Petro Bernardi de Montaniaco, et successoribus vestris, totum predictum feudum sub ea forma et tenore quo supra scriptum est ; et in supradictis omnibus laudamus et concedimus vobis plenariam jurisdictionem secularem, et imperium mixtum, et etiam merum.

Promittentes vobis, Petro Bernardi de Montaniaco, et successoribus vestris, quod nos et successores nostri, Magalonenses episcopi, semper in omnibus et per omnia boni domini vobis erimus, et fideles deffensores existemus. Quam promissionem nos et successores nostri, Magalonenses episcopi, tenemur vobis facere et successoribus vestris, quandocumque et quocienscumque hominium predictum nobis fiet et predicta fidelitas a vobis jurabitur.

Post hec, Petrus Bernardi de Montaniaco, flexis genibus, juravit fidelitatem super sancta Dei euvangelia, per se et per successores suos in dicto feudo predicto, domino Guillelmo de Altiniaco, Magalonensi episcopo, et successoribus suis, Magalonensibus episcopis ; et, immissis manibus suis inter manus domini episcopi, fecit ei hominium pro dicto feudo.

Acta sunt hec omnia et laudata apud Montempessulanum, in capella domini Guillelmi de Altiniaco, Magalonensis episcopi, anno Dominice Incarnationis millesimo CC° quinto decimo, VI° kalendas aprilis, in presentia et testimonio Poncii de Casalis prioris de Lunello, Raimundi Bernardi canonicorum Magalonensium, Raimundi de Montaniaco, monachi Vallismagne, Petri de Sancto Marciali sacerdotis, Guiraldi de Cocone prioris de Arzacio, Arnaudi de Paleata prioris de Grabellis, Johannis de Latis, P. de Crecio diachoni, et Petri de Nebiano notarii, qui, rogatus a dictis partibus, hec scripsit.

(Reg. B, fol. 213 v°).

CCCXL. — 27 mars 1215

Bertrand de Montlaur reconnait tenir de l'évêque le quart du château de Cournonterral.

In nomine Sancte, *etc.* (*comme au N° précédent*)... quod ego Bertrandus de Montelauro dominus castri de Cornone Terrallo (*comme au N° précédent, en changeant le nom du feudataire*).

(Reg. B, fol. 214 r°).

CCCXLI. — 27 mars 1215

Pierre de Cournon reconnait tenir de l'évêque de Maguelone la moitié du château de Cournonterral.

In nomine Sancte, *etc.* (*comme au N° précédent*)... quod ego Petrus de Cornone, [dominus] castri de Cornone Terrallo, recognosco... ad feudum honoratum et censatum medietatem castri de Cornone Terrallo... albergum tantum modo duobus militibus semel in anno, *etc.* (*comme au N° précédent, en changeant le nom du feudataire et tenant compte de l'albergue*).

(Reg. B, fol. 214 v°).

CCCXLII. — 14 avril 1215

Innocent III inféode à l'évêque de Maguelone le comté de Melgueil.

(Reg. D, fol. 275 r° ; reg. E, fol. 179 r° ; reg. F, fol. 173 r°).

Edité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. I, p. 365.

CCCXLIII. — 15 avril 1215

Innocent III ordonne à Raimond, son familier, de recevoir les 1.200 marcs dus pour le comté de Melgueil.

(Reg. E, fol. 329 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. I, p. 381.

CCCXLIV. 30 juin 1215

Sentence de Guillaume d'Autignac entre Guillaume Ermengaud et les habitants de Gigean.

Controversia vertebatur inter Guillelmum Ermengaldum ex una parte, et universitatem de Gigiano ex alia, stantibus in jure coram domino Magalonensi episcopo pro universitate de Gigiano, scilicet Guillelmo Lobonis, Bernardo de Solerio, Petro Pellicerio, Petro Porcello, Bernardo de Cumba, Poncio Rainulfo, Bernardo Fabro, P. de Gigiano, Poncio Poma, Raimundo Magistro, P. Signaut, Poncio de Sterador, Bernardo Cathalano, W. Macellario, P. Symono, Guillelmo de Grezez, Martino de Dundris, Guillelmo de Gardiolis, P. Despoz, Guidone, W. de Claperiis, P. Garnerio, B. de Costa, Bernardo Borni, B. de Petrosa, Bertrando de Combreto, W. de Altiniaco, Guillelmo Campo, hominibus de Gigiano.

Petebat siquidem prefatus Guillelmus Ermengaldi ab hominibus de Gigiano, scilicet quod singuli de Gigiano, debebant sibi dare singulis annis, omnes (1) scilicet qui faciebant vinum in castro de Gigiano, unum sestarium vini; et in unaquaque ebdomada, a Pascha usque ad festum sancti Johannis, de ovibus suis caseum unius diei: et in seminibus bovium, in unoquoque homine qui boves habebat, et singulis mensibus, exceptis messium (2) et vindemiarum, unum asinarium; et in singulis ebdomadis, unam aselam in unaquaque domo, et paleam quantum duo homines poterant ferre, et hoc a festo sancti Michaelis usque ad Pascha; et in singulis ortis castri, unam manadam de oleribus. Que omnia se longe retro temporibus habuisse et percepisse cum Raimundo de Cornone pro indiviso constanter asserebat.

Econtra universitas de Gigiano, et prescripti qui pro universitate de Giganio stabant, diffitebantur ipsum Guillelmum Ermengavum et Raimundum de Cornone habere vel debere percipere supradicta de jure in hominibus castri de Gigiano:

(1) Cart.: *unum*.
(2) Cart.: *menssium*.

dicebant tamen quod per violenciam in quibusdam quandoque perceperant quedam de supradictis, sed non omnia ; unde ad ea prestanda se non teneri imposterum affirmabant.

Petebat eciam dicta universitas a supradicto Guillelmo Ermengaldo pascherium, alengnamentum et omnem esplecham que habere poterat in nemore et garriga, que tenentur ex una parte cum bosco domus milicie Templi, et ex alia cum bosco prepositi Magalonensis, et ex alia cum tenemento de Continiano, et ex alia cum tenemento de Balazuco, et ex alia cum terris et laborato de Gigiano.

Que omnia Guillelmus Ermengaldi jamdictos homines de Gigiano in pretaxato bosco et garriga habere confitebatur ; dicebat tamen quod, propter hoc, supradicta usatica et servicia sibi et suo pariario faciebant ; quod homines diffitebantur.

Auditis hinc inde rationibus, allegationibus supradictis, et aliis quam pluribus inspectis, et diligenter indagatis, omnibus in questione deductis, ab utraque parte sacramento de calumpnia prestito, dominus G[uillelmus] de Altiniaco, Magalonensis episcopus, assidente sibi Petro Almerado causidico, ejus mandato pronunciante, in hunc modum dictam controversiam terminavit : videlicet quod Guillelmus Ermengaldi solvat, finiat et desemparet, per se et per succsesores suos, universitati de Gigiano et hominibus singulis de Gigiano, presentibus et futuris, sestarium vini, bubulcos, asinarios, caseos, ligna, paleam et manatas olerum, et omnes alias actiones, si quas faciebat vel facere poterat ab hominibus castri de Gigiano, salvis sibi Guillelmo usaticis et albergis, si que, occasione posssessionum, dicti homines de Gigiano dicto Guillelmo Ermengaldo faciunt vel facere debent ; et quod homines de Gigiano, presentes et futuri, non intrent predictum boscum vel garrigam, sicut superius terminantur, contra voluntatem Guillelmi Ermengaldi, vel R. de Cornone, vel alterius qui jus in dicto bosco vel garriga habuerit, cum de jure illius constiterit.

Preterea non intrent dicti homines honorem Guillelmi Ermengaldi, postquam fuerint prohibiti ab ipso vel ejus nuncio.

Hanc amicabilem composicionem laudaverunt et aprobaverunt supradictus Guillelmus Ermengaldi et prescripti

homines de Gigiano, promittentes quod singuli, qui presentes non erant, predicta omnia rata et firma semper tenerent et haberent ; et in curia dictus Guillelmus Ermengaldi, scilicet in curia domini Magalonensis episcopi, absolvit homines predictos ab omnibus (1) que petebat.

Et homines de Gigiano prenominati, pro se et pro singulis de Gigiano, promiserunt in predicta curia dicto Guillelmo Ermengaldo, quod predictum boscum vel garrigam, circa formam prescriptam, contra voluntatem Guillelmi Ermengaldi, vel suorum, vel Raymundi de Cornone predicti, de cetero non intrabunt, nec suas immittent bestias, vel pascebunt in dicto bosco, vel garriga, seu garrigis que de Monte Ceve appellantur, data facultate libera prohibendi Guillermo Ermengaldo et suis, ut dictum est, a domino Magalonensi episcopo.

Acta et laudata sunt hec omnia anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo quinto decimo, pridie kalendas julii, in presencia et testimonio Raymundi de Sancto Martino, Johannis Petiti, Guiraldi bajuli domini episcopi, Bertrandi de Montelauro militis, Petri de Vineis, Guillelmi de Cornone, Johannis Vacce, Bernardi Fulcranni, Petri de Pino junioris, Guillelmi de Rippa causidici, et Guiraldi de Porta notarii, qui hec scripsit.

(Reg. F, fol. 208 v°).

CCCXLV. — 7 juillet 1215

Guillaume d'Autignac concède aux consuls de Montpellier deux deniers par livre sur la fabrication de la monnaie de Melgueil.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Patens sit cunctis et manifestum universis, quod nos Guillelmus de Altiniaco, Dei gratia Magalonensis episcopus, dominus Melgorii et [Montisferrandi], damus et concedimus ad acapite imperpetuum et [in] possessionem

---

(1) Cart.: porte *hominibus*.

cedimus communitati Montispessulani, et vobis Raimundo Atbrando, Johanni Luciano, Raimundo Benedicto, Bernardo Capitis Bovis, Ugoni Laurentio, Deodato de Faux, Petro Salvatori, Raimundo de Giniaco, Bernardo de Montaniaco, Guillelmo de Planterio, Petro Ymberto et Bernardo de Biterris, ejusdem ville consulibus, et successoribus vestris, pro vobis et pro tota universitate Montispessulani seu universitate acaptantibus et recipientibus, duos denarios de illis duodecim denariis, quos comes Melgorii accipere debet in moneta, in singulis libris melgoriensis monete presentis, ad quatuor denarios aliade ; que moneta in Melgorii comitatu et in Magalonensi episcopatu semper curret, et imperpetuum curribilis erit, ad pondus assuetum de viginti quatuor solidis denariorum in libra, et de viginti quinque solidis obolorum in libra ; et in legem similiter assuetam, scilicet ut quatuor denarii argenti fini sint in solido denariorum, et tres denarii argenti fini in solido denariorum de obolis ; et, [ut] in statu dicto ponderis et legis semper sit et maneat, nullam omnino recipiens alterationem vel mutationem.

Et ut operarii monete, qui magistri appellantur, qui numero quatuor sunt, nullum omnino servicium recipiant, per se vel per alios, a probis hominibus qui ad faciendam operari dictam monetam venerint ; sed sit quisque horum quatuor magistrorum pogisia sibi assignata in singulis ipsius monete libris contentus ; hoc eodem modo addito, ut duo sint hujus monete custodes, qui nullum omnino, ut dictum est, servicium ab his qui ad faciendum operari dictam monetam venerint, per se vel per alium recipiant, sed quisque horum sit uno obolo, cuique eorum assignato, contentus in singulis libris monete.

Et ut similiter probator monete, qui vulgari verbo *assajaire* appellatur, nullum omnino per se vel per alium servicium accipiat a dictis personis, que in dicta moneta operanda venerint, sed contentus sit uno (1) obolo sibi assignato in singulis libris monete.

Et quod omnes *assagz*, quos faciet memoratus probator

(1) Cart.: *in*.

pro moneta probanda, reddant et [restituant] custodes illi probo homini, cujus probati denarii erunt, excepto uno tantummodo *assay*, quod ipsi custodes [sibi] pro suo retineant.

Idem prorsus intelligatur de servicio non accipiendo a scultore seu formatore cuneorum, quibus moneta cudetur et formabitur, ut ipse sculptor contentus sit duobus denariis sibi assignatis in singulis libris monete. Hoc insuper addito, quatinus omnes suprascripti hujus monete officiales, tactis sacrosanctis Dei evangeliis, jurent omnia [pre]scripta se observare, et officium, in dicta moneta sibi deputatum, bene et curiose atque legitime se exercere.

Preterea volo semper teneri firmiter et observari, ut sit licitum cuilibet facere operari dictam monetam, dummodo tunc alius illam non faciat operari, aliis bonis consuetudinibus et usibus dicte monete, qui sunt super dicta moneta preter predictos, ratis manendis.

Damus eciam in dicto acapite, et concedimus prefate Montispessulani communitati, et vobis suprascriptis consulibus, et successoribus vestris, pro ipsa communitate et universitate acaptantibus et recipientibus, totum jus quod habemus in nemus quod appellatur Valena, sicut comes Melgorii habuit melius et tenuit, et solum sive terram in qua ipsum nemus est cum omnibus suis pertinenciis et adjacenciis.

Preterea hec volumus et concedimus, ut dicta communitas Montispessulani, et vos prefate ejusdem consules, et singuli de universitate, possitis dicte universitati adquirere, quolibet titulo adquisitionis, salvo nostro laudimio et certo usatico, proprietates quorumlibet nemorum, que sunt intra comitatum Melgorii, ab illis quorum sunt ipse proprietates, excepto dicto nemore de Valena, cujus proprietas, ut dictum est, porsus a me in dictam universitatem, et in vos, et in successores vestros consules, per eam transacta est.

Ad hec volumus et concedimus dicte universitati, ut vos dicti consules, et successores vestri consules, pro ipsa universitate, honores, qui sunt a flumine Lesi usque ad fluvium Amantionis, possitis acceptare, et quolibet alio adquisitionis titulo adquirere : et quod nos et successores nostri Magalo-

nenses episcopi teneantur illas adquisitiones, cum certo usatico et salvo nostro laudimio, laudare, exceptis sanctis clericis et militibus.

Idem licitum esse volumus singulis hominibus Montispessulani, ut prefatos honores, ut dictum est, sibi adquirere possint, et ut nos et successores nostri ipsi laudare teneamur, ut dictum est.

Preterea concedimus et laudamus omnibus hominibus et singulis Montispessulani, ut omnes honores et usatica circa Montempessulanum per leucam, quos habuerunt et tenuerunt per decennium cum cartis pro libero alodio, quatenus illos deinceps imperpetuum, absque omni inquietudine, pro alodio libero habeant, et in quoslibet alios pro alodio libero transferant, cum voluerint, hoc addito ut presens possessor accessione temporis actoris sui valeat uti.

Insuper volumus, et observari firmiter decernimus, ut in comitatu Melgorii, nulla, nisi antiqua, accipiantur pedatgia ab aliquo.

Predictas ad [a]captum daciones, et concessiones, et cessionem possessionis, nos suprascriptus Guillelmus, Dei gratia Magalonensis episcopus, dominus Melgorii et Montisferrandi, sub hoc (1) tenore et lege facimus, ut dicte universitati, vel dictis consulibus, nunquam liceat res prefatas, ad acaptum datas, in alium, preter Magalonensem episcopum, alienare seu transferre quolibet alienationis titulo, sed ipsi universitati imperpetuum retinere. Quod si contra factum seu attemptatum fuerit, ad Magalonensem episcopum jure ipso redeant et pertineant ; hoc etiam observato, ut, si Magalonensis episcopus jus vel albergum, quod pro dictis datis et concessis sibi faciendum retinet, ut infra perhibetur, in alium transtulerit vel transferre temptaverit, ipso jure communitas Montispessulani libera et absoluta sit a prestacione albergorum, et ab omni jure quod in predictis rebus episcopus habebat, vel habere poterat.

Et est sciendum, quod, in predictis concessionibus, nulla

---

(1) Cart.: *hec*.

jura ad jus episcopale pertinencia intelliguntur, sed tantum pertinencia ad comitatum Melgorii sive Montisferrandi.

Pro suprascriptis omnibus a nobis datis, laudatis, concessis atque promissis singulis hominibus Montispessulani et dicte universitati, et vobis prefatis consulibus, et successoribus vestris, pro eis recipientibus, et incommote manendis, agnoscimus et scimus in veritate quod vos, pro ipsa universitate, dedistis vobis, et numerastis viginti quinque milia solidorum melgoriensium, quos ita habuimus a vobis plenarie, quod inde nil ad solvendum remansit, quos expendimus in sumptibus pro adquisitione comitatus Melgorii et Montisferrandi factis : unde ex certa sciencia, per nos et omnes successores nostros, renunciamus in perpetuum exceptioni non solute et non numerate peccunie.

Sed in singulis annis, pro predictis a nobis laudatis atque concessis sepedicte communitati, faciet ipsa communitas, seu ejus consules pro ea, singulis annis, albergum decem militibus, quibus dicta alberga fieri requisitum fuerit. Pro annis vero quibus dicta alberga fieri non postulabitu, deinde, ut fiant, peti non poterunt pro ipsis annis preteritis.

Suprascripta omnia et singula nos suprememoratus Guillelmus, Magalonensis episcopus, dominus Melgorii et Montisferrandi, per nos et per omnes súccessores nostros, Magalonenses episcopos, laudamus, et perpetuo inviolabiliter mansura, et absque omni contradictione et exceptione, confirmamus et concedimus communitati dicte Montispessulani, et vobis memoratis consulibus, et successoribus vestris, pro ipsa recipientibus ; promittentes firmiter per stipulationem, quod dictam universitatem et ejus consules semper dicta omnia et singula habere et possidere quiete faciemus, et ab omni contradicente jure defendemus ; pro evictione... nos et omnes successores nostros obligamus... quominus predicta omnia et singula firma et incommota semper existant ; verissime agnoscentes, et indubitanter scientes, quod, data opera vestra et curioso studio vestro acommodato, dominus Innocentius, Papa tertius, infeudavit, nos et successores nostros Magalonenses episcopos habere ab Ecclesia Romana et tenere

perpetuo voluit, et concessit, totum Melgorii et Montisferrandi comitatum in feudum; que, data opera vestra et studio, nisi intervenissent, hec dicta feudi concessio et dacio a domino Papa nullo modo facta fuisset; unde multiplices (1) gratiarum actiones, intuitu hujus beneficii [et] aliorum quamplurium a vobis dictis consulibus et ab antecessoribus vestris in nos collatorum, refferendo, immemores nunquam erimus; sed ad condignam vicem referendam (2) dum tempus [et] locus se obtuterint, parati et prompti erimus; et successores nostros ad idem faciendum [h]ortamur attencius et oramus.

Et (3) ut predicta omnia majori firmitate vallentur, et ne alicui imposterum oriri possit in dubium, presentem cartam bulle nostre plumbee [patrocinio] precipimus communiri.

Acta fuerunt hec, et a prefato domino episcopo laudata, in camera sua apud Montempessulanum, nonis julii, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo quintodecimo, in presencia et testimonio Berengarii Lamberti, Johannis de Latis, Petri Luciani, Raymundi Besseda causidicorum (4), Raimundi de Podio Abone clerici domini Pape, Petri Lobeti, Guillelmi de Conchis, Johannis Bocadors, Raimundi de Giniaco notarii, et Bertrandi Areolen, publici Montispessulani notarii, qui, rogatus a partibus, hec scripsit.

(Reg. A, fol. 221 r°; D, fol. 203 r°, et F, fol. 160 v°; édité par Germain, *Etude sur les monnaies seigneuriales de Melgueil*, p. 103).

Le registre D (fol. 203 r°) contient en plus :

13 mars 1215 (n. s. 1216)

Item anno quo supra, tercio idus marcii, prefatus dominus Magalonensis episcopus, comes Melgorii et Montisferandi, veniens ad nemus de Valena cum quibusdam consulibus

(1) Cart.: *niltiplicare.*
(2) Cart.: *referendamus.*
(3) Cart.: *quod.*
(4) Cart.: *chausidicorum.*

Montispessulani, scilicet Johanne Luciano, Petro Ymberto, Bernardo Capud Bovis, et Guillelmo de Planterio, induxit eos et misit corporaliter in possessionem tocius predicti nemoris de Valena, et ipsius nemoris possessionem eis tradidit cum omnibus ad ipsum pertinentibus et adjacentibus, sicud in alia parte hujus carte superius dominus episcopus concessit consulibus, [pro] communitate et universitate Montispessulani acceptantibus et recipientibus ; et eos de supradictis omnibus investivit (1) : quam possessionem prefatis IIII^or consulibus tradidit, recipientibus pro aliis consociis suis et successoribus (2) ad utilitatem (3) communitatis et universitatis Montispessulani, et pro ipsa universitate et communitate, missis ipsis IIII^or consulibus specialiter ad recipiendum possessionem omnium suprascriptorum, pro consulibus et communitate et universitate Montispessulani, rogatis et specialiter convocatis ad hoc infrascriptis testibus, scilicet P. de Cornone, canonico Magalonensis Ecclesie, Johanne de Latis (4) causidico, Guillelmo Luciano, Petro Luciano fratre suo, Raymundo de Caravetis, Bernardo de Lauda, Guillelmo de Pameriis, Guillelmo de Monte Gallardo, et Petro de Nebiano, publico Montispessulani notario, qui, rogatus (5) a predictus, hec scripsit.

(Reg. D, fol. 203 r°).

Insister sur cet acte, en faire ressortir tous les points intéressants, tant pour l'histoire de Guillaume d'Autignac que pour l'histoire de la propriété, nous entraînerait trop loin. Nous serons, d'ailleurs, obligé d'y revenir, au cours de cette Publication, car nous verrons que les consuls de Montpellier élargirent les concessions faites par Guillaume d'Autignac. Nous en soulignerons seulement trois points : *a*) Sans les consuls de Montpellier, l'évêque ne pouvait payer les frais d'inféodation du comté, — ceci nous le savions; mais il est bon d'avoir son aveu —: c'était une faute financière : — *b*) Guillaume ne falsifia pas la monnaie de Melgueil, ainsi

(1) Cart.: *anvestivit.*

(2) Cart.: *successionis.*

(3) Cart.: *valitatem.*

(4) Cart.: *Lautis.*

(5) Cart.: *rogatis.*

que l'en a accusé Molinier (*Hist. gen. de Languedoc*, t. VI, p. 457, note 1. Cf. aussi notre Note dans *Bull. de l'Eglise de Maguelone*, t. I, p. 374 ; — c) On remarquera enfin, la concession faite aux habitants de Montpellier, — omise par Germain dans son édition de cet acte, — au sujet des terres qu'ils pouvaient prétendre avoir possédées pendant dix ans en franc-alleu.

CCCXLVI. — 17 septembre 1215

Quittance donnée à l'évêque de Maguelone pour l'acquisition du comté de Melgueil.

(Reg. E, fol. 329 r°).

Edite dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, T. I, p. 382.

CCCXLVII. — 22 septembre 1215

Guillaume d'Autignac concède la baylie de Melgueil à Raimond de Saint-Firmin.

Manifestum sit et indubitatum presentibus et futuris, quod nos Guillelmus de Altiniaco, Dei gratia Magalonensis episcopus, dominus Melgorii, habito diligenti consilio et tractatu, facimus et constituimus Raymundum de Sancto Firmino, militem, filium condam Berengarii de Sancto Firmino, bajulum castri de Melgorio ; et bajuliam dicti castri, cum omnibus ad dictam bajuliam pertinentibus et adjacentibus, cum causarum examinatione, et diffinitione, et districtione tam civilium quam criminalium, et cum omnibus ad causas civiles, criminales, liberales, ordinarias, extraordinarias, publicas, privatas, et omnes alias que dici vel excogitari possunt, quantum pertinet ad temporalem et civilem jurisdictionem spectantibus et pertinentibus, sicut melius, plenius et perfectius dici vel excogitari potest ab aliquo jurisconsulto ; laudimiorum quoque et justiciarum, et bannorum, et aliorum ad bajuliam pertinen-

cium, proventus et districtiones, eidem concedimus, exceptis honoribus, si qui forte propter crimen seu delictum alicujus curie evenerint, quos honores nobis tantummodo retinemus; et omnes fructus et redditus corporalium et incorporalium, in terra, et in aquis, et in mari, ei plenarie concedimus, sicut melius et plenius antecessores ejus bajuli Melgorii habuerunt et perceperunt, a tempore quo nos tenuimus comitatum.

Verumtamen retinemus nobis omnes exitus et proventus monete Melgorii, et procurationem nobis et sociis nostris, quocienscumque ad Melgorium veniemus et ab ipso requiremus.

Laudamus etiam et concedimus ei, ut ultimarum voluntatum, et testamentorum, et aliarum attestationum coram ipso possint fieri publicationes, et ab ipso possint dari, laudari, confirmari, tutele (1) cure procurationes, administrationes, sicut unquam a bajulo Melgorii plenius actum fuit.

Honores quoque et laborativi fructus, et alberga, et usatica, et servicia, quecumque et qualiacumque sint, et quocumque nomine nuncupentur, ad ipsum Raymundum de Sancto Firmino pertinebunt.

Sui autem, et curialium omnium, et custodum castri, et assessorum, et aliorum ad colendos honores, et ad tenendum curiam, et justiciam et terram pertinencium sumptus et expensas omnes de suo et supradictis proventibus faciet; et si quid residuum fuerit, pro suo labore et servicio retinebit; et omnibus ei conquerentibus, secundum quod justum fuerit, justicie plenitudinem tenebit; et omnia ad dominationem castri pertinencia illesa pro posse suo conservabit.

Prefatam vero bajuliam et omnia predicta ei concedimus ab hoc venienti festo sancti Michaelis usque tres annos continuos et completos. Verumtamen licitum est nobis, infra predictum tempus, revocare predicta, restituto tamen prius ei dampno et gravamine, et expensa dicte bailie, et duodecim milium solidorum, quos michi mutuo tradidit per arbitrium Johannis Bocados: cujus arbitrium nos predictus episcopus et

(1) Cart.: *teneri*.

ego Petrus Guillelmi, frater ipsius Raimundi, pro eo sequi et habere firmum ad invicem promittimus; interim etenim dicta revocatio non potest fieri quousque Johannes Bocados sit arbitratus.

Preterea nos G[uillelmus], episcopus prefatus, donamus et concedimus prefato Raimundo omnes redditus et obventiones quas per se vel per alium percepit vel percipiet, usque ad dictum festum adveniens sancti Michaelis. Fructus vero et proventus totius dicte bailie, ut prelibatum est, faciemus ipsum et suos habere et tenere quiete. Et pro evictione universali et particulari nos et futuros successores nostros, et omnia bona episcopalia ei, et tibi Petro Guillelmo, fratri ejus, pro eo, firmiter obligamus, promittentes quod nullo jure scripto... contra predicta veniemus, sed omnia et singula incommota et illibata manere faciemus, sine omni dolo; et de hoc recipimus eum in Dei fide et nostra.

Acta sunt hec et laudata apud Montempessulanum in domo dicti domini episcopi, ab ipso et a Petro Guillelmo, pro Raimundo fratre suo, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo quinto decimo, decimo kalendas octobris, in presencia et testimonio R. de Costa, J. de Latis causidicorum, Guillelmi de Sancto Firmino, canonici Magalonensis, Jaucerandi fratris ejus, Guillelmi de Conchis, Jo. Bocados, P. de Stagno militis, et Ademari Scriptoris notarii, qui, mandato dicti domini episcopi, hec scripsit.

Post hec, anno quo supra, nono kalendas octobris, omnia predicta et singula, sicut superius scripta sunt, ad invicem laudaverunt et confirmaverunt, et vera esse cognoverunt dominus G[uillelmus] de Altiniaco, Magalonensis episcopus, et Raimundus de Sancto Firmino, promittentes et convenientes quod, aliquo facto vel jure scripto... contra predicta ipsi vel successores sui nunquam venient; sed omnia predicta et singula, in stabili firmitate semper facient inviolabiliter permanere.

Acta sunt hec apud Melgorium, in ecclesia Beate Marie, in presentia et testimonio Poncii Bernardi Raterii, Guillelmi Seguini, R. de Melgorio, R. Botini, R. Seguini militum.

Rostagni (1) de Montearbedone, Jaucerandi de Sancto Firmino, Jo. de Latis causidici, Jo. Bocados, P. de Sannencenza, capellani ecclesie Sancte Marie de Melgorio, Poncii de Vezenobre, canonici Magalonensis, Poncii de Vezenobre, canonici Magalonensis, Poncii Monachi, prioris ecclesie Sancti Jacobi de Melgorio, P. Carbonelli notarii, Petri Augerii, Petri Navarre, et dicti Ademarii Scriptoris notarii, qui hec scripsit.

(Reg. A, fol. 193 r°; édité par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 212).

Guillaume d'Autignac restera une figure assez énigmatique. On ne peut, certes, lui reprocher d'avoir négligé le temporel de son évêché. Il a posé sur sa tête et sur celle de ses successeurs la couronne comtale : mais à quel prix? Il a dû aliéner deux deniers par livre sur la fabrication de la monnaie de Melgueil : son successeur devra encore employer à cet expédient. Il a dû recourir à ses banquiers, les consuls de Montpellier, et accepter leur conditions. (Voir acte précédent). Maintenant, il doit donner à gage la baylie de Melgueil pour 12.000 sols. Il a emprunté 37.000 sols ou 1.850 livres de Melgueil. Il mourra bientôt, laissant à ses successeurs une situation financière des plus embarrassées, et, en estimant à 300.000 francs de notre monnaie les dettes qu'il laissa au diocèse, c'est le moins que nous puissions dire.

A la faute financière, s'ajoute la faute politique. Nous avons assez longuement développé ce point dans la Note ajoutée au *Bullaire* (T. I, p. 374), nous n'y reviendrons donc pas. C'était payer bien cher une couronne comtale. Nous retrouverons ces de Saint-Firmin, et nous verrons les difficultés que laissa Guillaume d'Autignac à ses successeurs pour se libérer.

CCCXLVIII. — 2 novembre 1215

Sentence de Jean d'Orlac, bayle de Montferrand, entre Raimond de Mate et Raimond de Caravette.

Cunctis pateat presentibus et futuris controversiam fuisse agitatam in curia Montisferrandi inter Raymundum de Mata,

---

(1) Cart.: *Rostagnus*.

qui vocatur Bidocius, litigantem pro se et Raymundo de Mata, filio quondam Guillelmi de Mata, cujus dicebat se habere tutelam, ex una parte; et Raimundum de Caravetis.

Petebat siquidem dictus Bedocius, pro se et pro dicto pupillo, a Raymundo de Caravetis medietatem duorum sestariorum civate et unius agni pro usatico; quod usaticum, scilicet duo sestaria civate et unum agnum, dicebat se habere pro se et pro dicto pupillo, scilicet pro medietate in manso de Vesceriis annuatim, et Guillelmum Gaucelmum consobrinum suum pro alia medietate; ita quod ipse Bidocius, pro se et pro dicto pupillo, accipiebat et accipere debebat totum dictum usaticum in uno anno, et Guillelmus Gaucelmus in alio.

Et allegabat se et antecessores suos, per infinitos annos, habuisse et recepisse a Raymundo de Caravetis et ab antecessoribus suis dictum usaticum, et hoc usaticum dicebat se habere in manso de Vesceriis pro vicaria Montisferrandi sine alio domino; et quia Raymundus de Caravetis dictum mansum tenebat et pro illo ei dederat dictum usaticum, petebat illud ab eo: nam dicebat illud habuisse in pace ab ipso Raymundo multociens.

Ad que respondens dictus Raymundus de Caravetis confessus est se tenere dictum mansum de Vesceriis, quia mater sua dederat ei totum jus quod ibi habebat; et cognovit se dedisse dicto Bidocio predicta duo sestaria civate et unum agnum per duos annos vel per tres; sed dixit se dedisse per vim (1), quia in hoc fuerat coactus ab ipso Bidocio; quam coaccionem prefatus Bedocius cognovit se fecisse ipsi Raymundo in dicto usatico solvendo per duos annos.

Adhuc cognovit Raymundus de Caravetis Bidocium habere vicariam Montisferrandi pro parte.

Tandem prefectus Bidocius conatus est probare antecessores suos et se ipsum habuisse dictum usaticum in manso de Vesceriis, et illud recepisse ab antecessoribus Raymundi de

---

1) Cart.: *jura*.

Caravetis, et specialiter a matre ipsius, et ab ipso Raimundo multociens; et super hoc plures testes produxit.

Tandem auditis rationibus et allegationibus utriusque partis, et visis et diligenter inspectis verbis testium, receptoque ab utraque parte sacramento calumpnie, omnibus hinc inde studiose scrutatis et libratis, dominus Johannes de Orlaco, tenens castrum Montisferrandi, et dixit, Magalonensi episcopo assidente sibi Johanne Nacica, habito prudentum consilio, per sententiam absolvit Raymundum de Caravetis a peticione facta a Bidocio, pro se et pro Raymundo nepote suo, de medietate dictorum duorum sestariorum civate et agni.

Lata est hec sententia anno Dominice Incarnationis M° II° quinto decimo, quarto nonas novembris, in presencia et testimonio Bartholomei de Amalone notario, Johannis Blegerii, Ademari Raymundi, Bertrandi de Ambileco, Guillelmi Tranquerii, Guiraudi de Calvi, Guillelmi Gaucelmi de Mata, et Petri de Nebiano qui, rogatus a predictis partibus, hec scripsit.

(Reg. D, fol. 225 v°).

CCCXLIX. — 8 décembre 1215

Raimonde et son mari cèdent à Guillaume d'Autignac le droit de garde qu'ils possèdent à Villeneuve et à Exindre, et certains autres droits.

Anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quinto decimo, sexto idus decembris, ego Raimunda, filia quondam Petri Pontii de Lunello, et ego Raimundus de Mujolano (1), ejus maritus, nos ambo venditores... tradimus domino G[uillelmo] de Altiniaco, Dei gratia Magalonensi episcopo, et successoribus ejus, et tibi Berengario de Valveria, bajulo ejus in castro Villenove, recipienti nomine ipsius, videlicet totam gardiam quam habemus vel habere debemus in toto terminio Villenove et Sancte Marie de Exindrio, scilicet in omnibus

---

(1) Cart.: *Jumolacio.*

vineis quas predictus dominus episcopus ibi habet, et canonici Magalonenses habent, seu aliquis per eos, in prefatis terminiis, vel in antea habitaturi sunt, excepta vinea Sancti Laurentii, sicut suis clauditur terminis, et excepta condamina canonicorum de Prato, et excepta condamina domini episcopi, que est juxta viam qua itur ad Exindrium, si in prefatis vinee fierent, et excepta gardia quam Guillelmus Vitelli et fratres sui tenebant ad feudum a domino episcopo in vineto uno, quod est versus stagnum.

Item in hac eadem venditione intelligimus, omnia illa staria nostra que habemus in castro Villenove; et confrontantur a circio cum via publica, et ab aquilone cum stari Bernardi Berengarii, a vento cum domo Raimundi Ortolani, a corina cum stari de *Obillons*, scilicet dominia, usatica, consilia, laudimia, que in predictis staribus habemus, pro quibus dantur duodecim denarii (1) pro usatico;

Et totum unum stare, quod tenebant a nobis filie quondam Gili Belon; et confrontatur a circio cum vallato, et a corina cum domo Petri de Terrallo, et a vento cum via publica;

Et totum alium honorem, quem dicte filie Gili Belon (2) a nobis tenent; que etiam, ratione hujus feudi, femine nostre sunt et esse debent;

Et totum dominium et usaticum, que ego Raimundus habebam, vel habere debebam, in omnibus domibus Petri Negrelli et Guillelmi Babot, pro quibus dabant duodecim denarios pro usatico; et confrontantur ante cum via publica, et ex alia parte cum plano quod est ante portam Johannis Bedocii, et ex alia parte cum domo que (3) fuit Poncii Engelerii;

Et dominium et duos solidos censuales, que habeo in una pecia terre quam (4) Bernardus Viguerii de me tenet; et confrontatur ex una parte cum via Boria, et ex alia parte cum via publica;

---

(1) Cart.: *denarios*.
(2) Cart.: ici et au paragraphe précédent: *Gilibelon*.
(3) Cart.: *quod*.
(4) Cart.: *que*.

Et generaliter nos ambo predicti comprehendimus in hac vendicione omnes gardias, et omnes vectes (1) et omnes obolos, et omnia alia usatica, que pro ipsis gardiis habebamus vel habere debebamus;

Et dominium et duodecim denarios censuales, que habemus in staribus que fuerunt Johannis Engelerii ; et confrontantur ex una parte cum stari quod fuit *d'En* (2) Astruc, et ex aliis partibus cum viis publicis;

Et dominium et sex denarios censuales, que habemus in una pecia terre, quam tenet a nobis Stephanus de Sancta Maria, et est in terminio de Domenova ;

Et dominium et quatuor denarios censuales quos donat Adalaicia Guitarda pro una pecia terre;

Et dominium et quatuor denarios censuales quos donat R. de Gradu pro quadam vinea ;

Et duos denarios censuales, quos donat Stephanus Jacbaut ;

Et duos denarios censuales, quos donat Guillelmus de Cruce, pro una pecia terre que est ad Domenovam ;

Et mediam libram (3) piperis censualem, quam donat Johannes Alafre pro una petia terre annuatim ad festum sancti Nicolai.

Et est sciendum quod pro predicto stari et honore, qui fuit Gili Belon, debent dare duos solidos et sex denarios, et quatuor denarios pro terra Vassadelli ; et debent prestare bestiam in vendemiis cum menatore, scilicet mulum vel roncinum, et in messibus unum messorem :

Et generaliter omnia jura corporalia sive incorporalia, petitiones, actiones, personales, sive reales, seu mixtas, seu alia quelibet jura, que nos habemus vel habere debemus, vel aliquis (4) per nos, in tota parrochia Sancti Stephani de Villanova, et in tota parrochia Sancte Marie de Exindrio, seu in parrochia Sancti Saturnini de Povols, sicut unquam antecessores

---

(1) Cart.: *victes*.
(2) Cart.: *den*.
(3) Cart.: *liberam*.
(4) Cart.: *aliquas*.

nostri melius habuerunt et tenuerunt, vel aliquis nomine eorum, vobis vendimus et cedimus; et, ut in rem suam, dominum episcopum procuratorem facimus; et te Berengarium predictum, nomine domini episcopi, in possessionem vel quasi mittimus, et tua auctoritate ire et accipere et apprehendere jubemus.

Sciendum tamen est quod in gardiis et in vectibus que sunt seu accipiuntur in vineis, sicut via vadit a ponte Amantionis versus salinas, habet vel habuit Pontius Veziani quas de nobis tenet vel tenuit a circio, in hac eadem vendicione vobis concedimus (*sic*).

Pro hac autem vendicione... habui ego Raimunda a te Berengario, nomine domini episcopi, pro precio, septingentos solidos melgorienses; et ego Raimundus centum solidos melgorienses pro predictis, que superius continentur, meis propriis; in quibus renunciamus expressim (1) exceptioni non numerate pecunie, et biennii, et non soluti precii; et quod magis hujus precii valet vel valebit, illud totum domino episcopo et successoribus damus et concedimus pro predicto precio; hoc totum faciemus dominum episcopum et successores suos habere et tenere in pace et ab omni.. Sic Deus nos adjuvet et hec sancta Dei evangelia, a nobis corporaliter tacta.

Et, sub eodem sacramento, ego Raimunda specialiter renuncio legi qua cavetur, quod fundus dotalis alienari non possit, et omnibus aliis auxiliis quibus me tueri possem, cognoscens me omnia predicta, que (2) ad feudum tenebam a domino episcopo Magalonensi (*sic*).

Horum omnium sunt testes Berengarius Bernardi, Bernardus Engelrici, Petrus Luciani, Petrus de Flexo, Pontius de Colums, Petrus Goiran, Petrus de Quinsaco, R. de Posols, Filipus Vedel, Aimericus de Lauda, Salvator Vitalis, Raimundus Cuerssa, P. Gaucelmi, Petrus Rotgerii de Cabareto juvenis, et Johannes Bedocii notarius publicus, qui, mandato partium, hanc cartam scripsit.

(Reg. A, fol. 55 r°).

(1) Cart.: *expressum*.
(2) Cart.: *quod*.

CCCL. — 16 janvier 1216

Innocent III recommande aux chevaliers et aux habitants du comté de Melgueil d'obéir à l'évêque.

(Reg. F, fol. 167 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. I, p. 386.

CCCLI. — 16 janvier 1216

Innocent III écrit à l'archevêque de Narbonne et le prie de rechercher les actes se rapportant au comté de Melgueil.

(Reg. F, fol. 136 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. I, p. 384.

Tel est l'épiscopat de Guillaume d'Autignac, d'après le *Cartulaire.*

Beaucoup de pièces manquent pour permettre de juger cet évêque (Cf. *Bullaire,* T. I, p. 291) : il faut le placer dans le milieu où il véeut et le mêler aux événements de cette époque pour le juger avec impartialité. Sa figure restera quand même assez énigmatique, surtout si on étudie le rôle qu'il dut jouer pendant la période albigeoise.

Relevons une erreur commise jusqu'ici par tous les historiens, qui le font naître soit dans le diocèse de Béziers, soit dans celui de Lodève. Ainsi qu'il résulte de plusieurs actes de ce Fascicule, Guillaume d'Autignac appartient, par sa naissance, au diocèse de Maguelone. Ne serait-il pas originaire de Naussargues : *Altanice?* Sa famille possédait la Laude = Lauze, entre Villeneuve et Saint-Jean de Védas.

CCLII. — 11 janvier 1216 n. s. 1217

Bernard de Mèze donne à acapte une terre sise à Exindre.

Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo sexto decimo, tercio idus januarii, sit manifestum quod ego B[ernardus], Dei gratia Magalonensis episcopus.... imperpetuum ad *acapte* concedo tibi Vitali et tuis ad omnes voluntates tuas... exceptis... cum consilio tamen meo vel successorum meorum, scilicet unam peciam terre heremi, que est in parrochia Sancte Marie Magdalene de Exindrio cum omnibus suis pertinentiis et que pertinere debent ; et confrontatur a vento cum terra vestra, ab aquilone cum terra Raimundi Ballugat, a circio cum terra Hospitalis de Jherusalem, a corina cum terra Petri Magistri.

Pro hujus terre concessione dedisti michi, nomine acapti, V solidos melgorienses, in quibus renuncio excepcioni non accepti acapti. Promitto tibi et convenio quod hanc terram faciam te et tuos semper habere et tenere in pace, et ab omni contradicente jure defendam, et dabis (1) annuatim pro usatico michi et successoribus meis IIII[or] denarios ad festum sancti Michaelis.

Testes sunt Raimundus Guira[l]di, archipresbiteri Magalonensis, Berengarius de Valveria, G. de Girunda sacerdos, G. Eugenii et Johannes Bedocii notarius, qui hec scripsit mandatus.

(Reg. F, fol. 124 r°).

CCLIII. — 11 mai 1217

Honorius III ordonne à l'évêque de Maguelone d'accorder aux Trinitaires un oratoire et un cimetière à Montpellier.

(Reg. E, fol. 152 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. I, p. 26.

(1) Cart.: *dabis michi.*

CCLIV. — 27 août 1217

Plainte déposée par Pons Pierre de Ganges contre Raimond de Roquefeuil au sujet de Brissac. Enquête à ce sujet.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Testes producti in modum publicationis a domino Poncio Petro de Agantico contra dominum Raymundum de Rocafolio absentem, et nolentem interesse, anno Dominice Incarnationis M° II^c septimo decimo, VI kalendas septembris.

Petrus de Sancto Johanne sacerdos, de licencia domini episcopi testis juratus, dixit se vidisse et audisse quod Raymundus de Rocafolio, pater istius Raymundi, et Poncius Petri de Agantico venerunt cum sacramento in posse Raymundi de Sancto Mauricio et domine Alamande, ut possent judicare et componere, sicud eis visum esset, de querimoniis, quas faciebant vel facere poterant ad invicem, de castro de Breissaco, et de hoc quod habebant in parrochia Sancti Leoncii de Cassiliaco. Et questionibus auditis et rationibus ab utraque parte, dictus Raymundus de Sancto Mauricio cum domina matre sua predicta, assidente sibi domino Raymundo (1), Lodovensi episcopo, ita composuit quod Poncius Petri habuisset firmancias omnes et justicias tocius parrochie Sancti Leoncii de Cassiliaco, et teneret totum hoc a Raymundo de Rocafolio; et omnia alia, de quibus Poncius Petri predictus querimoniam faciebat, ipsi Raymundo de Rocafolio essent (2).

Item dixit quod dictus Raymundus de Sancto Mauricio cum predicta composuit, per amorem, quod Raymundus de Rocafolio haberet illam partem castri de Breissaco, quam eidem Raymundo cum domina Vierna et Guillelmo Petro assignaverat, et terminos posuerat Bermundus de Salve, qui tunc erat bajulus domini Raymundi comitis, cum Guillelmo de Sabrano, et Raymundo de Sabrano, et Petro Raymundo,

(1) Raimond Guillem, évêque de Lodève, 1188-1201.

(2) Cart.: *de Rocafolio essent R. de Rocafolio item dixit.*

notario comitis Raymundi ; et dominus Poncius Petri habebat illam partem, quam dicte domine Vierne et Guillelmo Petri, filio ejus, assignaverat, et terminos posuerat. Et hanc totam composicionem dictam, a domino Raymundo de Sancto Mauricio cum predictis factam, dictus Raymundus de Rocafolio et Pontius Petri laudaverunt, et sacramento confirmaverunt.

Item dixit quod dictum fuit in dicta compositione, quod Raymundus de Rocafolio hanc compositionem totam faceret laudare a domina Marquesia, uxore sua, et Raymundo filio suo.

Item dixit quod de hac compositione debuit fieri carta ad cognitionem domini Raymundi Guillelmi, Lodovensis episcopi, et sunt transacti XVIII anni et plus ; et fuit in riperia de Virsec subtus Noguaretam ; et fuerunt ibi Raymundus Audeberti, P. de Roca, Bt. Beis, Symon, Guillelmus Marescalcus et multi alii.

Symon, [testis] juratus, dixit idem per omnia quod proximus.

G. Marescalcus, testis juratus, dixit idem per omnia quod proximus.

Bt. Beis, testis juratus, dixit [idem] quod proximus, sed non fecit mentionem quod, de compositione ista, fieret carta [ad] noticiam domini Lodovensis episcopi.

Raymundus Audeberti, testis juratus, dixit idem quod proximus.

G. Augerii, testis juratus, [dixit] idem quod Petrus de Sancto Johanne.

Guillelmus de Sancto Nazario, testis juratus, [dixit] idem se vidisse et audisse, quod domina Vierna, et dominus Raymundus de Rocafolio venerunt in posse Raymundi de Sabrano, et Guillelmi de Sabrano, et Bermundi (1) de Salve, mandato domini comitis, de controversia quam habebant de castro de Breissaco ; et, auditis rationibus, omnes supradicti composuerunt et determinaverunt capud castri predicti, quod domina Vierna haberet de cornu bisturris usque ad baucium ; et omnia

(1) Cart.: *Bermundo.*

alia capitis castri (1) haberet R. de Rocafolio: et sunt XXVII anni. Et ibi fuerunt episcopus Mimatensis, et Petrus Raymundi, notarius comitis, Austorgus de Petra, Bertrandus de Andusia de Frairac, et plures alii.

Item dixit quod, post hanc compositionem, domina Vierna, et G. Petri, et R. de Rocafolio, et Bt. frater ejus, et domina Adalacia, mater eorum, juraverunt quod castrum de *Breissac* non *bausessom l'us à l'autre*, nec abstulissent, nec fecissent auferri; et, si hoc facerent, illi qui talia comisissent, essent perjuri et traditores, et pars illorum alteri parti esset comissa.

Postea vidit quod Raymundus de Rocafolio abstulit predictum castrum domine Vierne; et ad hec fuerunt Ugo Guillelmi, Ugo de Sancto Johanne, Poncius Folcardi, et plures alii: et sunt XV anni quod hec fuerunt, et plus.

Interrogatus utrum postea facta fuit compositio inter Poncium Petri et Raymundum de Rocafolio, respondit quod non.

Poncius Folcardi, testis juratus, dixit se vidisse et audisse quod domina Vierna et G. Petri ex una parte, et Raymundus de Rocafolio et Bt. frater ejus, venerunt in posse G. de Sabrano, et Raymundi filii ejus, et Bermundi (2) de Salve, de mandato domini comitis, de controversia quam habebant de castro de *Breyssac;* et, auditis rationibus, omnes supradicti composuerunt et terminaverunt castrum predictum, ita scilicet quod domina Vierna et G. Petri haberent a capite bisturris usque ad *baus* et barbacanam (3); et alia haberet Raymundus de Rocafolio versus collum castri; et dictum fuit tunc quod quilibet istorum salvaret et deffenderet partem alterius; et si aufferret eam vel passus esset aufferri, pars illius alteri esset comissa; et hoc domina Vierna, et G. Petri filius ejus, et Raymundus de Rocafolio, et Bt. de Rocafolio frater ejus juraverunt; et fuerunt in mense [madii] XXVII anni; et hec fuerunt in castro predicto.

De personis, idem quod G. de Sancto Nazario.

---

(1) Cart.: *nostri.*

(2) Cart.: *Bermundus.*

(3) Cart.: *barbacam.*

Domina Aicelina, testis jurata, dixit audisse dici a domina Vierna, matre sua, quod de domo sua, que erat in castro de *Breissac*, esset ejecta, et claves domus erant ei ablate; et sunt XX anni quod hec fuerunt; et hec audivit in mollendino subtus *Breyssac*.

Ugo G., testis juratus, dixit se vidisse et audisse, quod domina Vierna et G. Petri, filius ejus, ex una parte, et Raymundus de Rocafolio, et Bt. frater ejus, venerunt in posse G. de Sabrano, et R. filii ejus, et Bermundi de Salve, de rancoribus que habebant de castro de *Breissac*; et ipsi predicti, auditis rationibus, composuerunt et castrum predictum terminaverunt, quod domina Vierna et filius ejus G. Petri haberent de baucio usque ad cornetum versus ecclesiam, et Raymundus haberet a bauso versus collum castri; et in bauso terminium posuerunt.

Item dixit quod conventiones facte fuerunt cum sacramento inter dominam Viernam et G. filium ejus, et Raymundum de Rocafolio et Bt. fratrem ejus, quod uterque salvaret partem castri alteri; et si quis alius aufferret castrum dictum, nullus istorum debebat esse cum eo, vel habere fiduciam vel amorem cum ipso, donec castrum recuperatum esset; et si domina Vierna vel G. P[etri] predictus aufferret castrum predictum dicto R. de Rocafolio vel fratri suo, pars illorum comissa [esset] R de Rocafolio; et si R. de Rocafolio vel Bt. frater ejus abstulissent partem Vierne predicte vel G. filio ejus, pars illorum esset comissa Vierne et G. filio ejus: et fuerunt in madio XXVII anni.

Item dixit quod, facta conventione dicta, post quadragesimam audivit dici ipse testis, quod R. de Rocafolio abstulit predictum castrum domine Vierne.

De personis, idem [quod] G. de Sancto Nazario.

Ugo de Sancto Johanne, testis juratus, dixit se vidisse et audisse, quod domina Vierna et G. Petri filius ejus, et R. de Rocafolio venerunt in posse predictorum de dicta controversia, et composuerunt et terminaverunt castrum de *Breissac*, ita

videlicet quod domina Vierna et G. filius ejus haberent de dicto castro de bisturri versus ecclesiam ; et R. de Rocafolio, versus collum castri predicti. Et domina Vierna, et G. filius ejus, et R. de Rocafolio, et Bt. frater ejus hec juraverunt et promiserunt ad invicem, quod, si aliquis ipsorum aufferret partem castri aut totum castrum, pars alterius esset alteri comissa ; et hoc juraverunt homines castri predicti, quod juvarent illum a quo pars castri, vel castrum esset ablatum ; et de hoc facta fuerunt instrumenta tria, quorum unum habuit Raymundus de Rocafolio, aliud habuit domina Vierna, et aliud habuit dominus comes.

Preterea dixit quod R. de Rocafolio abstulit predictum castrum domine Vierne.

De tempore et personis, idem quod proximus.

Raymundus Natalis, testis juratus, dixit se vidisse et audisse, quod divisio fuit talis facta inter dominam Viernam et R. de Rocafolio de castro de *Breissac*, quod domina Vierna habuit a bisturri usque ad baucium, et habuit stare de Balma ; et R. de Rocafolio habuit versus collum et *salau* de plano subtus caput castri, et tenezonem staris Lionceos ; et sunt XXVII anni.

Postea vidit dominam Viernam ejectam de predicto castro, et ibi fuerunt Raymundus de Armazanicis, Ainerius, G. Petri, et multi alii.

De ejectione castri, dixit quod sunt XX anni.

S. de Blaqueria, testis juratus, dixit se vidisse et audisse, quod domina Vierna custodiebat castrum predictum ; et postea vidit quod bajuli R. de Rocafolio ejecerunt eam de predicto castro, et custodiebant predictum castrum ; et sunt XX anni.

Omnes predicti testes a Guillelmo de Sancto Nazario infra, excepto Raymundo Natalis, dixerunt cartam bullatam domini comitis Tholose, et a duabus partibus [per] alphabetum divisam, esse veram ; que incipit post Incarnationem *regnante Philippo, rege Francorum, et R[aimundo] Tholose comite,* et

est scripta ab utraque parte, et finitur ex una parte *usque ad barbacanam*, et ex alia parte finitur *P. de Valleques*.

Produxit Poncius Petri quandam cartam bullatam duabus bullis, bulla domini episcopi Magalonensis [et] comitis R[aimundi], per alphabetum divisam. Est scripta ex duabus partibus, et incipit post Incarnationem ex una parte *ego Raymundus Petri*, et finitur *et Bernardi Pelligarii*; et ex alia parte incipit *ego P. de Lunello*, et finitur *bullam mediam supposuit*.

Hos testes recepit Guiraldus de Cocone, bajulus domini episcopi Magalonensis, assidente sibi Matheo Gregorio causidico, apud Breyssacum, eodem anno et die quo supra.

Licet dictus Poncius Petri testes suos dicto bajulo presentasset die sibi assignata ad producendos testes, dictus bajulus eos recipere noluit, quia Raymundus de Rocafolio non venerat illa die; et die predicta eos, ut dictum est, audivit in presencia et testimonio Poncii Arra, Berengarii Audeberti, G. de Sancto Leoncio, Ymberti de Agantico, Johannis Ruda, et Guillelmi Aymerici, publici Montispessulani et curie domini episcopi Magalonensis notarii, qui, mandato dicti bajuli, hec omnia de actis curie domini episcopi translatavit, et signavit.

(Reg. D, fol. 255 v°).

CCCLV. — 29 novembre 1217

Jean de Lates, avocat, achète en franc-alleu les moulins de Ferrans et de Nonet et leurs dépendances.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Anno Incarnationis ejusdem millesimo CC° septimo decimo, VII° kalendas decembris, manifestum sit presentibus et futuris quod ego Poncius de Agone (1) miles... vendo... pro alodio libero tibi Johanni de Latis causidico, et tuis, et quibus volueris, vel concesseris.

(1) Cart.: *Vergnone*. Nous préférons *Agone*; voir plus bas.

ad omnes voluntates tuas tuorumque plenarie faciendas, videlicet omne omnino dominium, dominationem, laudimium, consilium que ego habeo, et pro certo confiteor me habere, et antecessores mei unquam (1) habuerunt, in toto molendino de Ferrans (2) quod est in terminio de Paleata, et Berengarius Enveriade de me tenet, et albergarii in ipso et [pro] ipso, quatuor militibus, quod pro ipso molendino facere tenetur singulis annis censualiter (3) ; et totum omnino aliud jus ad nos competens, et quod unquam (4) compeciit in dicto molendino, vel pro ipso, et in tota riperia (5), et in vercariis (6) ejusdem molendini, et in omnibus aliis pertinentibus et adjacentibus, et circumstantibus dicto molendino, et introitibus et exitibus ejusdem molendini.

Et similiter vendo pro alodio libero tibi, dicto Johanni de Latis (7), et tuis, ad omnes voluntates tuas tuorumque plenarie faciendas, omne omnino dominium, consilium et laudimium, et IIII[or] solidos melgorienses censuales pro albergio duorum militum, que (8) habeo et habere debeo in toto molendino de Nonet, et in omnibus ejus pertinenciis et adjacenciis, et vercaria et riperia ejusdem ; quem censum, pro dicto molendino et ejus pertinenciis, Berengarius Aimerici (9) in singulis annis censualiter (10) facere tenetur.

Preterea vendo tibi pro alodio libero desgranamentum in dictis molendinis, quod ego et antecessores mei habemus et

(1) Cart.: *nunquam*.

(2) Cart.: *Ferrani*. Nous ne pouvons exactement identifier ce moulin et le suivant, mais nous ne pouvons admettre l'identification proposée par Thomas (*Dict. topogr. de l'Hérault*, art. *Farans*). Il devait être sur la Mosson, entre Grabels et Juvignac et près de la Paillade ; de même pour le suivant.

(3) Cart.: *sensualiter*.

(4) Cart.: *nunquam*.

(5) Cart.: *riperria*.

(6) Cart.: *mercariis* ou *viercariis*.

(7) Cart.: *Laitis*.

(8) Cart.: *quam*.

(9) Cart.: *Americii*.

(10) Cart.: *sensualiter*.

habuimus in ipsis et in unoquoque ipsorum, scilicet (1) quantumcumque una bestia poterit defferre semel per singulas septimanas possit molere in ipsis sive molitura (2), et bladum quod ibi inveneritis removere, quousque dictum desgranamentum sit molitum.

De omnibus supradictis et singulis tibi, Johanni (3) de Latis, pro libero alodio venditis, et te et tuos et quibus concesseris investiendo, et me et meos disvestio; et tibi jus dominii, laudimii, consilii, proprietatis, possessionis tibi et tuis, et quibus concesseris, perfecte [et] plenarie cedo, et omnino transfero, et imperpetuum concedo, sciens (4) et recognoscens (5) me a te habuisse nomine precii, et numerando recepisse centum quinquagenta solidos Melgorii, in quibus renuncio ex certa scientia exceptioni non numerati et non soluti precii.

Pro evictione vero... me et omnia bona mea... obliguo, promittens... quod, occasione majoris valencie, vel qualibet occasione... non veniam, sed ea omnia... observabo per hec sancta Dei evangelia a me corporaliter tacta.

Acta sunt hec omnia et laudata (6) in presencia et testimonio Mathei Gregorii, Deodati de Amiliano diachoni, Fulcranni de Latis, clerici, Berengarii Dalmacii de Monte Arnaldo, et Ademarii Scriptoris, notarii, qui, rogatus a partibus, hec scripsit.

Post hec anno quo supra, pridie kalendas decembris, in ecclesia Sancti Laurencii de *Auzanegues* (7), omnia supradicta et singula laudavit et confirmavit Stephana, uxor dicti Poncii de Agone, renunciando juri ypothece, quod, nomine dotis sue vel donationis propter nupcias, vel qualibet alia de causa, que dici vel excogitari posset, in predictis habebat vel habere

(1) Cart.: *ne*.

(2) Il y a une lacune dans cet acte, bien que le sens paraisse clair : il faudrait : *septimanas de omnibus que possit*, etc.

(3) Cart.: *Johannis*.

(4) Cart.: *ciens*.

(5) Cart.: *regonocens*

(6) Cart.: *laudada*.

(7) Aussargues ou Daussargues, commune de Saint-Jean de Vedas.

poterat, sacramento ab ipsa corporaliter prestito, contra predicta vel aliquid predictorum, nulla occasione juris vel facti, se venturam : et habuit inde decem solidos melgorienses, quos Johannes de Latis ei dedit in presencia et testimonio cappellani de Aussanicis (1), Mathei Gregorii, Petri de Valfera peissonerii, Berengarii Dalmacii de Monte Arnaldo, et dicti Ademarii Scriptoris, notarii, qui rogatus hec cripsit.

(Reg. C, fol. 95 r°).

CCCLVI. — 19 mars 1217 (n. s. 1218)

Enquête sur le péage de Sainte-Croix contre les consuls de Montpellier.

Clarum... sit presentibus et futuris, quod, Johanne de Orlaco et Bernardo Capud Bovis, tenentibus castrum Montisferrandi, et percipientibus pedagium apud Sanctam Crucem a transeuntibus per caminum, consules Montispessulani, et Bernardus Gres (2), tunc bajulus Montispessulani, conquesti sunt domino B[ernardo], Dei gratia Magalonensi episcopo, de ipsis Johanne de Orllaco et B. Capud Bovis, dicentes quod ipsi accipiebant pedagium, et faciebant accipi a quibusdam per caminum transeuntibus, a quibus non debebant; similiter quod accipiebant pedagium ab illis, a quibus debebant accipere, plus quam accipere deberent.

Vocatis igitur predicto Johanne et Bernardo a dicto domino episcopo, declarata eis supradicta conquestione, quam dicti consules et bajulus faciebant pro se et universitate Montispessulani, et pro omnibus transeuntibus per caminum, responderunt quod nichil accipiebant ibi, vel faciebant accipi, nisi quod consuetum erat, et sicut consuetum erat accipi longis-

(1) Cart.: *Auszanticis :* Aussargues.

(2) Bernard Grès fut bayle de Montpellier en 1220, d'après le *Petit Thalamus*. En 1217-1218 c'était G. d'Azilhan. Comme dans cet acte ne figure aucun nom de consul, nous ne pouvons dire si la date est fausse, ou s'il faut changer le nom du bayle.

simis retro temporibus ; super quo dicebant se esse paratos fidem facere plurissimam per testes, omni exceptione majores. Ad quos testes audiendos et recipiendos constitutus fuit Guiraldus de Cocone, tunc bajulus dicti domini episcopi.

Ad quam diem prefatus Johannes et Bernardus comparuerunt coram dicto bajulo apud Montempessulanum, in curia domini episcopi cum infrascriptis testibus, quos paratos ad ferendum testimonium super predictis se habere dicebant.

Vocatis itaque dictis consulibus et Bernardo Gres bajulo, necnon et ipsis citatis et interesse nolentibus, dictus Guiraldus de Cocone bajulus, volens adimplere quod sibi injunctum erat a domino episcopo, ad diem statutum habito diligenter consilio et tractatu, assidente sibi Matheo Gregorio causidico, testes, sibi oblatos a dicto Johanne de Orllaco et Bernardo Capud Bovis, recepit in modum publicationis ad fidem super predictis faciendam ; qui testificati fuerunt in hunc modum :

Raymundus de Monte auto miles, [testis] juratus, dixit se vidisse et audisse quod Raymundus (1), comes Sancti Egidii, pater Raymundi comitis, filii quondam Constancie, misit bajulum suum Bermundum de Salve, patrem istius Bermundi vetuli, in castro Montisferrandi : et dictus bajulus pro dicto comite, et alii bajuli post ipsum accipiebant pedagium in castro Arsacii, et in villa Sancte Crucis, et in villa de *Fontanes*, et in villa Sancti Mathei (2), pro castro Montisferrandi ; scilicet in quolibet trossello XII denarios, et in balis VI denarios ; et quando datus erat in uno predictorum locorum, non accipiebatur in alio loco : et sunt L anni quod hec vidit, et interim, donec Crucesignati venerunt in partibus istis.

Petrus Cogorla, [testis] juratus, dixit se vidisse et audisse Bernardum de Cambon, stantem in castro de Arsacio, et accipientem pedagium pro castro Montisferrandi : in quolibet trosello XII denarios, et in barda octo denarios, et in balis VI denarios, et in carga aluminis VI denarios, et in saumata muli

(1) Raimond V, comte de Toulouse et de Melgueil, père de Raimond VI, mari de Constance, sœur de Philippe Auguste.

(2) Assas, Sainte-Croix de Quintillargues, Fontanes et Saint-Mathieu de Tréviers.

aceris IIIIor denarios, et ferri tres denarios, et in saumata de *pez* III obolos, et in singulis porcis I denarium. Et sunt XL anni quod hec vidit. Et in villa Sancte Crucis et de *Fontanes* vidit hec omnia accipere [ab] aliis bajulis, scilicet Randoni et Bn. de Morteriis; et hoc vidit donec Crucesignati in terra ista venerunt.

Guillelmus de Federia, [testis] juratus, dixit se vidisse et audisse, quod ipse testis, pro castro Montisferrandi, pedagium accepit in villa Sancti Mathei et Sancte Crucis, scilicet in trossello XII denarios, et in barda VIII denarios, et in balis VI denarios, et in duodena mutonum VI denarios, et in saumata salis I denarium. Et sunt XXX anni transacti, quod ipse testis accepit predicta; et antea viderat hec omnia recepisse per bajulos (1) comitisse Melgorii, scilicet per XX annos.

Poncius Ricols, [testis] juratus, dixit se vidisse et audisse, quod Cambos accipiebat pedagium in castro de Arsacio, pro castro Montisferrandi, scilicet in trossello XII denarios, in barda VIII denarios. Et sunt XXX anni et plus quod hec vidit.

Dixit preterea quod Bernardus de *Morters* hoc idem accipiebat, pro dicto castro, *a Fontanes*; et Randonus accipiebat hoc dictum pedagium, pro dicto castro, *a Fontanes* et in villa Sancte Crucis; et sunt XX anni.

Preterea dixit quod Vezianus accepit dictum pedagium postea in villa Sancte Crucis, et P. Dolsa in villa Sancti Mathei; et sunt X anni et plus.

Petrus Ricardi, [testis] juratus, dixit se vidisse et audisse, quod Cambos accipiebat pedagium dictum in castro de Arsacio, pro castro Melgorii; et sunt XL anni. Postea vidit quod Vezianus et Randonus hoc idem accipiebant in villa Sancte Crucis et Sancti Mathei; et sunt XXV anni.

Petrus de Federia, [testis] juratus, dixit se vidisse et audisse, quod, a L annis citra, bajuli castri Montisferrandi pro domino comite accipiebant pedagium dictum in villa Sancti Mathei et Sancte Crucis, et apud Arsacium.

Raymundus Cathbrandi, [testis] juratus, dixit se vidisse et

(1) Cart.: *pro bajuli*.

audisse, quod Cambonus accipiebat pro dicto castro, dictum pedagium apud Arsacium ; et sunt XL anni.

Johannes(1) de Deveza, [testis] juratus, dixit [idem] quod proximus ; et addidit quod Bernardus de *Morters*, et Randonus, et Vezianus(2), accipiebant hoc idem *a Fontanes* et ad Sanctam Crucem ; et sunt a XV annis usque ad XX.

Bernardus de Campo, [testis] juratus, dixit idem quod R. Catbrandi per omnia.

P. Arveria, [testis] juratus, dixit idem quod proximus ; et addidit quod dictus B. de Cambo accipiebat dictum pedagium ad Sanctam Crucem, et ad Sanctum Matheum, et *a Fontanes ;* et sunt XL anni.

Bernardus de *Morraut*, [testis] juratus, dixit idem quod proximus ; sed dixit quod XL anni sunt et amplius.

Vezianus, [testis] juratus, dixit se vidisse et audisse, quod Guillelmus de Federia accipiebat pedagium ad Sanctam Crucem, pro castro Montisferrandi, scilicet in quolibet trossello XII denarios ; et sunt XXX anni et plus.

Postea hoc idem pedagium accepit ipse testis et Randonus, et B. de *Morteirs*, et Carcassonus, in castro de Arsacio, et in villa Sancti Mathei, et in villa Sancte Crucis ; et sunt XX anni et plus.

P. de Burgada, [testis] juratus, dixit idem quod J. de Deveza ; et addidit quod interim vidit, donec Crucesignati venerunt in partibus istis, hoc pedagium accipere.

Martinus de *Carzet*, [testis] juratus, dixit idem quod R. Cathbrandi per omnia.

Bernardus de Areis, [testis] juratus, dixit idem quod J. de Deveza; et addidit quod XLV anni sunt.

Deuslofez, [testis] juratus, dixit idem quod proximus per omnia.

P. Stephani, [testis] juratus, dixit se vidisse et audisse, quod Cambonus stabat apud Arsacium ; et audivit quod ipse Cambonus accipiebat pedagium in dicto castro, pro castro Montis-

---

(1) Cart.: *Johanne.*
(2) Cart.: *Vecianus.*

ferrandi; et vidit quod Cambos defferebat denarios de pedagio in castro Montisferrandi; et sunt XL anni.

Guillelmus de Ferreriis, [testis] juratus, dixit idem quod P. Ariman (1).

G. de Cumba, [testis] juratus, dixit se vidisse et audisse quod B. de *Morteirs*, et G. de Federia, et Randonus, et Vezianus (2) accipientes dictum pedagium ad Sanctam Crucem et *a Fontanes*; et sunt a XXX annis usque ad XXXV; et interim vidit dictum pedagium accipere, donec Crucesignati venerunt in partibus istis.

Hos testes et juratorum testium deposiciones recepit dictus Guiraldus de Cocone, bajulus domini B[ernardi], Magalonensis episcopi, assidente sibi Matheo Gregorio causidico, in modum publicationis, in curia dicti domini episcopi, anno Dominice Incarnationis M° II° septimo decimo, quarto decimo kalendas aprilis, in presencia et testimonio Petri Bar. Guidonis de Sancto (*blanc de 3 centim.*), R. de Montaniaco et Guillelmi Aymerici notarii, qui predictas attestaciones in actis curie domini episcopi scripsit.

(Reg. D, fol. 204 v°; d'après un vidimus de 1228).

CCCLVII. — 8 mai 1218

Honorius III ordonne aux châtelains du comté de Melgueil de prêter serment à l'évêque pour les fiefs dépendant du comté, comme ils l'avaient fait au comte.

(Reg. C, fol. 193 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 28.

---

(1) Ce témoin ne figure pas dans cette enquête. Ne faudrait-il pas lire : *Arreria ?*

(2) Cart.: *Randonum et Vezianum.*

CCCLVIII. — 10 mai 1218

Honorius III écrit aux prieurs d'Aubeterre et de Castries pour qu'ils obligent les détenteurs des actes relatifs au comté de Melgueil à s'en dessaisir entre les mains de l'évêque, devenu comte de Melgueil.

(Reg. F, fol. 172 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 29.

CCCLIX. — 22 juin 1218

Jean Bocados donne quittance à l'évêque de Maguelone d'une dette de 41.000 sols melgoires, dette contractée par son prédécesseur.

In nomine Domini. Anno Incarnationis ejusdem M° ducentesimo (1) octavo decimo, decimo kalendas julii, ego Johannes Bocados scio et recognosco... tibi domino B[ernardo], divina favente gratia Magalonensi episcopo, comiti Melgorii, vos michi, transactis temporibus episcopatus vestri, solvisse, de debitis que pro comitatu Melgorii vos debebatis, et dominus G[uillelmus], bone memorie predecessor [vester] michi debuerat, veraciter michi, scilicet sexdecim milia solidorum melgoriensium, computatis fideliter in ipsis sexdecim milibus solidorum michi solutis, de debitis jamdictis, universis et singulis, que a vobis vel ab aliis pro vobis ego habui, vel alii habuerunt per me, usque in hanc presentem diem.

Sed ultra predictam summam sexdecim milium solidorum, nunc de presenti solvitis michi viginti et quinque milia solidorum Melgorii, de ipsis debitis jamdictis; que viginti et quinque milia solidorum recipio in solutionem et pagam aliorum XXV milium solidorum de debitis, que michi, ut dictum est, debebatis, et dominus predecessor vester debuit pro comitatu

---

(1) Cart.: *ducentegesimo*.

jam dicto. Et sic facta summa omnium michi solutorum, de dictis debitis, sunt quadraginta unum milia solidorum Melgorii michi soluta; de quibus per pacatum me teneo, renuncians in eis ex certa sciencia exceptioni non solute pecunie, et omni alii exceptioni. A quibus etiam quadraginta et uno milibus solidorum Melgorii michi, sicut prescriptum est, solutis, vos dominum episcopum, et comitatum totum Melgorii, et omnes personas, et res michi obligatas prorsus imperpetuum cum hac carta libero et absolvo.

Testes vocati et rogati hiis adfuerunt Johannes de Montelauro, Magalonensis archidiaconus, Raimundus Geraldi archipresbiter, Firminus prior de Montearbezone, P. Bellon, Raimundus de Dundris, canonici Magalonenses, Jacobus (1) Lumbardi, Jacobus filius ejus, Ermengavus de Agillano, Bernardus Beceda, Johannes Luciani, Deodatus de Fans, frater ejus, Guillelmus de Agillano, Petrus et Gaucelmus (2) fratres ejus, Johannes de Latis, Raimundus Beceda, Johannes Luciani, Deodatus de Fans, Raimundus de Morezen, Johannes Mata, Bernardus Fulcranni, Firminus Burgensis, W. de Cavannaco, Petrus frater ejus, et alii plures, et Bernardus de Porta notarius, qui rogatus hec scripsit.

(Reg. C, fol. 73 r°).

CCCLX. — 26 juin 1218

Bernard de Mèze recouvre la baylie de Melgueil; il donne 3.000 sols aux enfants de Raimond de Saint-Firmin et leur doit encore 8.000 sols.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Manifestum sit presentibus et futuris, amicabilem compositionem esse factam, mediante Johanne Bocados, inter dominum B[ernardum], Dei gratia Magalonensem episcopum, ex una parte, et Petrum Guillelmi de Sancto Firmino, et Gaucerandum fratrem ejus, tutores

---

(1) Cart.: *Jacobi.*
(2) Cart.: *Gaucellus.*

infantum quondam Raimundi de Sancto Firmino patris eorumdem, pro ipsis infantibus, per se et per alios contutores, ex alia parte, in hunc modum : quod nos Petrus Guillelmus et Gaucerandus, per nos et per alios tutores infantum quondam Raimundi de Firmino, nomine ipsorum infantum solvimus et omnino desamparamus vobis domino B[ernardo], Dei gratia Magalonensi episcopo, totam bayliam castri de Melgorio, concessam quondam a domino G[uillelmo] de Altiniaco, Magalonensi episcopo bone memorie, predicto Raimundo de Sancto Firmino et suis, et totum jus pignoris duodecim milium solidorum, quod ipse habebat, et infantes et heredes sui habebant in redditibus et obventionibus castri de Melgorio, et in ipso castro, et in aliquibus rebus seu juribus, corporalibus seu incorporalibus, ad dictum castrum de Melgorio seu ejus dominationem pertinentibus, ex obligatione eidem Raimundo de Sancto Firmino et suis facta a predicto domino G[uillelmo], Magalonensi [episcopo], sicut melius et plenius dici vel exprimi potest, ad utilitatem nostram ; cartam cujus pignoris vobis domino B[ernardo], episcopo Magalonensi, reddidimus.

Et nos B[ernardus], Dei gratia Magalonensis episcopus, ex vigore dicte compositionis, per nos et per nostros omnes successores, absolvimus et in perpetuum liberamus infantes et heredes quondam Raimundi de Sancto Firmino, et omnia bona et jura ipsorum, ab omnibus et singulis, que aliquo modo vel intellectu petere vel exigere possemus a predictis infantibus, vel in bonis eorum, contemplatione vel occasione bailie castri de Melgorio et pignoris predicti, vel successorum, vel aliorum aliquorum nomine, vel occasione predicte bailie, vel pignorum, et generaliter omnium aliorum, ad hanc diem: de quibus omnibus et singulis bonum finem et plenam remissionem, perpetuam et absolutionem, et pactum de non petendo predictis infantibus, heredibus Raimundi de Sancto Firmino, et suis, et vobis Petro Guillelmo et Gaucerando, pro ipsis infantibus recipientibus, per vos et per alios tutores dictorum infantum, per nos et per omnes successores nostros, facimus, et inde eos quitios clamamus, sicut melius dici vel exprimi potest, ad utilitatem dictorum infantum.

Pro hac vero compositione amicabili, nos damus et solvimus de presenti vobis, predictis tutoribus, Petro Guillelmo et Gaucerando, pro dictis infantibus recipientibus, et eorum nomine, tria milia solidorum Melgorii, scientes et recognoscentes nos adhuc debere, per hanc amicabilem compositionem, prenominatis infantibus et vobis, prenominatis tutoribus pro ipsis, octo milia solidorum Melgorii, quos promittimus nos soluturos dictis infantibus, et vobis pro ipsis, ab hoc primo venienti festo sancti Michaelis usque ad unum annum.

Si vero de predictis octo milibus solidis non possemus complere ultra tria milia solidorum et remanerent V milia solidorum, quos sine maximo dampno nostro non possemus solvere, per hanc compositionem poterimus illos V milia solidorum per unum annum vel per duos retinere ; ita tamen quod, de dampno et gravamine quod inde sustinerent dicti infantes, stabimus cognitioni et voluntati Guillelmi de Conchis, et predicti Johannis Bocados, vel alterius eorum, si ambo presentes non essent ; et, per ipsorum arbitrium et voluntatem, totum dampnum, quod, ex mora solutionis dictorum V milium solidorum, dicti infantes sustinerent, sine aliqua excusatione [et] exceptione plenarie ipsis infantibus, et vobis pro ipsis, restituemus.

Verumtamen ad predictum terminum sancti Michaelis, ut dictum est, modis omnibus tria milia solidorum de predictis octo milibus solidorum solvere tenemur, in tantum quod ullo modo poterimus retinere ex ipsis octo milibus solidorum, nisi tantummodo V milia solidorum per unum annum, vel per duos, ut supra dictum est.

Que omnia ego Petrus Guillelmus de Sancto Firmino, et ego Gaucerandus, frater ejus, per nos et per alios contutores nostros, et pro ipsis infantibus laudamus, et vera esse cognoscimus, et nos contra non venturos aliquo jure vel ratione... per fides nostras promittimus ; scientes et recognoscentes nos recepisse et habuisse, nomine dictorum infantum, supradictos tria milia solidos Melgorii, in quibus expressim, et ex certa scientia, renunciamus exceptioni non numerate et non solute peccunie.

Acta fuerunt hec apud Montempessulanum, in aula domini episcopi Magalonensis, anno Dominice Incarnationis M° ducentesimo octavo decimo, sexto kalendas julii, in presentia et testimonio Petri Belloni, Raimundi de Lundris, canonicorum Magalonensium, Johannis de Latis jurisperiti, Petri Lumbardi diaconi, Raimundi Brunenci, prioris de Murles, Guiraudi de Cocone, bajuli domini episcopi, et Guillelmi Aimerici, publici notarii, qui, mandato partium, hec scripsit, et in XVIª linea rasuram fecit scilicet *prenominatis*.

(Reg. C, fol. 74 r° ; édité par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 214).

CCCLXI. — Juillet (1) 1218

Bernard de Mèze confirme l'élection de Guillaume de Brignac, élu abbé d'Aniane, en remplacement de Bernard de Vertefeuil.

Anno Domini millesimo ducentesimo octavo decimo, pridie idus julii domino B., Anianensi abbate, diem functo, post quartodecimo kalendas augusti, convocatis monachis Anianensibus a priore claustrali, de consensu capituli qui comode venire poterant, et qui in provincia morabantur, presentibus in capitulo monachis infrascriptis, B., prior claustralis, de consensu capituli elegit duos electores (2) de capitulo, scilicet Guillelmum Abriniacum et B. de Pezolas cellarium, data et eis et dicto priori a capitulo potestate et licentia eligendi quinque, qui abbatem eligerent.

Quibus quinque electis a prefatis tribus, scilicet B. de Stagno infirmario, et P. de Pradinis priore de Volio, et P. [de] Garino priore de Nizacio, et P. de Podio Abone, et P. de Balmis,

(1) Nous ne mettons pas de date de jour à cet acte : Bernard mourut le 14 juillet (*pridie idus*) ; l'élection eut lieu le 19 juillet (*14 kalendas augusti*). Bernard de Mèze confirma cette élection le 20 juillet.

(2) Cart.: *electore*.

omnes universi et singuli de capitulo in dictos quinque unanimiter convenerunt, et in ipsos vota sua super electione faciendi abbatis plenarie transtulerunt, promittentes, quod, sine omni questione et contradictione, illum reciperent in abbatem in quem dicti quinque vel major pars eorum convenirent.

Quibus rite peractis, a prefatis quinque prestito sacramento ibidem in capitulo coram omnibus, quod secundum conscientias suas, magis ydoneum sibi eligerent in abbatem, ecclesiam intraverunt : et, invocata Sancti Spiritus gratia, unanimiter concordantes, capitulum intraverunt, ubi coram omnibus B. de Stagno infirmarius, de mandato, et voluntate, et auctoritate aliorum quatuor coelectorum sibi prestita, G. de Abriniaco in Anianensem abbatem nominarunt.

Cui nominationi prefati quatuor electores expressim et omnes alii de capitulo consenserunt, et ratam habuerunt, quorum nomina hec sunt ; Poncius de Belloloco prior de Interaquis, P. sacrista, Poncius Eme prior de Vico, G. Cervianus prior de Abeillano, B. prior de Villanova, P. de Montepetroso prior de Giniaco, Alaberdus prior Sancti Vincencii, B. de Pezolas cellarius, B. Maurinus coquinarius, B. de Agato, F. de Roca auta, et P. frater ejus, Rodulphus de Marginibus, F. Paganus, Rostagnus de Vico, A. de Graneriis, S. de Burgo, F. de Garrigis, F. de Figareto, B. de Bessano, B. de Macillanicis, B. Carbonellus, G. de Arenis, F. de Fisco, P. Raimundi, G. de Montepetroso, Benedictus de Venres, P. de Salve, Johannes Ambuleti.

Cum igitur omnia suprascripta, ut supradictum est, rite peracta sint, nos scilicet P. de Pradinis, B. de Balivis, et P. Garini, de mandato omnium supradictorum, vobis, domino B[ernardo], Dei gratia Magalonensi episcopo, dictum electum presentamus, confirmacionem ipsius suppliciter postulantes.

Post hec autem, ut debitus ordo juris servaretur, et ut lux veritatis clarius eluceret, isti predicti tres, scilicet P. de Pradinis, Be. de Balivis, et P. Garini, in manus domini B[ernardi], Dei gratia Magalonensis episcopi, tactis corporaliter sacrosanctis evangeliis, juraverunt hec omnia suprascripta et singula

vera esse, et se vidisse et audisse, sicut plenius superius continetur.

Ad hec siquidem ut uberior fides et plenior veritas supradictis omnibus et singulis haberetur, tum super compositione morum, et honestate predicti electi, infrascripti monachi scilicet A. prior Sancti Amancii, P. Garini prior de Nizacio, Poncius de Belloloco helemosinarius, Poncius Eme prior de Vico, B. de Balivis, B. Maurinus coquinarius, P. de Pradinis prior de Volio, in verbo veritatis requisiti, morum composicionem, et conformitatem honestatis, laudem et preconium affirmarunt domino episcopo predicto, cum solerti cura et indagacione, viva voce, ab eisdem, ut prescripta sunt, omnia et prelibata diligencius inquirenti.

Quoniam igitur veritatis lucerna sub modio (1) non debet claudi, sed super candelabrum erigi et altius eminere, notum et perspicuum sit presentibus, clarum et indubitatum posteris et futuris, quod nos B[ernardus], divina permissione Magalonensis episcopus, presentacionem Anianensis monachi (2) G. de Abriniaco factam, anno quo supra, videlicet XIII° kalendas augusti, ad petitionem monachorum dicti monasterii recepimus, facta deinde presentatione tam electionis quam persone ipsius electi, supplicantibus monachis, ut dicto electo beneficium confirmacionis impendere dignaremur, convocato prudentum virorum consilio, formam Lateranensis concilii (3) a domino Papa Innocentio felicis recordationis, in talibus prefinitam, facientes perligi coram nobis, sic duximus procedendum :

In primis itaque de processu electionis cum omni diligencia inquirentes, juxta Lateranensis concilii (4) constitutionem, super electionibus promulgatam, prefatos monachos invenimus processisse, sicut in superiori parte hujus instrumenti seriatim et plenius reperitur.

(1) Cart.: *medio*.
(2) Cart.: *monachi de G*.
(3) Cart.: *consilii*. Allusion au canon 24 du 12° concile œcuménique.
(4) Cart.: *consilii*.

Insuper ne per incuriam nostram aliquid omitteretur, tam de ipsius electi honestate, moralitatis compositione et gravitate, tum etiam litteratura sollicite et attente indagantes, cum omnia, secundum juris ordinem et tramitem (1), invenimus esse acta, recepta de more a memorato electo obediencia, salvis privilegiis tam Magalonensis Ecclesie quam monasterii Anianensis, nolentes electionem de dicto G., rite ac (2) canonice peractam, aliquibus dilacionibus impedire, eandem comprobantes, legitime et secundum normam juris factam duximus confirmare.

Acta fuerunt hec apud Montempessulanum, in aula domini episcopi Magalonensis, in presencia et testimonio Johannis de Montelauro, Magalonensis archidiaconi, Sycardi de Ollanicis, Firmini prioris de Montearbedone, F. de Londris, F. de Montelauro, P. Belloni, Poncii de Lunello, F. Girardi, F. de Mezoa, G. de Ripa, P. Almeradi, G. de Casellis, P. Gaudini, P. Rainaudi, B. Briqueti, B. de Maurino, et Guillelmi Aymerici, publici notarii, qui, mandato dicti domini episcopi, hec scripsit.

Et ut omnia predicta majus robur obtineant, dominus episcopus predictus presentem cartam sigilli sui munimine precepit roborari.

(Reg. E, fol. 28 r°).

CCCLXII. — (?) Août 1218

Marie Calva et son mari cèdent à Jean Bocados tout ce qu'ils possèdent à Sèmalen.

Anno Dominice Incarnationis M° CC° octavo decimo, pridie [?] mensis augusti, ego Maria, filia quondam Gerardi Calva, et ego Micael de Marges, maritus ejus... nos ambo solvimus... tibi Johanni Boccados et tuis, ad omnes voluntates vestras faciendas, videlicet omne omnino jus nostrum reale, personale, [*dominium ?*] directum (3) utile, ordinarium, sive extraordi-

---

(1) Cart.: *transnicle* (*e* surmonté d'un trait).

(2) Cart.: *a*.

(3) Cart.: *personale jure tuum directum*.

narium, quodcumque et qualecumque sit, quod dici et excogitari possit, vobis competens in tota illa quondam bugadaria et domo et turri et localibus que sunt vel fuerunt ad Saimalenses juxta molendina *Bisbals*; et in tota ripperia de Samalegis et ejus pertinentiis, sicut unquam dictus Gerardus Calvus pater mei, Marie, predicta habuit vel tenuit vel aliquid predictorum.

Tibi similiter omnium jus fructuum et obventionum eorumdem (*blanc de 4 cent.*), quod nobis aliquo modo competit, vel competere potest vel debet, adversus quaslibet personas, vel res, nomine vel occasione predictorum, tibi similiter solvimus... et jus possessionis et proprietatis cedendo, irrevocabiliter tibi et tuis concedimus; scientes et cognoscentes nos a te habuisse nomine predictarum cessionum... decem libras et decem solidos, in quibus ex certa scientia exceptioni non numerate peccunie renunciamus; promittentes... facta a nobis renunciatione auxilii cujuslibet juris scripti... quo alicui prescriptorum obviari posset vel dici vel fieri... ita tenebimus...

Testes sunt Johannes de Latis causidicus, Guillelmus Boccados, Petrus de Gigacino, et Ugo Laurencii notarius.

(Reg. C, fol. 133 r°).

CCCLXIII. — 18 septembre 1218

Testament de Pons Pierre, seigneur de Ganges.

In nomine Domini. Anno Incarnationis ejusdem millesimo CC° XVIII°, XIIII kalendas octobris, ego Poncius Petri, dominus Agantici, quamvis eger corpore, tamen in mea bona sana et integra memoria, meum sic condo testamentum.

In primis relinquo corpus meum pro sepultura Domino Deo, et Beate Marie, et ecclesie Sancti Petri de Magalona; et dono et lego eidem ecclesie mansum *d'Abonaz* cum omnibus suis pertinenciis, et cum omni jure quod ibi habeo vel habere debeo, pro redemptione anime mee et matris mee, salvo tamen dominio et dominatione castri de Breissiaco.

Et lego hospitali patris mei totam unam vineam *da la Mesclaria*, cum omnibus pertinenciis suis, que jungitur ab una parte cum meo orto, et ab alia cum orto *Mesclarie*, et ab aliis partibus cum carreriis : et lego eidem dicto hospitali centum solidos melgorienses, singulis annis persolvendos, de *lesda* bladi *da la peira*. Hanc autem dictam vineam et dictos centum solidos predicto hospitali lego annuatim (1), pro tenendo unum presbiterum imperpetuum ; et ipsam vineam et quinque mansos, quos eidem hospitali pater meus legavit, scilicet mansum de Grecio, et mansum Leoncii, et mansum de Morerio, et mansum de Albertis, et mansum de Lissac, lego eidem sepedicto hospitali pro alodio libero et franco, non retinens ibi aliquod dominium nec laudimium, nisi tantummodo bonam tutelam.

Et lego monasterio Sancti Salvatoris de Aniana (2) XX solidos melgorienses annuatim super duos mansos, quos (3) habeo in pertinenciis castri de Popiano, scilicet super mansum Petri Lauterii et super mansum Poncii Lauterii.

Et lego Guillelmo de Popiano quingentos solidos melgorienses pro caballo, cum quo fiat miles ; et volo et jubeo quod Raimundus Petri, filius meus, de eo faciat militem, et det ei vestes et arma.

Et lego filie mee Tirbar, si tamen a bonis, que sibi cum marito fuerunt tradita, exheredata fieret, necessaria sua in villam Agantici, in victu scilicet et vestitu.

Et lego domine Aigline, uxori mee, villam Agantici, quamdiu vixerit, cum omnibus proventibus et pertinenciis suis, et totum illud (4) quodcumque habeo, et habere debeo, ab evarsa de Cassiliaco usque in castrum de Monte Olyvo (5), et quicquid habeo in ipso castro et in pertinenciis ejusdem castri, et quicquid habeo et habere debeo in parrochia Sancti Stephani de Monte Olyvo, et in parrochia Sancti Michaelis de

(1) Cart.: *unum*.
(2) Cart.: *d'Aynana*.
(3) Cart.: *quod*.
(4) Cart.: *ilud*.
(5) Montoulieu, aujourd'hui canton de Ganges.

Cathedra, et in parrochia Sancti Johannis *dels Baucelz*, et in parrochia Sancti Petri de Agantico, et in parrochia Sancti Juliani, et in parrochia Sancte Marie de Sumena, et in parrochia Sancti Laurencii, et in parrochia Sancti Briccii, et in parrochia Sancti Andree de Pomeriis, et in parrochia Sancti Martini de Montedisderio, et in parrochiis de Rogis, et in parrochia Sancti Baudilii de Blandam, et in parrochia Beate Marie *d'Arre*, et in parrochia Sancti Genesii *d'Arriga*, et in parrochia Sancti Martini de Alsone (1) ; et quodcumque habeo vel habere debeo a *Roquafeuil*, vel in suis pertinenciis ; ita tamen dictam villam Agantici cum omnibus proventibus et pertinenciis suis, et omnia jura quecumque infra prenominatas parrochias, et infra dicta loca, habeo vel habere debeo, dicte Aigline, uxori mee, lego, quod ipsa pro voluntate sua possit et debeat uti (2) et frui in vita sua, quamdiu vixerit, vel tenere voluerit, et facere inde expensas et necessaria sua, et emendare et satisfacere maleficia et forifacta, et hoc quod injuste habueram, tam de honore quam de peccunia, ad noticiam et cognitionem domini Magalonensis episcopi, tam futuri quam presentis, et ipsius dicte Aigline, uxoris mee.

Et scio et recognosco me habuisse et recepisse, nomine dotis dicte Aigline uxoris mee, quinque milia solidorum melgoriensium, pro quibus obligo ei, et pignori subpono, omnes meos molendinos, qui sunt, vel de cetero fient, in riperia fluminis Eravi, scilicet in pertinenciis de Agantico.

Et lego Monpaone, filie mee, nomine et jure institutionis, centum marchas argenti, de quibus eam dotari jubeo ; et quod de istis jamdictis centum marchis dicte Monpaone, filie mee legatis, quinquaginta persolvantur, et satisfiant de meis et proventibus [et] redditibus castri de Ginnaco, et castri de Popiano, et de eorum pertinenciis.

Et lego Bernardo Raimundi, filio meo, nomine et jure

(1) Paroisses presque toutes du diocèse actuel de Nîmes. Identification facile : Baucels (canton de Ganges), Saint-Julien de la Nef, Sumène, Saint-Laurent le Minier, Saint-Brès, Pomiers, Montdardier, Rogues, Blandas, Arre, Arrigas et Alzon.

(2) Cart.: *utri*.

institutionis, quingentos solidos melgorienses ; et jubeo eum esse canonicum Magalonensem.

Et lego Guillelmo Petri, filio meo, nomine et jure institutionis, quingentos solidos melgorienses ; et jubeo ipsum esse monachum vel canonicum.

Et lego Aiceline, filie mee, quingentos solidos melgorienses, nomine et jure hereditatis ; et eam precipio esse monacham.

Preterea volo et precipio quod dicta Aiglina, uxor mea, satisfaciat et persolvat de redditibus, fructibus et omnibus meis proventibus ville Agantici, supradicte Montpaone, filie mee, quinquaginta marchas argenti ; et Bernardo R[aimundi], D solidos predictos ; et Guillelmo Petri, D solidos ; et Aiceline (1) D solidos ; et Guillelmo de Popiano, D solidos, secundum quod superius continetur.

Et dono et lego Poncio Petri, filio meo, nomine et jure institutionis, omnia jura que habeo et habere debeo in castro de Giniaco et in ejusdem pertinenciis ; et omnia jura que habeo et habere debeo in castro de Popiano et in suis pertinentiis ; et generaliter quelibet omnia jura que habeo et habere debeo *de les cossa* Sancti Guillelmi ad *en aval* ; et volo ac precipio quod dicta Aiglina, uxor mea, habeat [et] teneat dictam hereditatem supradictam Poncii Petri, filii mei, tamdiu donec de redditibus, fructibus et omnibus proventibus dicte hereditatis supradicte, L marche dicte Monpaone filie mee integre satisfiant et persolvantur, et debitum Bernardi de Andusia draperii.

Set si ego, in dicta hereditate, aliquid injuste tenebam vel possidebam, jubeo et concedo quod ipsa sepedicta Aiglina, uxor mea, habeat plenam et liberam potestatem illius restituendi.

Raimundo Petri, filio meo, nomine et jure institutionis, relinquo castrum meum de Breissaco cum omnibus pertinenciis suis, et omnia jura quecumque sint, que habeo et habere debeo *a les cossa* Sancti Guillelmi usque in pertinenciis ville Agantici, et usque ad Montempessulanum ; et omnia jura que

(1) Cart.: *Aigline*.

habeo apud Montempessulanum ; et omnia jura que habeo et habere debeo in parrochia Sancti Martini de Lundris, et Beate Marie de Lundris, et in parrochia Sancti Stephani de Issanzac, et in parrochia Sancti Andree de Boga, et Sancti Johannis de Boga, et in parrochia Sancti Baudilii et Sancti Saturnini, et in tota parrochia Sancti Nazarii de Breissaco, et in parrochia Sancti Leoncii de Cassiliaco (1).

Et confiteor solempniter, et recognosco me dedisse, laudasse et concessisse predicta Raimundo Petri, filio meo, cum uxore sua, ex donacione propter nupcias.

Villam seu castrum Agantici, cum omnibus pertinenciis suis, et omnia jura que habebam et habere debebam in castro de Monteolivo, et in suis pertinenciis ; et omnio jura que habeo et habere debeo, quecumque et ubicumque sint, a dicto castro de Monteolivo usque in villam Nantensem (2), videlicet omnia jura que habeo vel habere debeo in parrochia Sancti Stephani de Monteolyvo et in suis pertinenciis, et in parrochia Sancti Michaelis de Cathedra (3), et in parrochia Sancti Johannis *dels Baucels,* et in parrochia Sancti Petri de Agantico, et in parrochia Sancti Juliani, et in parrochia Sancti Laurencii, et in parrochia Sancti Briccii, et in parrochia Sancti Andree de Pomeriis, et in parrochia Sancti Martini de Montedisderio, et in parrochiis de Rogis, et in parrochia Sancti Baudilii *de Blandas* (4), et in parrochia Beate Marie *d'Arre*, et in parrochia Beate Marie de Sumena, et in parrochia Sancti Genesii *d'Arigaz*, et in parrochia Sancti Martini de Alsone ; et totum hoc quod habebam et habere debebam in castro de Rocafolio et in suis pertinenciis : omnia jura autem quecumque et ubicumque sint, que infra omnes et singulas predictas parrochias habebam et habere debebam, dicto Raimundo

(1) Identifions les moins connues de ces paroisses : Saint-André et Saint-Jean de Buèges, Saint-Bauzile de Putois, Saint-Saturnin d'Agonès.

(2) Cart.: *Nantencem :* Nant, ancienne abbaye (Aveyron).

(3) La Cadière (Gard), près Ganges.

(4) Cart.: *Balaz.* L'identification ne paraît pas douteuse : voir plus haut, dans ce même testament.

Petri, filio meo, cum uxore sua, tempore matrimonii, ut dictum est, donasse et concessisse fateor et recognosco, et iterum eandem donationem et concessionem dicto Raymundo Petri filio meo laudo, lego, cedo et concedo, et ut melius et firmius ad utilitatem dicti Raimundi Petri, filii mei, dici potest vel intelligi, approbo, et confirmo, et perpetuo valere volo, eo salvo quod in hoc eodem testamento domine Aigline, uxori mee, relinquo : quod totum et que omnia et singula supradicte Aigline superius a me legata, ipsam dominam Ayglinam, integre et sine aliqua diminutione, toto tempore vite sue, sine impedimento aliquo libere habere volo.

Post mortem vero domine Aigline, predicta dicte Aigline in vita legata, et eadem in donatione propter nupcias predicto Raimundo Petro donata, et in hoc testamento laudata et legata, ad dictum Raimundum Petrum, vel ad suos libere revertantur ; sed de fructibus, quamdiu vixerit, ab ea perceptis, ipsa vel sui non teneantur alicui (1) reddere rationem.

Et volo et jubeo, quod si dictus Poncius Petri, filius meus, vel dictus Raimundus Petri, filius meus, aliquid de hiis que dicte domine Aigline, uxori mee, secundum quod supradictum est, legavi, evinceret, vel auferret, vel super predictis eam inquietaret, vel suam tenezonem ei turbaret ; vel si unus dictorum filiorum meorum, scilicet Raymundus Petri vel Poncius Petri contra alterum scripta hac voluntate mea presumerit agere, et aliquid quoquo modo ab altero evinceret, vel auferret, ab omnibus bonis meis in perpetuum sit exheredatus (2), ita quod de bonis meis nichil habere possit, nisi tantum modo falsidiam (3) suam.

Item volo quod predictus Poncius Petri, filius meus, [non] possit vendere, vel in aliquo modo alienare, alicui (4) persone dominium castri de Giniaco, vel castrum de Popiano : quod si de temerrario ausu (5) vendere presumeret, vel alienare

(1) Cart : *aliqui.*
(2) Cart.: *exherededatus.*
(3) Cart.: *falcidiam.*
(4) Cart.: *aliqui.*
(5) Cart.: *austo.*

quolibet modo, predicta omnia, vel aliquid predictorum, illum de omnibus bonis meis, retenta sua falsidia (1), exheredo ; et bona sibi relicta ad Hospitale Jherosolimitanum Sancti Johannis venire (2) et pertinere volo.

Item si dictum Hospitale dominium vel dominationem predictorum castrorum Aymerico de Claromonte, vel infantibus suis, vel etiam infantibus heredum suorum, vendere, vel inpignorare, vel acomodare, quod nolo unquam, presumeret, nichil ex dictis predictis legatis ad dictum Hospitale penitus pertineret.

Item sciendum est, quod si dictus Raimundus Petri, filius meus, dominium vel dominationem castri de Breissiaco, et castri vel ville Agantici, vel castri de Monteolivo, alicui (3) vel aliquibus personis venderet vel alienaret, ipsum a bonis meis omnibus, tantum sibi sua retenta falsidia (4), exheredo (5) ; et omnia bona sibi relicta ad dominum Magalonensem episcopum pertinere volo.

Ista siquidem omnia et singula predicta legata, et relicta, et superius comprehensa, precipio et volo quod valeant, et firma permaneant jure testamenti : quod si non valent jure testamenti, volo quod valeant jure codicillorum, vel alterius cujuslibet ultime firme et valide voluntatis.

Dominam autem Aiglinam, uxorem meam, et Raymundum Petrum, filium meum, et omnia bona eis legata dimitto et relinquo in protectione et custodia, et defensione domini Petri Bremundi, et domini Magalonensis episcopi, et in fide et securitate (6) eorum.

Acta sunt hec omnia apud Aganticum, in camera ubi jacebat dominus Poncius Petri, presentibus et videntibus, et ad hoc specialiter vocatis et rogatis testibus, videlicet Guillelmo

(1) Cart.: *falcidia*.
(2) Cart.: *veteri*.
(3) Cart.: *aliqui*.
(4) Cart.: *sulcidia*.
(5) Cart.: *exherendo*.
(6) Cart.: *cecuritate*.

de Sancto Juliano Agantici capellano, Petro de Sancto Johanne, Raimundo Aldeberti, Bernardo *Renadiu*, Bernardo Oto, Imberto, Petro Mercerii, Poncio Razorie, Petro Bastida, Causico, Raymundo *d'Agonez*, Johanne de Roveria, Ugone Fabri, Raymundo Galzini.

Post hec, mortuo dicto domino Poncio Petri de Agantico, nos Guillelmus de Sancto Juliano, et Petrus de Sancto Johanne, sacerdotes, de licencia domini episcopi, et nos Bernardus Renadeni, et Bernardus Otho, et Poncius Razeire, et Petrus Bastida, et Causicus, et Raymundus *d'Agones*, et Johannes de Roveria, et Hugo Faber, et Raymundus Gozini, nos omnes insimul, vidimus et audivimus, et verum testimonium perhibemus, quod supradictus dominus Poncius Petri de Agantico, in sua bona memoria et in ultima voluntate sua, in nostra et aliorum predictorum testium presencia, sic disposuit et definivit omnia bona sua, ut superius in hac carta plenarie continetur; et nescimus quod postea aliquid ibi mutaverit, detraxerit, augmentaverit, vel quod aliter rebus suis disposuerit; et ita verum est precise. Sic Deus nos adjuvet et hec sancta Dei evangelia quatuor, a nobis corporaliter tacta.

Hanc publicationem et juratorum testium deposicionem recepit dominus B[ernardus], Dei gratia Magalonensis episcopus, assidentibus sibi domino P., Dei gratia Massiliensi episcopo, et Matheo Gregorio causidico, presente et vidente dicta domina Aiglina, uxore quondam dicti domini Poncii Petri de Agantico, et publicationem istam fieri procurante.

Acta fuerunt hec apud Montempessulanum, in aula nova predicti domini Magalonensis, anno quo supra, videlicet tercio idus januarii, in presencia et testimonio Firmini prioris de Monte Arbedone, P. Bellioni, R. de Lundris, Sycardi, prioris Muri Veteris (1), canonicorum Magalonensium, Guiraldi de Cocone bajuli domini episcopi, P. Lumbardi prioris de Castriis, P. de Valveria, G. de Popiano, Bernardi Petri de Monteolivo, et Guillelmi Aymerici, publici Montispessulani notarii, qui, mandato dicti domini B[ernardi], episcopi Magalonensis, hanc

---

(1) Cart.: *Muris Veteriis.*

publicationem scripsit, et signum suum apposuit; et ut omnia prescripta majorem obtineant firmitatem, dominus B[ernardus], Dei gratia Magalonensis episcopus, presentem cartam bulle sue plumbee munimine communiri precepit.

(Reg. C, fol. 198 v°).

CCCLXIV. — 5 novembre 1218

Quittance de 11.000 sols, sur 12.000 qu'il doit, faite à Bernard de Mèze par les tuteurs des enfants de Raimond de Saint-Firmin.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Sit clarum et manifestum omnibus hec audientibus seu legentibus, quod talis compositio facta fuit inter dominum B[ernardum], Dei gratia Magalonensem episcopum, ex una parte; et Petrum Guillelmum de Sancto Firmino, et Gaucerandum, fratrem ejus, et Bertrandum Monachum pro se et Navarre fratre suo, tutores testamentarii (1) infantum quondam Raymundi de Sancto Firmino militis, ex altera: videlicet quod jam dicti tutores liberaverunt et absolverunt dominum episcopum predictum, et omnes successores, et res comitatus Melgorii et episcopatus Magalonensis, ab omni petitione, prosecutione, actione quam facere, movere, intentare poterant contra predictum dominum episcopum et res comitatus Melgorii et episcopatus Magalonensis, nomine pupillorum predictorum, pro debito seu occasione duodecim milium solidorum melgoriensium, in quibus dominus de Altiniaco, bone memorie condam episcopus, se obligaverat prelibato Raymundo de Sancto Firmino quondam, et eidem Raymundo castrum Melgorii supposuerat pignori pro jam dicta pecunia (2).

Item predicti tutores proclamaverunt quitum, nomine dictorum pupillorum, dominum episcopum predictum, et omnes successores suos, et res comitatus Melgorii et episcopatus

(1) Cart.: *testamentario*.
(2) Voir ci-dessus cet acte, T. II, p. 151.

Magalonensis; et se per contentos et per paccatos tenuerunt, nomine predictorum pupillorum, de tota suprascripta pecunia; et, pro hac absolucione et liberatione, dominus B[ernardus], episcopus supradictus, dedit et solvit plenarie, nomine predictorum liberorum quondam R. de Sancto Firmino, undecim milia solidorum melgoriensium Bertrando (1) Monacho pro se et pro Navarre fratre suo, Petro Guillelmo de Sancto Firmino et Gaucerando fratri ejus, tutoribus testamentariis liberorum quondam Raymundi de Sancto Firmino, militis; quos undecim milia solidorum Bertrandus Monachus, pro se et Navarre fratre suo, et Petrus Guillelmi de Sancto Firmino, et Gaucerandus frater ejus, tutores predicti, cognoverunt in veritate se habuisse et recepisse, nomine supradictorum pupillorum, plenarie; et dictos XI milia solidorum melgoriensium acceptos tulerunt, in quibus undecim milia solidorum melgoriensium ex certa scientia, renunciaverunt exceptioni non numerate et non solute peccunie.

Preterea domina Guillelma, uxor quondam predicti Raymundi de Sancto Firmino, liberavit et absolvit prefatum dominum B[ernardum], episcopum Magalonensem, et res comitatus Melgorii et episcopatus Magalonensis, ab omni actione, petitione, prosecutione quam movere, facere, intentare poterat contra prefatum dominum episcopum, et res comitatus Melgorii et episcopatus Magalonensis, nomine dotis sue; et specialiter remisit omne jus hypothece quod sibi competit, seu competebat, in rebus supradictis ratione dotis, seu quolibet alio modo; et hanc absolutionem et liberationem se observaturam, et contra non venturam, predicta domina Guillelma juravit, corporaliter tactis sacrosanctis Dei evangeliis; sub eodem sacramento renuncians minori etati, et omni alii juris auxilio et beneficio, quo se juvare posset.

Preterea dominus B[ernardus], episcopus prelibatus, liberavit et absolvit heredes predicti Raimundi de Sancto Firmino, et tutores eorum, et res eorumdem, ab omni actione, petitione, prosecutione quam facere, movere, intentare poterat, occasione

---

(1) *Bmudo*, surmonté d'un trait: ce serait plutôt *Bermundo*.

fructuum, obventionum, reddituum castri de Melgorio, et omnium rerum, ad ipsum castrum pertinencium, perceptorum ab iis, vel ab alio nomine eorum, ab eo die quo castrum Melgorii fuit obligatum prefato condam Raymundo de Sancto Firmino a domino G[uillelmo] de Altiniaco, quondam episcopo Magalonensi, usque ad proximum festum beati Luce evangeliste.

Item sepedictus B[ernardus], episcopus Magalonensis, liberavit et absolvit dictos heredes condam R. de Sancto Firmino, et tutores eorum, et res eorumdem ab omni actione, petitione, prosecutione, quam habet, vel habere poterat seu debebat (1) eo quod predia rustica seu edificia castri de Melgorio, eorum negligencia, pejora facta fuerant usque ad diem suprascriptam. Liberavit etiam dominus episcopus B[ernardus] et absolvit heredes sepedicti R. de Sancto Firmino, et tutores eorum, et res eorumdem ab omni actione, petitione, prosecutione quam ipse dominus episcopus predictus facere, movere, intentare poterat contra dictos heredes prefati R. de Sancto Firmino, et tutores eorumdem, nomine obventionum, reddituum, fructuum perceptorum ab ipso Raymundo de Sancto Firmino condam, seu auctoribus dictorum heredum, seu ab alio nomine eorum, occasione bailie castri Melgorii, concesse quondam Raimundo de Sancto Firmino predicto a domino G[uillelmo], quondam episcopo Magalonensi predicto, seu occasione pignoris.

Omnia suprascripta et singula laudaverunt, et confirmaverunt, et rata habuerunt dominus B[ernardus], episcopus predictus, et prenominati tutores Bertrandus Monachus pro se et pro Navarre fratre suo, et Guillelmus de Sancto Firmino, et Petrus Guillelmi, et Gaucerandus frater ejus, et predicta domina Guillelma, uxor quondam dicti R. de Sancto Firmino.

Acta fuerunt hec et laudata in domo Sancti Spiritus de Montepessulano, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo octavo decimo, nonis novembris, in presencia et testimonio P. Belloni canonici, R. Besceda, G. de Rippa, Guiraldi Beceda,

---

(1) Cart.: *debeat.*

et Randaniol, et P. de Mezoa, et Bermundi fratris ejus, R. de Melgorio, R. Seguini militum, et R. Benedicti, Johannis de Ramis, Poncii de Avialone, G. Dionisii, G. Raynaudi, B. Mercaderii, et G. Aymerici publici notarii, qui mandato parcium hec scripsit.

(Reg. A, fol. 194 v°).

CCCLXV. — 23 décembre 1218

Honorius III blâme l'évêque de Maguelone, qui n'a pas encore accordé aux Trinitaires un oratoire et un cimetière à Montpellier.

(Reg. E, fol. 153 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, T. II, p. 30.

CCCLXVI. — 12 février 1218 (n. s. 1219)

Échange entre Bernard de Mèze et Bernard Engelric.

Manifestum sit presentibus et futuris convenienciam et pausamentum esse factum inter dominum B[ernardum], Dei gratia Magalonensem episcopum, ex una parte : et Bernardum Engelricum, ex altera, in hunc modum ; videlicet quod nos B[ernardus], Dei gratia Magalonensis episcopus,... concedimus tibi Bernardo Engelrico, et tuis, et quibuscumque volueritis vel concesseritis, sine aliqua retentione nostra, duas pecias terre ad *Monteletz*, liberas et absolutas ab omni quarto et ab omni alio honere (1) ; quarum una confrontatur a circio cum via qua itur ad Figueriam, et a corina cum parte vestra, et a vento cum terra Guillelmi Andree, ab aquilone cum terra infantum quondam Benedicti ; altera pecia confrontatur a circio [et] ab aquilone cum pecia vestra, et ex altera parte aquilonis cum terra infantum quondam Benedicti, et a vento cum heremo, a corina cum terra infantum quondam Girardi Codonis.

(1) Cart.: *honore*.

Et inter istas duas pecias est una pecia terre, que ex hac conveniencia et pausamento est vobis assignata.

Totum jus vero quod nomine quarti, vel alio quolibet modo, in predictis duabus peciis habemus, totum tibi dicto Bernardo Engelrico et tuis... imperpetuum desemparamus.

Et ego Bernardus Engelrici... vobis domino B[ernardo], Dei gratia Magalonensi episcopo, et quibuscumque volueritis, vel concesseritis, sine aliqua retencione mea, totam prefatam peciam terre que est inter prefatas duas pecias, sicut terminata est; et totum jus quod in dicta pecia habebam, vobis domino episcopo et successoribus vestris solvo... promittens quod dictam peciam terre faciam vos et vestros successores habere sine aliquo usatico.

Hec omnia et singula nos B[ernardus], Dei gratia Magalonensis episcopus, per nos et per omnes successores nostros, et ego Bernardus Engelricus, per me et per meos, ad invicem laudamus et confirmamus.

Acta sunt hec anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo octavo decimo, pridie idus februarii, in presencia et testimonio Raimundi de Lundris, Raimundi Brunenc, Petri Ademari, Guillelmi de Tribus viis, et Johannis Bedocii notarii publici, qui hec rogatus scripsit.

(Reg. E, fol. 162 v°).

CCCLXVII. — 21 mai 1219

Honorius III constate que l'évêché de Maguelone est chargé de dettes, à cause de l'achat du comté de Melgueil, et suggère les moyens à employer pour les éteindre.

(Reg. F, fol. 20 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. I, p. 42.

CCCLXVIII. — Juin 1219

Vente d'un moulin situé sur le Salaison.

Anno Dominice Incarnationis M°CC°X°VIII°, mense junii, ego Bertrandus de Pomayrolis... vendo... tibi Poncio Blancherio, G. uxori tue, et vestris, et quibuscumque volueritis, ad omnes voluntates... exceptis... salvo tamen dominio, et consilio, et usatico, et omni jure Gaudalmaro de Sancto Damiano et suis, videlicet quoddam mollendinum cum edificiis, introitibus, et exitibus, et ripis, ripaticis, et cum suis aquis et aquarum cursibus, et cum omnibus pertinenciis suis, quod est in riperia Salaronis, juxta honorem prefati Gaudelmari.

Pro hac autem vendicione... habui et recepi a vobis, nomine precii, CCL solidos melgorienses, quorum penes vos nichil ad solvendum remansit; et, in hiis CCL solidis predictis, excepcioni non numerate peccunie renuncio; et si plus dicto precio valet... illud totum vobis dono.

Vos autem et vestri dabitis inde prefato Gaudalmaro et suis annuatim, in festo sancti Michaelis, XII denarios melgorienses nomine usatici et census; et vos et vestri debetis mollendinum predictum semper tenere munitum et paratum, sine predicti Gaudalmari expensis; sed ipse Gaudalmarus debet mittere semper medietatem in vercheriis et in aqualibus, inferius et superius, ab utraque parte; et in pontibus similiter debet dimidiam mittere.

Et vos et vestri debetis semper habere in unaquaque ebdomada unum sextarium (1) bladi de molnaria, et farinam et omnem remoltam; et de hoc toto quod dictus mollendinus fuerit lucratus, deducto predicto sextario et farina [et] remolta prescripta, dictus Gaudalmarus habebit totam dimidiam, et vos aliam.

Et vobis stipulantibus promitto quod contra hanc vendicionem... non veniam... et si quid in aliquo modo ablatum...

(1) Cart.: *starium.*

totum vobis jure restituemus... et Poncio Eldino filio meo faciam observari ; et hec omnia et singula, per hec sancta Dei evangelia, fideliter observabo, et omnia bona mea in vobis obligo ; et si aliquo jure... me juvare possem, illi juri prorsus renuncio.

Et ego Guillelma, uxor predicti Bertrandi de Pomayrolo, renuncians ypothece, et pignori, et omni juri michi in hac parte suffraganti, dictam vendicionem, et omnia (*déchirure 7 cent.*) nunquam veniam per hec sancta Dei evangelia. Et ego pre (*déchirure 6 cent. 1/2*) miano dictam vendicionem et omnia prescripta laudo et conf (*déchirure 6 cent.*) dictum precium L solidorum melgoriensium, nomine laudimii et consilii.

Testes (*déchirure 5 cent.*) B. Mercaderius, Johannes Pelatus, Johannes Mauricius, et B. frater ejus, Stephanus (*déchirure 3 cent.*) rus Carbonelli, notarius Melgorii, qui hec scripsit.

Anno Dominice Incarn[ationis M]CCXXI, mense februarii, ego Guillelma, mater predicti Gaudalmari, et ego Petrus de (*déchirure 1 cent.*) ciis, ejus vir, nos duo insimul, predictam vendicionem, et omnia prescripta laudamus et confirmamus, et habuimus inde a te Poncio Blancherio XXIIII solidos nomine laudimii.

Testes sunt B. Mercaderius, R. Lautardus, Vesianus de Mijolano (1), et Petrus Carbonelli notarius, qui hec scripsit.

(Reg. A, fol. 290 r°).

CCCLXIX. — 20 octobre 1219

Guillemette, veuve de Raimond de Saint-Firmin, donne quittance à l'évêque de la somme de 3.000 sols.

Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo nono decimo, tercio decimo kalendas novembris, ego Guillelma, uxor quondam Raimundi de Sancto Firmino, scio... quod vos dominus B[ernardus], Dei gratia Magalonensis episcopus,

---

(1) Cart.: *Mijalone*.

comes Melgorii ac Montisferrandi, specialiter dedistis et ministrastis michi tria milia solidorum melgoriensium que michi debebatis, sicut continetur in instrumento publico, facto per manum Willelmi Aymerici notarii, quod vobis reddo ; que quidem tria milia solidorum michi solvere promisistis, pro dote mea, mandato gadiatorum dicti Raimundi de Sancto Firmino ; que quidem tria milia solidorum melgoriensium predicta a vobis bene plenarie habui et recepi, ita quod nichil penes vos remansit in debito ; in quibus ex certa sciencia excepcioni non numerate peccunie et non solute dotis penitus renuncio ; de quibus tribus milibus solidis melgoriensibus, et de omni petitione, si quam pro illi facere vel movere possem, vos et omnes successores vestros et omnes res Magalonensis episcopatus et comitatus Melgorii presentes et futuras, et omnes illos, qui pro dicta peccunia michi tenebantur, et omnes res suas, per me et per omnes successores meos, imperpetuum absolvo, et libero et prorsus quittos reddo ; et exinde bonum finem, plenam absolutionem, liberationem, refutationem et speciale pactum de non agendo vobis et successoribus vestris imperpetuum facio.

Universa supradicta... plenarie tenebo... super sancta Dei evangelia, corporaliter tacta, vobis juro.

Testes sunt Firminus [de] Conchis, prior de Monte Arbedone, R. de Mezoa, G. de Rochafixa, canonici Magalonenses, R. de Montiniaco, P. Siguerius de Moneta miles, B. Mercaderii, et Guillelmus Aimerici, publicus notarius, qui, mandato parcium, hec scripsit, et signum suum apposuit.

(Reg. A, fol 250 v°).

CCCLXX. — 23 décembre 1219

Bernard de Mèze met à gage le château de Melgueil, excepté la monnaie.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Anno Incarnationis ejusdem millesimo ducentesimo nono decimo, decimo kalendas

januarii, sit notum et manifestum omnibus hec audientibus seu legentibus, quod nos Bernardus, Dei gratia Magalonensis episcopus, comes Melgorii et Montisferrandi, ob evidentem necessitatem et utilitatem Ecclesie Magalonensis et comitatus Melgorii, necnon et castri Melgorii, comendamus et tradimus, nomine bailie, vobis Guillelmo de Altovilari et Raimundo de Marges, militibus nostris, castrum Melgorii, et fructus, et obventiones, et redditus, quos modo ibi libere percepimus (1), excepta moneta, et omni encorensa, ad custodiendum illud pro nobis, et tuendum, et defendendum, et fideliter illesum conservandum (2) ab omnibus inimicis, et pugnatoribus, et violatoribus pacis et Ecclesie, et negotii Jhesu Christi, et generaliter ab omnibus inimicis nostris, ad utilitatem Magalonensis Ecclesie et nostram, et nostrorum successorum:

Tali videlicet pacto et conditione, ut vos restituatis nobis, vel successoribus nostris, vel certo nostro nuncio, dictum castrum Melgorii illesum et integrum, quandocumque nos a vobis petierimus, seu recuperari voluerimus dictum castrum Melgorii, absque omni mora, et dilatione, et contradictione aliqua; et quod eritis nobis, et successoribus nostris, et Ecclesie Magalonensi, fideles in hiis et aliis omnibus ad utilitatem nostram, et honestatem, et Ecclesie Magalonensis: et quicquid ibi (3) justum feceritis, nomine nostro facietis.

Et pro perceptione fructuum, obventionum et reddituum dicti castri, excepta moneta, et omni encorensa, dabitis nobis seu successoribus nostris, a proximo Natali Domini venienti usque ad unum annum, duo milia solidorum Melgorii, per tempora infrascripta, videlicet in primo venturo festo sancti Egidii mille solidos Melgorii, et in festo Omnium Sanctorum sequenti proximo residuos mille solidos Melgorii, vel argentum finum, ad rationem marche L solidorum, si hec moneta Melgorii tunc fuerit abatuda seu deteriorata.

Preterea si vobis placuerit et utile vobis visum fuerit, et Ecclesie Magalonensi, non poteritis nos compellere, vel suc-

(1) Cart.: *precipimus*.
(2) Cart.: *conserrandam*.
(3) Cart.: *tibi*.

cessores nostros, infra dictum annum ad recipiendum dictum castrum Melgorii, nisi de expressa voluntate nostra hoc fuerit; et expensas omnes de vestro proprio facietis, que erunt necessarie in custodia dicti castri Melgorii per totum annum supradictum ; et fructus, et redditus, et obventiones omnes dicti castri, quos inde perceperitis per totum dictum annum, vestros proprios, excepta moneta et omni encorensa ; et restituetis nobis seu successoribus nostris, vel nostro certo nuncio, illesum et integrum dictum castrum Melgorii, in statu in quo modo est, et a nobis receperitis, liberum et absolutum ab omni obligatione et impedimento aliquo, et agriculturam, et eciam superlectilia, sicut modo a nobis recipitis.

Et ego Guillelmus de Altovilari et ego Raimundus de Margis, nos ambo, milites castri Melgorii, bona fide et omni absque fraude et omni malo ingenio, recipimus a vobis domino Bernardo, Dei gratia Magalonensi episcopo, comite Melgorii et Montisferrandi, dictum castrum Melgorii, ea conditione et pacto, quo supra dictum est; et promittimus per stipulationem nos esse fideles in omnibus et singulis supradictis, vobis domino Bernardo, episcopo predicto, et successoribus vestris.

Promittimus etiam vobis, bona fide et absque omni fraude et omni malo ingenio, quod nos dictum castrum Melgorii fideliter servabimus, et custodiemus, et defendemus ab omnibus inimicis pacis et fidei et Ecclesie, et generaliter ab omnibus inimicis vestris, ad utilitatem Magalonensis Ecclesie, et vestram, et vestrorum successorum, expensis nostris propriis; et quod absque omni mora, et dilatione, et contradictione aliqua restituemus vobis vel successoribus vestris, vel vestro certo nuncio, castrum Melgorii illesum et integrum, in eo statu in quo modo est, liberum et absolutum ab omni obligatione et impedimento aliquo, quandocumque volueritis, non obstante pacto, seu conditione aliqua inter nos habita, et agriculturam, et etiam superlectilia, sicut modo a vobis recipimus.

Preterea volumus et concedimus quod nos, vel aliquis nomine nostro, non possimus vos, seu successores vestros, compellere, ut castrum predictum infra memoratum tempus recipiatis, nisi de voluntate vestra expressa hoc fuerit.

Item promittimus vobis [et] successoribus vestris, quod nos non fecimus, nec diximus, nec in futurum dicemus vel faciemus, quominus omnia supradicta et singula bona fide et fideliter a nobis custodiantur et observentur, et absque omni fraude integre adimpleantur.

Hec omnia supradicta et singula fideliter et bona fide tenebimus, et observabimus, et custodiemus, ad commodum et utilitatem Magalonensis Ecclesie, et vestram, et successorum vestrorum et nunquam contraveniemus, nec aliqua arte, vel ingenio nostro. Sic Deus nos adjuvet, et hec sancta Dei evangelia a nobis corporaliter tacta.

Et pro hiis omnibus supradictis et singulis complendis, et inviolabiliter observandis, obligaverunt se et omnia bona sua, sub juramento corporaliter prestito, mandato predictorum Guillelmi de Altovilari et Raimundi de Marges, Petrus Almeradi, Raterius, milites, Petrus Carbonelli notarius, Johannes de Sancto Bricio, Bonafos Guiraudi, Bertrandus Gadalmarus, Poncius Almeradi, Poncius Gastonus, Johannes Andree de Melgorio, Guiraudus Grailla, Guillelmus de Ballanicis, Guido de Senaras, Buxus de Villanova, Raimundus Rostangni, Poncius de Nemauso, Johannes Ferraderius, Marchisius, Petrus Massotus, Petrus de Curte, Petrus Batejatus, Guillelmus Bailia, et Bernardus Maillanus, quisque in solidum promiserunt in eodem sacramento se, fideliter et bona fide, habere curam et cautelam, ut omnia suprascripta et singula custodiantur et observentur, et inviolabiliter adimpleantur, ad utilitatem dicti domini episcopi et successorum suorum, et Ecclesie Magalonensis; promittentes etiam, sub eodem juramento, quod in omnibus suprascriptis et singulis fideles existant dicto domino episcopo et successoribus suis, sine omni dolo et fraude.

Horum omnium sunt testes Raimundus de Lundris, operarius Magalonensis, Raimundus de Mesoa, prior de Veruna, Bermundus, prior ecclesie Sancte Marie de Melgorio, Guillelmus de Rocafixa, prior de Muroveteri, G. Baudilii, G. Ermengau, canonici Magalonenses; Philippus Rocelli, B. de Mezoa scutifer, G. de Gironda, B. de Elemosina, P. Raimundi miles,

et alii, et Guillelmus Americi, notarius publicus Montispessulani, qui mandato partium hec scripsit.

Post hec eodem anno quo supra, videlicet nono kalendas januarii, pro hiis omnibus supradictis et singulis complendis et inviolabiliter observandis, ut dictum est, obligaverunt se et omnia bona sub juramento corporaliter prestito, mandato dictorum Guillelmi de Alto vilari et R. de Marges, Petrus de Tereilleriis, Berengarius de Caslario, Poncius Bernardi, Petrus Sigarius de Moneta milites, R. Otho, Petrus de Alto vilari, Guillelmus Macellarius, Raymundus Bidocius, Petrus Bernardi, Oliverius, Petrus Augerius, Guillelmus Cerra, Raymundus Saumada, Bernardus Goirannus, Poncius Clemens major, Rostagnus Aldeberti, quisque in solidum, et Bertrandus Oliva de omnibus supradictis et singulis, excepta pecunia suprascripta, et promiserunt in eodem sacramento se fideliter et bona fide habere curam et cautelam, ut omnia suprascripta et singula custodiantur, *etc.* (*ut supra, avant-dernier paragraphe*) *jusqu'à :* dolo et fraude.

Testes sunt Raymundus de Lundris operarius Magalonensis, Bermundus prior ecclesie Sancte Marie de Melgorio, G. Ermengavus canonici, P. Carbonellus, et alii, et Guillelmus Aymerici, notarius publicus Montispessulani, qui rogatus hec scripsit.

Post hec eodem anno quo supra, videlicet sexto kalendas januarii, pro hiis omnibus supradictis et singulis tenendis et inviolabiliter observandis, ut dictum est, mandato Guillelmi de Alto vilari predicti, obligaverunt se et omnia bona sua sub juramento corporali prestito, Raimundus Seguini, Bermundus de Vezenobrio milites, B. Mercaderii, G. de Teisseriis, Raymundus de Balma, Petrus Silvestris, et Gunterius, Guiraldus, Vitelli de mari, Poncius Calcadelli, Poncius Clemens junior, Petrus Corvianus, Berengarius Barbas, Guillelmus Textutus, Borius, Ugo Mora, Bertrandus de Ponze, Bernardus Fornerius, Poncius Lauravus, Saulus de Petrafixa, Poncius Botacava, Raymundus de Alba terra, Guillelmus Botacava, Petrus de Obilionibus, Bernardus Pellicerius, Guitfredus, Poncius de

Figueria, Guillelmus Textor, Petrus Bonus ecclesiasticus, R. de Laz. et Petrus Barnerius, et Petrus Marcelli, quisque in solidum, et promiserunt in eodem sacramento se fideliter, *etc.* (*ut supra*) *jusqu'à :* dolo et fraude.

Testes sunt R. de Lundris, B. prior ecclesie Sancte Marie de Melgorio, G. Ermengavus canonici, et alii, et Guillelmus Aymerici notarius.

Post hec eodem anno quo supra, quarto kalendas januarii, pro hiis omnibus supradictis et singulis tenendis et inviolabiliter observandis, ut dictum est, obligaverunt se et omnia bona sua, sub juramento corporali prestito, mandato Guillelmi de Altovilari prefati, quisque in solidum, Bertrandus Monachus, Petrus de Boisseriis milites, Guillelmus Augerius, Gaudalmarus, Dolorie, Bt. Gibelinius, Raimundus Lautardi, Guillelmus de Insula, Petrus Guiraudi, Bernardus Longus, Petrus Rutla, Raimundus Midol, Constancius Sabtes, Petrus Longus, Pontius Vitelli filius condam Raymundi Guillelmi, Pomerius et Poncius de la Brezinis, et promiserunt in eodem sacramento se fideliter, *etc.* (*ut supra*) *jusqu'à :* dolo et fraude.

Horum omnium testes sunt Raymundus de Lundris, operarius Magalonensis, P. Almeradi, P. Carbonelli notarius, et alii multi, et Guillelmus Aymerici, publicus notarius Montispessulani, qui hec scripsit mandato et precibus omnium prescriptorum, et signum suum apposuit.

(Reg. A, fol. 192 r°; édité en partie dans *Arnaud de Verdale*, p. 216)

Cet acte montre le désarroi dans lequel se trouvaient les finances de l'évêque à cette époque. C'était une violation de l'acte d'inféodation (Cf. *Bullaire de Maguelone*, t. I, p. 365). Les châteaux de Melgueil et de Montferrand ne pouvaient être inféodés à personne l'évêque ne pouvait inféoder ou mettre à gage que les fiefs de moindre importance.

CCCLXXI. — 16 février 1219 (n. s. 1220)

Guillaume de Roquefiche, prieur de Murviel, donne à acapte le four de cette paroisse.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Anno Incarnationis ejusdem millesimo ducentesimo nono decimo, quarto decimo kalendas marcii, ego Guillelmus de Rochafixa, prior ecclesie Sancti Johannis de Muroveteri, cum consilio domini Bernardi, Dei gratia Magalonensis episcopi, ac etiam cum consilio quorumdam jurisperitorum... dono... jure acapiti tibi Petro de Puteo et tuis ad omnes voluntates tuas... cum consilio tamen meo et meorum successorum, videlicet totum furnum illum quem habeo edificatum in villa de Muroveteri, cum omnibus suis pertinenciis et adjacenciis, et cum omnibus illis que ad dictum furnum pertinent, seu aliquo modo pertinent, seu pertinere videntur; et, si forte contingeret quod dictus furnus dirueretur, quod tu possis illum edificare et construere tua propria auctoritate, et etiam tui, sine contradictione alicujus.

Et dictus furnus confrontatur ex una parte cum domibus Poncii de Marssano, et ex alia cum domo Guillelmi de Castello, et ex alia cum carreria publica; et volo et concedo tibi, et tuis infantibus, et vestris, per me et per omnes successores meos, quod possitis sine omni contradictione coquere panem vestrum (1), et omnium illorum qui in ipso furno panem suum coquere (2) voluerunt, vestra propria auctoritate.

Et propter hanc autem donationem et traditionem predictam dedisti et persolvisti michi, nomine acapiti, duodecim solidos melgorienses, quos a te plenarie habui et recepi; in quibus renuncio exceptioni non numerate et non tradite pecunie, et accapiti non recepti (3); et pro hoc furno dabis annuatim tu et tui michi et meis successoribus, in festo sancti Michaelis, I denarium pro usatico. Predictum autem furnum,

(1) Cart.: *conquere partem vestram*.
(2) Cart.: *conquere*.
(3) Cart.: *recepi*.

cum omnibus suis pertinenciis et adjacenciis, faciam tibi et tuis semper habere et tenere quiete, et ab omni contradicente jure defendam ego et mei successores ; et pro eviccione obligo tibi et tuis me et omnia bona dicte (1) ecclesie Sancti Johannis.

Testes sunt P. de Millanicis, G. Costa sacerdos, P. Burgondionis, Johannis Bochonus diaconus, et G. Aymerici publicus notarius, qui hec scripsit mandato parcium.

(Reg. C, fol. 176 r°).

CCCLXXII. — 22 mars 1219 n. s. 1220

Accord fait par Bernard de Mèze entre les prieurs de Saussines et de Boisseron.

In nomine Domini Jhesu Christi. Visis et auditis rationibus et allegationibus et attestationibus utriusque partis, habito prudentum consilio, super causa que vertitur inter Ugonem, priorem ecclesie de Boissazone, ab una parte, et Poncium priorem de Solcinis (2) ex altera, super decimas que percipiuntur, vel percipi possunt vel debent, in territorio quod dicitur a Rocha bona, et confrontatur dictum territorium ex una parte cum Venobia (3), et ex alia cum Rivas et ex alia cum Ruppe.

Cum dictus Ugo, prior de Boissazone, assereret decimas, que percipiuntur ex dicto loco, ad ecclesiam Sancti Laurencii pertinere, et Poncius, prior de Solcinis (4), assereret easdem decimas ad ecclesiam Sancti Stephani de Solcinis pertinere; de voluntate et assensu utriusque prioris dominus Bernardus, Magalonensis episcopus, assidente sibi Petro de Fisco jurisperito, statuendo inter eos amicabiliter, pronunciavit quod de decimis, que perciperentur ex dicto territorio, fiant quinque partes; et de illis quinque partibus ecclesia Sancti Stephani (5)

(1) Cart.: *dicente*.
(2) Cart.: *Solanis*.
(3) Cart.: Bénovie, affluent du Vidourle.
(4) Cart.: *Solanis*.
(5) Cart.: *Johannis*.

de Soleinis percipiat tres partes, et ecclesia Sancti Laurencii de Boissazone percipiat residuas duas partes.

Hec omnia predicta et singula uterque prior ad invicem, per se et per suos successores, et pro ecclesiis sibi commissis, laudaverunt, et confirmaverunt, et concesserunt, promittentes ad invicem, per se et successores suos, et pro ecclesiis sibi commissis, contra predicta in aliquo non venturos.

Acta fuerunt hec et laudata anno Dominice Incarnationis M CC° XVIIII°, undecimo kalendas aprilis, in presencia et testimonio Raymundi Girardi archipresbiteri, Paschalis, Gregorii, Bn. de Anduzia draperii, Rodulphi Peilla, Petri Martini sacerdotis, Berengarii Catalani clerici, B. Alamandi, et Guillelmi Aymerici, publici Montispessulani notarii, qui mandato dicti domini episcopi hec scripsit.

(Reg. A, fol. 290 v°).

CCCLXXIII. — 17 août 1220

Le légat Conrad donne des statuts à l'École de Médecine de Montpellier.

(Reg. D, fol. 187 r° et 344 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 49.

CCCLXXIV. — 12 novembre 1220

Reconnaissance faite à Bernard de Mèze par Guillaume Bertrand de tout ce qu'il possède à Villeneuve sous la directe de l'évêque.

Pateat presentibus et futuris quod anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo, pridie idus novembris, ego Guillelmus Bertrandi de Corcone... recognosco vobis domino B[ernardo], Dei gratia episcopo Magalonensi, quod ego habebam et tenebam ad feudum a vobis prefato domino, quamdam partem gardiarum vineti castri Villenove; et adhuc

habeo et teneo alios honores et alia jura que habeo in castro de Villanova et in ejus terminio, scilicet :

Guillelmus Textor habet et tenet IIII^or pecias terrarum in parrochia Sancti Stephani de Villanova : quarum una est ad *Bollidors*, et confrontatur a circio cum terra Petri de Valleta, a vento cum via publica, a corina cum terra Thomase, ab aquilone cum terra quondam Johannis Engelerii.

Et secunda pecia confrontatur ab aquilone cum terra Petri Militis et fratris ejus, a circio cum caupoleria.

Tercia pecia confrontatur ab aquilone cum terra Boneti de Podio, a circio cum terra Petri Militis.

Quarta pecia confrontatur ab aquilone cum terra Thomase, a circio cum terra Petri Eldini : et pro toto hoc donat michi duos denarios pro usatico.

Logresa, duas vineas et unam peciam terre : et una vinea confrontatur a circio cum vinea Bernardi de Monteanaco, a vento cum vinea Petri Serebaudi : et istam vineam habent et tenent Bernardus de Monteanaco et Raimundus Ortolanus.

Secunda vinea confrontatur ab aquilone cum Amanssone, a corina cum terra Petri de Valleta, carreria in medio.

Et dicta pecia confrontatur a corina cum via qua itur ad Exindrium, a vento et aquilone cum terra infantum quondam Ademari : et pro hiis omnibus donat quinque solidos.

Viguerius, duodecim denarios pro quodam planterio suo, quod confrontatur a circio cum Amanssone, ab aquilone cum planterio Sancti Petri, a vento cum terra Sancti Petri.

Stephanus Matfredi, sex pecias terrarum ; quarum una confrontatur a circio cum terra Daudeze, ab aquilone cum terra Maurellani, via in medio.

Secunda pecia confrontatur a vento cum terra Petri Militis, a corina cum terra Geraldi Codon.

Tertia pecia confrontatur ab aquilone cum terra Petri Militis, a vento cum terra Bonafos.

Quinta (*sic*) pecia confrontatur a circio cum terra Raimundi David, a vento cum terra Petri Militis.

Sexta pecia confrontatur a vento cum terra Guillelmi Textoris, a corina cum terra Bernardi Gremiani, et pro hiis

omnibus facit albergam uni militi cum *disnar*, et unam eiminam ordei.

Bertrandus Laurencii facit albergam tribus militibus cum *disnar*, et unum sextarium ordei, pro quadam pecia terre, que confrontatur ab aquilone cum via qua itur ad Exindrium, a vento cum terra quondam Assolti.

Poncius Botini, duodecim denarios pro quadam vinea, que confrontatur ab aquilone cum via publica qua itur ad pontem Amansonis, et a corina cum via qua itur ad Costambellam.

Bertrandus de Galazanicis, tres denarios pro quodam pecia terre, que confrontatur ab aquilone cum via qua itur ad Exindrium, a circio cum caupoleria de camino Salvares.

Raimundus Bota, tres pecias terrarum, quarum una confrontatur a circio cum terra Johannis Militis, a vento cum terra Bonafos Enguelrigue.

Secunda pecia confrontatur a vento cum terra Raimundi de Gradu, a circio cum terra Malfredi.

Tercia pecia confrontatur a circio cum terra Bonafos Enguelrigue, a corina cum terra Boneti de Podio, carreria in medio; et pro hiis omnibus donat pro usatico duos denarios.

Petrus Miles, quinque pecias terrarum, quarum una confrontatur a vento cum via qua itur ad locum qui vocatur Sancti Salvatoris, a corina cum terra Raimundi Stephani.

Secunda confrontatur a circio cum terra Gremianorum, via in medio, a vento cum terra Engelricorum.

Tercia confrontatur ab aquilone cum terra uxoris quondam Bernardi Rainardi, a circio cum heremo Boneti de Podio.

Quarta pecia confrontatur ab aquilone cum terra Enguelrici, a circio cum terra Gremianorum.

Quinta est quedam pecia vinee que confrontatur a vento cum terra sacriste Magalonensis, a corina cum terra Ermeniarde Exindrie.

Et unam peciam terre hereme, que confrontatur a circio cum vinea quondam Berengarii de Sobeyras, a corina cum terra Geraldi Codon ; et pro hiis omnibus donat quatuor denarios pro usatico.

Item Petrus Miles habet et tenet unum stare in castro

Villenove, quod confrontatur a circio et aquilone cum viis publicis ; et donat pro usatico sex denarios.

Raimundus Boca, unam peciam terre, que confrontatur ab aquilone cum terra Stephani Matfredi, a corina cum terra Bernardi Gremiani, et donat pro usatico duos denarios.

Et Raimundus Barbatorta, unum locale ad feudum, quod confrontatur a vento cum muro castri Villenove, a corina cum via publica qua itur ad portale novum.

Et totum feudum Raimundi de Salviniaco Claudi, et omnia alia jura mea que habeo et habere debeo, qualiacumque et ubicumque sint, in toto terminio Villenove sive in parrochiis Sancti Stephani de Villanova et beate Marie Magdalene de Exindrio.

Et pro toto hoc feudo faciebam vobis, et de presenti facio hominium et fidelitatem, et singulis annis albergam trium militum cum civata et *disnar* in crastinum.

Et quia, voluntate vestra, communitati Villenove vendidi, precio ducentorum solidorum, de hoc feudo predictam partem gardiarum, loco illius partis dono, pono et confirmo... vobis, prefato domino et successoribus vestris, scilicet hunc honorem infrascriptum, quem ego et Garsanda, uxor mea, habemus et tenemus in castro Villenove et in ejus terminio ; quem honorem habet et tenet Raimundus de Gradu, duas pecias terre in parrochia Sancti Stephani de Villanova ;

Quarum una confrontatur a vento cum prato ejusdem Raimundi, a circio cum terra Bertrandi Thome.

Alia pecia confrontatur a vento cum planterio Bernardi de Sancto Genesio, a circio cum terra Petri de Valleta ;

Et pro istis terris donat nobis pro usatico decem denarios et unam eiminam ordei.

Bernardus de Salvano tenet unam peciam vinee in Costabella, que est in parrochia de Exindrio, et confrontatur a vento cum camino, a corina cum vinea Petri Bertrandi, a circio cum planterio Pauli Babot ; et donat quatuor denarios pro usatico.

Paulus Babot, unam peciam vinee in Costabella, que est in parrochia de Exindrio ; et confrontatur a vento cum vinea Bernardi de Salvano, a circio cum vinea Villarelli ; et donat pro usatico unum sextarium ordei.

Joanninus, unam peciam vinee ad Costam Bellam, in parrochia de Exindrio; et confrontatur a circio cum vinea Stephani Maffredi, a vento cum camino; et donat sex denarios pro usatico.

Villarella, unam peciam vinee ad Costam Bellam, que est in parrochia de Exindrio; et confrontatur a vento cum camino, a circio cum garriga; et donat pro usatico quatuor sextarios ordei.

Bertrandus de Maurino, unam vineam ad Costambellam in parrochia de Exindrio; et confrontatur a circio cum garriga; et donat pro usatico duos sextarios ordei.

Petrus de Flexio, unam peciam vinee ad Costambellam, in parrochia de Exindrio; et confrontatur a vento cum camino, a circio cum vinea Bertrandi de Maurino; et donat quatuor denarios pro usatico.

Filia Sicardi, unam vineam ad Costam bellam, in parrochia de Exindrio; et confrontatur a circio cum vinea Hospitalis, a vento cum camino; et donat pro usatico unum sextarium ordei.

Hospitalis, unam vineam ad Costambellam, in parrochia de Exindrio; et confrontatur a circio cum garriga, a vento cum camino; et donat pro usatico tres denarios.

Bernardus Ochor, unam vineam in parrochia de Exindrio; et confrontatur a circio cum camino, et a vento cum caupoleria; et donat pro usatico unum sextarium ordei.

Regina, unam parranam in parrochia de Exindrio, que confrontatur a circio cum parrana Hospitalis, a corina cum parrana Pontii de Columbis; et donat pro usatico unam eiminam ordei.

Stephanus de Sancta Maria, unam parranam in parrochia de Exindrio; et confrontatur ab aquilone cum stagneolo, a corina cum parrana sua; et donat pro usatico duos denarios.

Berengarius de Cabreria, unam peciam terre in eadem parrochia; et confrontatur a circio cum garriga, a vento cum camino; et donat quatuor denarios.

Rufus Faber, unam terram in eadem parrochia; et confrontatur a vento cum camino, ab aquilone cum terra Revellorum; et donat tres denarios.

Bernardus Quintini, unam vineam in eadem parrochia; et confrontatur a vento cum planterio Ugue de Cesana, ab aquilone cum planterio Johannis Recoton; et donat unum sextarium ordei.

Que omnia ista erant proprii alodii mei et Garsie uxoris mee, et propria alodia ipsius uxoris et mei esse fateor sine omni dominio et servicio alicujus persone.

Et prefatum hominium, et fidelitatem, prefatum albergum cum predicto *disnar* et civata, super totum hunc honorem, et super omnia servicia, et usatica, dominia, laudimia, et consilia, que in prefatis honoribus, vel pro predictis, habeo vel habere debeo, vobis et vestris successoribus obligo... et recognosco cum hac carta quod si vos, domine, sive successores vestri, aliquo tempore inveneritis, ita quod legitime posset probari me a vobis tenere predictos honores seu servicia, vel usatica, que pro ipsis alodiis habeo vel habere debeo; que omnia vobis suppono et obligo.

Promitto vobis domino stipulanti, quod ego prefatos ducentos solidos melgorienses mittam in honorem alodii liberi ad vestram vestrorumque successorum commonicionem et cognicionem. Et de hiis omnibus et singulis, et pro evictione, obligo me et omnia bona mea, et specialiter totum predictum feudum: et hec omnia me tenere et contra non venire, tactis sacrosanctis evangeliis Dei, juro.

Acta sunt hec omnia anno et die quo supra, in presencia et testimonio Ugonis archipresbiteri Magalonensis, Geraldi de Cocone prioris de Cornone, Guillelmi de Tribus Viis, Petri Buxi, Philippi Vedel, Bernardi de Mesoa, nepotis domini episcopi, Guillelmi de Girunda capellani Sancti Michaelis, et Johannis Bedocii notarii publici, qui hec, rogatus a partibus, scripsit.

(Reg. F, fol. 122 r°).

CCCLXXV. 13 avril 1221

Philippe de Lavérune donne à acapte quatre sols de Melgueil qu'il a sur certaines terres sises à Gigean.

In nomine Domini. Anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo vicesimo primo, ydibus aprilis, ego Philippus de Veiruna... concedo jure accapiti tibi Poncio Poma, et tuis, et quibus volueris, vel dimiseris, ad omnes voluntates tuas... exceptis... cum consilio tamen meo vel meorum, scilicet quatuor solidos melgorienses censuales, et consilium, dominium, usaticum, et servicium, et quicquid juris habeo, et habere possum vel debeo, super quibusdam terris que sunt in decimaria Sancti Genesii de Gijano (1); de quibus terris prefatis tenet et habet Petrus de Puteo tres pecias, nomine accapiti, pro quibus donat annuatim VIII denarios melgorienses.

Quarum una confrontatur ex una parte cum honore tui ipsius Poncii Poma, et ex alia cum strata Beati Jacobi.

Secunda pecia confrontatur ex una parte cum honore Guillelmi de Cornone, et ex alia cum terra Guarsendis de *Prades*.

Tercia pecia terre confrontatur ex una parte cum vinea Petri Catalani, et ex alia cum via que tendit de Gijano apud Divisons.

Item habet et tenet de predictis terris Petrus Rainulphi unam peciam terre, pro qua donat, singulis annis, pro usatico II denarios; confrontatur ex una parte cum terra Petri de Puteo, et ex alia cum via que tendit apud Divisons.

Similiter de hoc honore vel de istis terris superius dictis habet et tenet Ermessendis Gansa, nomine accapiti, unam peciam terre, de qua donat annuatim pro usatico IIII denarios; et confrontatur ex una parte cum terra Raimundi Vitalis, et ex alia cum honore Bernardi de Cumba.

Item de terris pretaxatis, nomine accapiti, habet et tenet quemdam ortum Bernardus Catalani; et donat inde annuatim

(1) Cart.: *Girano*.

pro usatico VI denarios melgorienses ; et confrontatur ex una parte cum prato castri, et ex alia cum honore Bernardi de Marsiliano.

Et de istis terris prefatis habet et tenet Petrus Sigaudi II pecias terrarum, pro quibus donat annuatim pro usatico VI denarios ; quarum una confrontatur ex una parte cum via publica, et ex alia cum terra Marie de Campo ; altera confrontatur ex una parte cum via que tendit apud Villamnovam, et ex alia cum terra Petri Cathalani.

Et Petrus Bertrandi habet et tenet, de istis terris prenominatis, unam peciam terre ; et donat inde, singulis annis, pro usatico II denarios ; confrontatur ex una parte cum terra Petri Catalani, et ex alia cum via que tendit apud Villamnovam.

Et Poncius Ruffi tenet et habet, de istis terris sepius dictis, quoddam ortale ; et donat ex eo annuatim pro usatico I denarium melgoriense ; quod confrontatur ex una parte cum publico camino, et ex alia cum terra Agnetis de Costa.

Et de prefatis terris similiter habet et tenet Raimundus Johannes unum ortale, quod confrontatur ex una parte cum terra Petri Garnerii, et ex alia cum honore ipsius Raimundi Johannis prescripti ; et donat annuatim pro usatico pro dicto ortale I denarium melgoriense.

Item similiter Bernardus de Manso habet et tenet, de predictis honoribus, quamdam domum, que domus est in castro in Gijano ; confrontatur ex una parte cum via publica, ex alia cum domo Guidonis, et ex alia cum curte Petri Porcelli ; et donat ex ea, singulis annis, pro usatico XVIII denarios melgorienses.

Quod quidem usaticum censuale predictum, et consilium, dominium, usaticum, et servicium, quod in terris prefatis habeo, et habere possum vel debeo, quolibet modo vel intellectu, qualibet causa, dono.... tibi et tuis, et dominum, ac possessorem, et procuratorem earumdem omnium et singularum, ut in rem propriam et specialem, te facio et constituo. Nomine autem hujus donacionis... dedisti et tradidisti michi, nomine accapiti, IIII^or libras melgorienses... in quibus renuncio excepcioni non numerate peccunie... et quod plus valet vel

valebit... tibi et tuis imperpetuum dono. Et de omnibus predictis dabis michi vel meis, singulis annis, pro usatico, in festo beati Michaelis, unum denarium melgoriense tantum modo.

Et convenio... quod dictum usaticum, et consilium, dominium terrarum predictarum... faciam te et tuos habere et tenere quiete, et ab omni contradicente... jure semper defendam ; et pro eviccione... omnia bona mea tibi et tuis firmiter obligo, et nil dixi... contra aliquod predictorum veniam ; sic Deus me adjuvet et hec sancta IIII ejus evangelia, a me corporaliter tacta.

Hanc totam donacionem et tradicionem accapiti confirmavit et approbavit Ermengars, uxor dicti Philippi ; et si quod jus in predictis sibi competebat, nomine ypothece vel pignoris, vel alio modo, illud cessit sibi ; et quod nunquam contra veniret, tactis sacrosanctis Dei evangeliis, promisit, renunciando beneficio minoris etatis, et nove constitutionis, et omni juri quo contra venire posset ; et habuit inde pro laudimio II solidos melgorienses, ita quod nichil remansit in debitum.

Testes sunt Guillelmus Gaudinni, Guillelmus de Sancto Stephano, Guillelmus de Comba, Johannes Bernardi, et Deodatus de Burgada notarius, qui, jussu partium (1), hec scripsit.

(Reg. A, fol. 98 v°).

CCCLXXVI. — 29 mai 1221

Honorius III confirme la bulle d'Alexandre III touchant la nomination des archidiacres et des prieurs, et les fortifications de Maguelone.

(Reg. B, fol. 270 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 54.

---

(1) Cart.: *partibus*.

CCCLXXVII. — 29 mai 1221

Honorius III approuve l'union de l'église de Béjargues à la mense épiscopale.

(Reg. F, fol. 169 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 56.

CCCLXXVIII. — 29 mai 1221

Honorius III autorise l'évêque de Maguelone à nommer l'archidiacre et le sacriste sans le consentement des dignitaires du Chapitre, si certains de ces derniers ont recours à une obstruction systématique.

(Reg. B, fol. 259 v°, et Reg. F, fol. 157 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 57.

CCCLXXIX. — 31 mai 1221

Honorius III charge l'archidiacre et le précenteur d'Agde de juger le différend qui s'est élevé entre l'évêque de Maguelone et l'abbé d'Aniane ; celui-ci refusait d'assister aux synodes diocésains.

(Reg. E, fol. 1 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 59.

CCCLXXX. — 21 août 1221

Raimond Pierre de Ganges fait hommage du château de Brissac à Raimond Brunenc, bayle de Montferrand.

In Christi nomine. Anno Incarnacionis ejusdem millesimo CC° vicesimo primo, duodecimo kalendas septembris, notum et indubitatum sit omnibus tam presentibus quam futuris, quod ego Raimundus Petri, filius quondam domini Poncii Petri de Agantico.... scio et sollempniter recognosco tibi Raimundo Brunenco diacono, bajulo Montisferrandi pro domino

Bernardo de Mesoa, episcopo Magalonensi, exigenti, et certum et speciale mandatum super hoc habenti, me castrum tenere de Breisaco, a dicto Bernardo de Mesoa episcopo, ratione comitatus melgoriensis; promittens sub religione sacramenti quod, quamdiu dictum comitatum dictus dominus episcopus tenuerit, vel successores sui tenuerint, ipsi vel successoribus suis, vel certo nuncio eorum, dictum castrum, iratus et pacatus, reddam, prout antecessores mei comiti vel comitibus Melgorii reddiderunt.

Acta sunt hec omnia predicta apud Aganticum, in curte (1) domine Aigline... presentibus et ad hoc vocatis testibus et rogatis, Raimundo *de la Lauda,* Agantici priore, Petro de Sancto Johanne sacerdote; Guillelmo Dalmes sacerdote, G. de Sancto Juliano sacerdote, G. Boschet, Cassiliaci priore, Petro de Valveria, Raimundo de Mata, R. de Malon, Bernardo Renadini, Petro de Pomairolicis, et astante Matheo, publico Agantici notario, qui in his omnibus interfuit, et, rogatus et mandatus ab utraque parte, hanc cartam scripsit et signavit.

(Reg. A, fol. 264 r°; édité par Germain, dans *Arnaud de Verdale,* p. 228).

CCCLXXXI. — 2 septembre 1221

Marquise de Roquefeuil fait hommage du château de Brissac à Raimond Brunenc, bayle de Montferrand.

In Christi nomine. Anno Incarnacionis ejusdem millesimo ducentesimo vicesimo primo, quarto nonas septembris, notum et indubitatum sit... quod ego domina Marchesia de Rocafolio ... sollempniter recognosco tibi Raimundo Brunenco diacono, bajulo Montisferrandi, *etc.* (*comme au N° précédent*) *jusqu'à :* reddiderunt.

Ista recognitio et hec omnia acta sunt apud Aganticum, in domo domine Benesolacie, presentibus etiam et ad hec vocatis

(1) Cart.: *curie.*

et rogatis testibus, Berengario Aldeberto milite, Daude de Madioiras milite, Guillelmo de Sancto Leoncio milite, Raimundo de Mata, Michaele de Lundris, Petro de Lacosta, G. de Sumena, Cortes, G. Arboras, et Raimundo *d'Aramon*, G. *d'Alairac*, S. Rainart, et astante Matheo, publico Agantici notario, qui in hiis omnibus interfuit, et, rogatus et mandatus ab utraque parte, hanc cartam scripsit et signavit.

(Reg. F, fol. 162 r° ; édité par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 229).

CCCLXXXII. — 12 mars 1221 (n. s. 1222)

Martin Dolis promet à Bernard de Mèze de lui rendre le château de Montferrand, dont le cardinal Conrad lui a confié la garde, quand il lui aura remboursé 22.000 sols.

In nomine Domini. Amen. Ego Martinus Dolis juro, tactis sacrosanctis Dei evangeliis, vobis domino B[ernardo], Dei gratia Magalonensi episcopo, quod castrum Montisferrandi Magalonensis diocesis, quod ad comitatum Melgorii de jure noscitur pertinere, michi ad custodiendum traditum a venerabili patre C[onrado], Dei gratia Portuensi et Sancte Ruffine episcopo, Apostolice Sedis legato, pro posse meo bona fide custodiam, ad utilitatem Ecclesie Magalonensis et vestram ; et vobis illud reddam, vel vestro certo nuncio, liberum et absolutum, soluta tamen pecunia XXII milium solidorum, pro quibus dictum castrum noscitur obligatum memorato domino cardinali.

Juro eciam quod, quamdiu dictum castrum tenuero, pro posse meo, bona fide, personam vestram deffendam et protegam, ac jura vestra et Ecclesiam Magalonensem pro meis viribus deffendere procurabo ; et ad majorem rei firmitatem et cautelam presens instrumentum sigilli mei munimine communiri precepi.

Actum fuit hoc anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo primo, quarto idus marcii, in presencia

et testimonio P. Amelii (1) archidiaconi Narbonensis, Ugonis archipresbiteri, G. Baudilii canonicorum Magalonensium, G. de Cocone diaconi, G. de Rippa causidici, et Guillelmi Aymerici notarii, qui, mandato dictarum partium, hec scripsit.

(Reg. E, fol. 263 r°)

Pour comprendre les divers actes que nous avons déjà vus et, en particulier, celui-ci, au sujet de la situation financière, assez précaire du diocèse au début de l'épiscopat de Bernard de Mèze, voir la Bulle d'Honorius III du 21 mai 1219, dans *Bullaire de l'Église de Maguelone* (T. I, p. 42).

CCCLXXXIII. — 8 juin 1222

Honorius III exhorte les habitants de Melgueil à abandonner Raimond VII, comte de Toulouse, et à se soumettre de nouveau à leur évêque.

(Reg. F, fol. 178 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 63.

CCCLXXXIV. — 8 juin 1222

Honorius III, pour faciliter le retour des habitants de Melgueil, permet à Bernard de Mèze de les absoudre de l'excommunication encourue même après un laps de temps de six mois après sa promulgation.

(Reg. F, fol. 38 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. I, p. 68.

CCCLXXXV. — 4 août 1222

Aiglina, veuve de Pons Pierre de Ganges, fait hommage à Bernard de Mèze de la ville de Ganges, que son mari lui a laissée par testament, et proteste contre la violence que lui a faite R. de Roquefeuil.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Ego Aiglina, uxor quondam domini Poncii Petri de Agantico, tenens villam de

(1) C'est le futur archevêque de Narbonne, ancien chanoine de Béziers.

Agantico et jurisdictionem ad eandem villam pertinentem, domina ex testamento seu ex ultima voluntate domini Poncii Petri, quondam mariti mei (1), videlicet ville de Agantico et dominationis ad eandem villam pertinentis, confiteor ex certa sciencia et voluntate spontanea, et in veritate recognosco me tenere a vobis domino B[ernardo], Magalonensi episcopo, et a successoribus vestris, in feudum, scilicet honores, staria, vineas, campos, et ortos in quibus ecclesia Sancti Petri de Agantico habet usaticum; et totum illum murum, qui est a domo Petri de Duabus Equabus usque ad portale Boquerium, et a portale Boquerio usque ad portale de Cruce, et de portali de Cruce usque ad domum que fuit R. Boni Amici ad Cossacum, et ad duas domos ultra, et dicta duo portalia: que omnia constructa in solo feudi episcopi Magalonensis ego Aiglina, superius memorata, recognosco.

Item recognosco me tenere a vobis domino B[ernardo], Magalonensi episcopo, et a successoribus vestris, stare de Agantico, excepta turri in qua ego dicta Aiglina maneo, et Poncius Petri, condam maritus meus, mansit; et quod pro hoc feudo debeo facere hominium, et jurare fidelitatem, et servicium exhibere vobis, domino Magalonensi episcopo, et successoribus vestris, nomine Magalonensis Ecclesie; et quod hoc idem facere debent omnes domini ville de Agantico, mutante domino hinc inde, et servire, et valere in placito et gerra vobis domino B[ernardo], Magalonensi episcopo, et successoribus vestris. Quod si facere noluero, vel noluerint, ad commonitionem vestram, successorum vestrorum, valenciam cum feudo et de feudo, vos, domine Magalonensis episcope, possitis de feudo et cum feudo eciam facere placitum et gerram: et ero fidelis vobis domino B[ernardo], Magalonensi episcopo, et in omnibus et per omnia, sicud vassallus domino.

Item recognosco ego, Aiglina supradicta, me debere facere apparatum IIII^or clericis ecclesie Sancti Petri de Agantico, singulis annis, in martirio apostolorum Petri et Pauli; et in

---

1) Voir ce testament, dans ce Fascicule, p. 183.

sequenti alio festo sancti Petri, omnibus clericis qui, ea die, venerint ad ecclesiam Sancti Petri de Agantico.

Item ego, dicta Aiglina, cognosco me tenere in feudum a vobis domino B[ernardo], Magalonensi episcopo, et successoribus vestris, omnia illa que in instrumento, scripto per manum Arloini, continentur et scripta sunt. Quod instrumentum dominus Poncius Petri de Agantico, maritus meus, quondam verum esse cognovit, et ego verum esse cognosco; quod eciam instrumentum fuit productum in causa quam habuit dominus G[uillelmus](1), Magalonensis episcopus, condam antecessor vester, cum domino Poncio Petri, condam marito meo, coram Bertrando de Vallauquesio, et Johanne de Orlaco, et P. Poncii paciariis.

Item ego, prefata Aiglina, hominium facio vobis domino B[ernardo], Magalonensi episcopo, et juro vobis fidelitatem super sancta Dei evangelia.

Assero etiam me, metu ductam et coactam, fecisse recognotionem R. de Rocafolio cujusdam partis ville de Agantico; et quando jam dictam recognitionem feci, dixi dicto R. de Rocafolio, quod portale Boquerium et portale de Cruce erant de feudo domini Magalonensis episcopi, et quod non traderem ei claves dictorum portalium, nec tradidi; sed ipse eas cepit. Ymo dixi tunc eidem R. de Rocafolio, quod quicquid recognoscebam seu reddebam ei, id totum faciebam sine prejudicio et dampno domini Magalonensis episcopi et Ecclesie Magalonensis, et quod recognitio, quam prefato R. de Rocafolio faciebam, in nullo posset prejudicare vel nocere domino Magalonensi episcopo vel Ecclesie Magalonensi.

Item dico istam recognitionem, factam a me R. de Rocafolio, sine hominio, juramento et fide plevita factam esse.

Item assero me prohibuisse tunc sepedicto R. de Rocafolio, ne caperet claves dictorum duorum portalium : eo quod essent de feudo domini Magalonensis episcopi, inhibendo hoc ei ex parte Dei omnipotentis, Ecclesie et episcopi Magalonensis.

Item dico me mandasse R. de Rocafolio, quod dominus

(1) Guillaume d'Autignac, voir Tome II, p. 80.

B[ernardus], Magalonensis episcopus, instanter a me petebat ut recognoscerem ei feudum quod Poncius Petri, condam maritus meus, tenuerat ab episcopo Magalonensi in villa de Agantico et ejus pertinenciis; et quod super hoc predictus R. me instrueret de jure, qualiter deffendere me valerem contra dominum episcopum Magalonensem, vel quod ipse personaliter me deffenderet, vel saltem mitteret michi sapientem aliquem, qui, consilio et auxilio, posset me defendere; attamen memoratus R. de Rocafolio nichil horum voluit facere.

Dico preterea me mandasse dicto R. de Rocafolio diem quam vos, domine Magalonensis episcope, michi assignaveratis ad faciendum recognitionem feudi memorati, ut, die assignata, me deffenderet, vel mitteret sapientem qui me deffenderet a vobis, domine Magalonensis episcope.

Item ego, Aiglina sepedicta, promitto vobis domino B[ernardo], Magalonensi episcopo, quod in redditione portalium, clavium et murorum, et in petita quarta parte fructuum dicti feudi, et in albergo, et in sequendo dominum Magalonensem episcopum in exercitu, meis expensis, retineo salvum jus vobis et michi.

Promitto eciam quod recognitionem, quam hic modo facio vobis, domine Magalonensis episcope, feudi de Agantico memorati, faciam quandocumque vobis placuerit in ipsa villa de Agantico vobis personaliter, aut vestro procuratori, pro vobis hoc petenti, sicud vobis placuerit.

Assero eciam quod si, processu temporis, ad noticiam meam aliquid, quod a vobis plus predictis eciam feudum tenere deberem, pervenerit, illud vobis manifestando recognoscam.

Acta sunt hec anno Dominice Incarnationis M° II^c XXII°, pridie nonas augusti, apud Montempessulanum, in Sala domini Magalonensis episcopi, in presencia et testimonio Sicardi archidiaconi Magalonensis, Ugonis archipresbiteri, Guillelmi Baudilii, Poncii de Laureto, R. de Vallauquesio, canonicorum Magalonensium, Raymundi Brunenci dyaconi et prioris de Lansanicis (1), Bernardi Fabri diaconi et prioris de Venranicis,

---

(1) Cart.: *Lancanicis*: Lansargues, canton de Lunel. Les deux

Guiraldi de Cocone dyaconi et prioris de Cornone Terralli, Petri Poncii dyaconi, Mathei sacerdotis, Guidonis de Capite Porco et G. de Rippa jurisperitorum, Raymundi Jordani, Poanesii de Montiniaco, Philippi Urcelli de Villanova armigeri, Petri de Pomairolis filii Rotberti, Petri de Valveria, Duranti macellarii de Nemauso, Guillelmi de Valveria, Raymundi Quualon jurisperiti, Berengarii de Valveria corraterii, Veziani blanquerii, Guillelmi de Popiano, J. Benedicti, et G. Aymerici notarii.

(Reg. D. fol. 257 r°).

CCCLXXXVI. — 15 août 1222

Guillaume Frédol, pour lui-même, et Douce, pour ses enfants, font hommage à Bernard de Mèze pour le château de Lavérune.

...In nomine Domini. Anno Incarnationis ejusdem M°CC°XX° secundo, octavo decimo kalendas septembris.... ego Guillelmus Fredolus miles... recognosco vobis, domino Bernardo Magalonensi episcopo, me tenere in feudum a vobis, domino B[ernardo], Magalonensi episcopo, medietatem castri de Veyruna cum suis pertinentibus, sicut unquam (1) melius et plenius antecessores mei antecessoribus vestris recognoverunt.

Confiteor etiam et in veritate recognosco [quod debeo] reddere dictam medietatem et turres, ad me pro dicta medietate pertinentes, et portalia, et claves portalium, et posterle et turrium, et facere albergum cum heredibus quondam Petri

---

prieurés nommés après sont Vendargues canton de Castries et Cournonterral. Ces deux dernières églises n'appartenaient pas encore au chapitre. Voilà donc trois diacres prieurs d'églises assez importantes. Ajoutons-y Lombard, diacre, prieur de Castries, église dépendant de l'évêque. Les abus n'étaient pas seulement au sein du chapitre. Dans les bulles des Papes du XIII[e] siècle protestant contre cet état de choses, il ne faut pas voir seulement les chanoines.

(1) Cart.: *nunquam*.

de Veyruna, fratris mei, centum militibus et plus ad voluntatem vestram et successorum vestrorum, sicut unquam ego vel antecessores mei melius fecerunt, vel recognoverunt antecessoribus vestris ; et quod pro hoc feudo debeo jurare fidelitatem vobis et successoribus vestris, et salvare, et custodire, et defendere, pro posse meo, vos et successores vestros, et res ad Ecclesiam Magalonensem pertinentes ; nec debeo sustinere vel pati detrimentum seu diminutionem [rerum] vestrarum, vel rerum ad Ecclesiam Magalonensem pertinentium ; imo (1) cum scivero primum vel perpendero, debeo vobis vel successoribus vestris revelare, et pro posse meo evitare.

Et (2) ego Dulcia, uxor quondam Petri de Veyruna quondam mariti (*déchirure de 15 cent.*) puberibus, et ego Rostangnus (*déchirure de 13 cent.*) michi contingentem, nos confitemur et in veritate (*déchirure de 10 cent.*) Magalonensi episcopo et successoribus vestris nomine Magalonensis (*déchirure de 8 cent.*) suis pertinentibus, sicuti unquam (3) Petrus de Laveyruna, quondam maritus jamdicte Dulcie, et pater mei Rostagni, et antecessores dicti Petri de Veyruna melius et plenius recognoverunt antecessoribus vestris.

Confitemur etiam et in veritate recognoscimus, videlicet ego Dulcia, tutrix, pro predictis pupillis meis, et ego Rostagnus pro me, nos pro hoc feudo debere facere vobis, domino B[ernardo] Magalonensi episcopo, et successoribus vestris, hominium, servicium, et reddere dictam medietatem, et turres, et forcias, et murros, et portalia, et claves turrium et portalium ad dictam medietatem pertinentes, et facere albergum cum Guillelmo Fredolo, pariario nostro, centum militibus vobis, domino B[ernardo], Magalonensi episcopo, et successoribus vestris, et plus ad voluntatem vestram et successorum vestrorum, sicut unquam (4) dictus P. de Veyruna defunctus (5), vel antecessores sui, melius fecerunt sive recogno-

(1) Cart.: *inmo.*
(2) Cart.: *quod.*
(3) Cart.: *nunquam.*
(4) Cart.: *nuncii.*
(5) Cart.: *defunctis.*

verunt antecessoribus vestris; et pro hoc feudo debemus vobis domino B[ernardo], Magalonensi episcopo, et successoribus vestris jurare fidelitatem, et vos et successores vestros, et res vestras et ad Ecclesiam Magalonensem pertinentes salvare, custodire ac defendere pro posse nostro; nec debemus sustinere vel pati detrimentum seu diminutionem vestram, vel rerum ad Ecclesiam Magalonensem pertinentium; imo cum primum sciverimus vel perpenderimus, debemus vobis vel successoribus vestris statim revelare, et pro posse nostro evitare.

Suprascriptis confessionibus, recognitionibus ita diligenter peractis, ego Guillelmus Fredolus de Veyruna, pro me et parte mea, et ego Rostangnus de Veyruna, filius quondam Petri de Veyruna, pro parte michi contingente, et ego Dulcia uxor quondam sepedicti P. de Veyruna, tutrix liberorum meorum impuberum et dicti Petri de Veyruna, pro jamdictis liberis impuberibus, facimus vobis domino B[ernardo], Magalonensi episcopo, hominium, et reddimus castrum de Veyruna, et muros, et portalia, et posteilas, et turres, et forcias dicti castri, et claves portalium, posteile et turrium ipsius castri.

Et statim nuncii dicti domini B[ernardi], Magalonensis episcopi, assenderunt muros dicti castri de Veyruna, et turrim quondam Petri de Veyruna: et per dictos castrum et muros et dictam turrim euntes, et vexillum dicti domini B[ernardi], episcopi Magalonensis, deferentes, clamabant: *Magalona! Magalona! pro domino episcopo!*

Acta sunt hec sollempniter, anno et die quo supra. Quorum omnium sunt testes, Sicardus, archidiaconus Magalonensis et prior Sancti Firmini, Poncius de Lunello sacrista Magalonensis, Firminus, prior Sancti Dyonisii de Montepessulaneto et canonicus, Raimundus de Lundris, operarius Magalonensis, Ugo de Amiliano, archipresbiter Magalonensis, Guillelmus Marini, canonicus, Petrus Guiraldi decretista (1), canonicus, Guillelmus Baudilii, canonicus, Raymundus de Vaillauquesio, cano-

(1) Cart.: *decrestista*.

nicus, Guillelmus de Ripa jurisperitus, Raymundus Lamberti, Johannes de Balausuco, Petrus de Pomayrols, Petrus Gandalmar miles, Raimundus Faber nepos dicti Raimundi Lamberti, Bernardus de Cassillaco, Raimundus Brunene, Bernardus Benedicti de Veyruna, Guillelmus Babtisatus, Guillelmus de Sancta Maria, Michael Arnaldi, Gregorius Gervasius, Raimundus de *Albais*, Deodatus Bidocius, Petrus Roberti, Poncius Sansa, Guillelmus Sansa, Johannes Faber, Bertrandus Hoc, Raimundus de Pegairolis, et plures alii, et Bernardus Britonis notarius, qui mandato parcium hec omnia scripsit.

(Reg. C, fol. 237 r°).

CCCLXXXVII. — 12 octobre 1222

Pons du Port donne aux Hospitaliers de Saint-Christol tous les droits qu'il possède sur la forêt comprise entre celle des seigneurs du Port et de Saint-Pierre.

Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo (1) vicesimo secundo, quarto idus octobris, ego Poncius de Portu (2) miles... dono donatione inter vivos, et trado seu quasi trado... Domino Deo et domui Hospitalis Jerosolimitani site apud Sanctum Christoforum, et tibi Manueli, priori domus Hospitalis Jerosolimitani site apud Sanctum Egidium, et tibi Gualburgie, rectrici seu procuratrici memorate domus Hospitalis Sancti Christofori, et fratribus presentibus et futuris... videlicet totum hoc quod habeo vel habere debeo, seu aliquis habet per me vel nomine meo, in tota silva et in mari (3) quod continuatur eidem silve, que silva et mare dicuntur dominorum de Portu; et protendimus, quantumcumque possunt protendere, a fossa inferius et a silva Sancti Petri usque ad silvam comitis R.

In eadem donatione dono... sepefate domui Hospitalis site

(1) Cart.: *duscentesimo*.
(2) Cart.: *Porta*.
(3) Cart.: *maris*.

apud Sanctum Christoforum, et tibi, Manueli, et tibi, Galburgie, recipientibus pro eadem domo, et pro fratribus, presentibus et futuris, ibidem degentibus, scilicet unam peciam honoris cum omnibus suis pertinenciis, que confrontatur cum via qua itur apud Terles, et cum honore Guillelmi Raymundi, et Raymundi Marcellani ; ex quibus omnibus memoratis et singulis me disvestio. Retineo tamen in predictis omnibus usufructum, et promitto vobis, sollempniter stipulantibus et recipientibus pro nominata domo Hospitalis Sancti Christofori, quod contra hec... nullo jure scripto... veniam... set omnia memorata et singula semper firma et inviolata perpetuo servabo,... ad proficium et utilitatem sepedicte domus site apud Sanctum Christoforum et fratrum, presencium et futurorum ibidem degencium... Sic Deus me adjuvet et hec sancta Dei evangelia a me corporaliter tacta.

Et rogo quod predicta domus Hospitalis, sita apud Sanctum Christoforum, et rector, qui pro tempore ibidem fuerit, teneat, a die obitus mei in antea, pro predictis que in ipsam domum Hospitalis contuli, videlicet unum sacerdotem, qui perpetuo celebret divina pro remedio anime mee et [pre]decessorum meorum.

Acta sunt hec in stari dicte domus Hospitalis apud Lunellum, sub presencia et testificatione fratris Stephani sacerdotis, fratris Raymundi Bailievi, fratris Petri de Arnazano, fratris B. Luponi, fratris Guillelmi Gonterii, Johannis de Bellianicis, Petri Lamberti, Guillelmi Cavallaura, et Michaelis Calvadelli notarii, qui rogatus hec scripsit.

(Reg. A, fol. 224 v°).

CCCLXXXVIII. — 12 octobre 1222

Honorius III mande aux évêques d'Agde et de Béziers de faire observer fidèlement la sentence d'excommunication portée contre Raimond VII par l'évêque de Maguelone.

(Reg. F, fol. 37 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 69.

CCCLXXXIX. — 25 novembre 1222

Bernard de Mèze inféode à Bertrand de Vallauquès le puech de Montrond, dans la paroisse de Grabels.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Anno ejusdem Incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo secundo, septimo kalendas decembris, nos Bernardus, Dei gratia Magalonensis episcopus, comes Melgorii et Montisferrandi.... videntes (1) hoc pertinere ad utilitatem dominationis Juviniaci ad nos pertinentis, ratione comitatus Melgorii... damus... in feudum tibi Bertrando de Vallauquesio, militi, et tuis, et quibuscumque volueris ad omnes voluntates tuas... exceptis... cum consilio tamen nostro, vel nostrorum, videlicet totum unum podium, heremum et incultum, qui vocatur Mons Rotundus, et est in parrochia Sancti Juliani de Grabellis, qui mons ad nos pertinet ratione dominationis Juviniaci, pertinentis ad nos, ut dictum est, nomine dicti comitatus; qui mons confrontatur ex una parte ab aquilone cum flumine Amancionis, et ex alia cum carreria qua itur apud *Murles,* et ex alia a circio cum honore tuo.

Hunc totum podium tibi damus, hoc proprio intuitu, ut in illo fortiam sive munitionem constituas et edifices, vel castellum, prout tibi melius videbitur expedire. Nomine cujus feudi dabis nobis annuatim duos capones pro usatico, et successoribus nostris. Et insuper quotiescumque et quandocumque voluerimus, de ipsa forcia et per ipsam forciam nobis et successoribus nostris valenciam facies, in guerra et placito; et ipsam nobis, iratus et pacatus, quandocumque et quotiescumque voluerimus, restitues. Et nos promittimus tibi stipulanti, quod in eo statu, in quo erit tempore quo ipsam acceperimus, peracta guerra, tibi restituemus; et concedimus tibi, ut possis habere et percipere, ad opus dicte munitionis faciende et construende, vicesimam de omnibus honoribus qui, occasione vel intuitu dicte munitionis, excolerentur. Et

(1) Cart.: *vidente.*

pro hoc feudo facies nobis hominium, et successoribus nostris, et nos fideliter defendes semper et ubique pro toto posse tuo.

Et ego dictus Bertrandus de Vallauquesio hoc feudum a vobis domino Bernardo, Dei gratia Magalonensi episcopo, recipiens sub predicta forma, promitto et convenio vobis me plenarie observaturum omnia et singula suprascripta, et fideliter ac bona fide me servare, et defendere personam vestram, et successorum vestrorum, in pace et guerra, pro toto posse meo; et pro hoc feudo debeo vobis facere hominium, et jurare fidelitatem et successoribus vestris. Predicta omnia et singula me illibata et incommota semper tenere, servare, et nunquam jure aliquo contra venire, juro per hec sancta Dei evangelia, a me corporaliter tacta.

Acta sunt hec anno et die quo supra, in Sala prelibati domini episcopi subtus capellam, in presencia et testimonio Hugonis de Ameliano, Magalonensis archipresbiteri, Willelmi de Ripa jurisperiti, Bernardi Fabri, et mei Bernardi Assalliti, publici Montispessulani notarii, qui, mandato predicti domini episcopi et Bertrandi, hec omnia scripsi.

(Reg. E, fol. 284 r°; édité par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 237).

CCCXC. — 29 novembre 1222

Garsende, femme de Guillaume Bertrand, approuve la cession faite par son mari à l'évêque de Maguelone.

Post hec autem (1) anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo secundo, tercio kalendas decembris, certum et indubitatum sit presentibus et modernis quod ego Garsenda, uxor dicti Guillelmi Bertrandi, mandato et precibus prefati Guillelmi Bertrandi mariti mei, non decepta, nec in aliquo coacta, sed spontanea voluntate mea, omnia predicta

1) Cet acte est en réalité la suite du N° CCCLXXIV; nous les avons séparés parce qu'ils le sont dans le *Cartulaire*.

et singula, sicut plenius in hoc instrumento continetur, vera esse cognosco, et cum testimonio et auctoritate hujus publice carte obligo et adstringo, per me et per omnes meos, vobis domino B[ernardo], Dei gratia episcopo Magalonensi, et successoribus vestris, omnes predictos honores et usatica, dominia, laudimia et consilia, que in predictis honoribus, vel pro predictis, habemus vel habere debemus; que omnia fatemur esse propria alodia nostra, sicut superius in hoc instrumento plenarie expressit dictus maritus meus.

Et totum jus, quod ego vel antecessores mei habuimus, vobis obligo.

Et omnia predicta et singula firma et illibata semper habebo, tenebo, ut melius dici et exprimi vel excogitari possunt; et nunquam contra veniam, tactis sacrosanctis Dei evangeliis; in quo juramento renuncio ex certa sciencia omni juri...

Et ego eadem (1) Garsenda, de jure et de facto cerciorata, sub eodem sacramento ex certa sciencia renuncio omni juri prohibenti (2) alienationem, et specialiter legi Julie de feudo dotali, que prohibet ejus alienacionem fieri.

Acta sunt hec omnia in presencia et testimonio Ugonis archipresbiteri Magalonensis, Guillelmi Bauzilii, Guillelmi de Tribus Viis, Petri Buxi, P. de Grazillanicis, et Johannis Bedocii notarii, que hec rogatus scripsit.

(Reg. F, fol. 123 r°).

CCCXCI. — 1222

En échange des usages, albergues, etc. que lui fait Bernard de Mèze sur un mas qu'il tenait de l'Église de Maguelone, dans la paroisse de Saint-Denis de Montpelliéret, Pierre Gontard cède à l'évêque quarante sols de cens annuel et autres usages qu'il a sur certaines maisons ou terres.

In nomine Jhesu Christi. Amen. Manifestum sit... quod nos B[ernardus], Dei gratia, Magalonensis episcopus.... causa

(1) Cart.: *idem*.
(2) Cart.: *prohibito*.

permutacionis sive escambii solvimus et imperpetuum concedimus tibi, Petro Guntardo de Montepessulano, et tuis, scilicet omnia usatica, et servicia, et alberga, et quarta, que nobis facere et solvere tenebaris pro manso, quem tu et antecessores tui tenuistis a nobis et predecessoribus nostris ; qui mansus est in parrochia Sancti Dyonisii de Montepessulaneto ; in quo manso, et domibus, et possessionibus, et terris ejusdem mansi, retinemus nobis et successoribus nostris, dominium, laudimium, consilium, hominium, sennhorinum, et quatuordecim solidos melgorienses annuatim censuales ; concedentes tibi, Petro Guntardi, licentiam et potestatem vendendi dictas terras et domos prefati mansi cuicumque volueris, exceptis sanctis clericis et militibus (1) et locis religiosis, retentis nobis et successoribus nostris dominio, consilio, laudimio et quatuordecim solidis annuatim censualibus, in prefatis manso, et domibus, et terris, et omnibus honoribus, et possessionibus ad dictum mansum pertinentibus.

Et ego Petrus Guntardi supradictus, predictam permutacionem et escambium recipiens a vobis, domino meo Magalonensi episcopo, nomine permutacionis predictorum, do, cedo pro permutatione sive escambio, et pro libero et franco alodio, vobis domino B[ernardo], Magalonensi episcopo, et successoribus vestris, omnia infrascripta usatica, et dominia, et laudimia, in honoribus et possessionibus infrascriptis ; que usatica sunt novem solidi et tres denarii annuatim censuales.

De quibus donat et annuatim dare debet Willelmus de Conchis, filius quondam Petri de Conchis, octo denarios pro quadam domo que est in Montepessulano, et jungitur cum domo Martini de Bejanicis.

Et Martinus de Bejanicis, et uxor quondam Petri de Bejanicis, decem et septem denarios cum obolo, pro quibusdam domibus quas possident in Montepessulano, et junguntur cum dicta domo Willelmi de Conchis.

Et Petrus de Corconna, quatuor denarios et obolum, pro

(1) Cart.: *sanctis militibus et clericis.*

quadam domo que jungitur cum domibus predictorum Martini de Bejanicis et uxoris quondam P. de Bejanicis.

Item Raimundus de Anglars, novem denarios pro quadam domo quam possidet, et jungitur cum domo Petri de Corconna.

Et Willelmus de Venranicis, duos denarios pro quadam domo quam possidet, que jungitur cum domo R. de Anglars.

Item Willelmus Anruol, duos denarios pro quadam domo quam ibi possidet, que jungitur cum domo dicti W. de Venranicis.

Item Guillelmus de Brossas, quatuor denarios et obolum pro usatico censuales, pro quadam domo quam possidet, et confrontatur cum domo dicti G. de Conchis, via in medio.

Item Bernardus Fornerii, quatuor denarios et obolum, pro quadam domo quam possidet, que jungitur cum domo dicti W. de Brossas.

Item Pinianus, novem denarios pro quadam domo quam possidet, que jungitur cum domo dicti Bernardi Fornerii.

Item Bernardus Maurellanus, novem denarios pro quadam domo quam possidet, et jungitur cum domo predicti Piniani.

Item Bernardus Amelii, tresdecim denarios pro duabus domibus quas possidet ; de quibus altera confrontatur cum domo B. Maurellani, altera confrontatur cum manso meo.

Item filii Johannis Andree, duos denarios pro quadam domo quam possident, que jungitur cum domo mea.

Item ipsi filii Johannis Andree, ex altera parte, sex denarios pro quadam pecia terre que est in predicta decimaria de Montepessulaneto (1), et jungitur cum honore W. Pascalis.

Item Durantus Lamberti et frater ejus, sexdecim denarios pro quadam domo quam possident, que jungitur cum portali de Montepessulano.

Item Bernardus de Ponte, quatuor denarios et obolum pro domibus et curte que possidet, que junguntur cum campo Hugonis de Porta.

---

(1) Cart.: *Montepessulano*. Nul doute qu'il ne s'agisse de Saint-Denis.

Preterea ego idem Petrus Guntardi, nomine permutacionis et escambii predictorum, do et cedo pro permutatione sive escambio, in franco et libero alodio, vobis domino B[ernardo], Magalonensi episcopo, et successoribus vestris, omnia infrascripta usatica, dominia et laudimia in honoribus et possessionibus infrascriptis; que usatica sunt triginta solidi et tres denarii melgorienses censuales.

De quibus donat, et annuatim dare debet, Hugo Crespitor decem et octo denarios pro quadam pecia planterii que est in terminio de Montgineiras, et confrontatur cum honore Petri Richardi.

Item Bernardus de Porsano, pro quadam pecia honoris, campi scilicet et vinee, que est in eodem terminio, et jungitur cum honore dicti Hugonis Crespitoris.

Item Cabreria, octo denarios pro quadam pecia terre quam possidet in eodem terminio, et confrontatur cum honore B. de Porsano.

Item Guiraldus Alberti, tresdecim denarios et obolum pro quadam pecia honoris, campi scilicet et vinee, que est in eodem terminio de Montgineiras, quam ipse possidet, et jungitur cum predicto honore *d'en* Cabrieiras.

Item Petrus Michael, quatuor denarios pro quadam pecia planterii quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum honore predicti Guiraldi Alberti.

Item Stephanus Michael, quatuor denarios pro quadam pecia planterii quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum planterio dicti Petri Michaelis.

Item Titbaudus, duodecim denarios pro una pecia planterii quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum planterio Poncii Augerii.

Item Poncius Augerii, duos solidos pro quadam pecia vinee quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum planterio dicti Titbaldi.

Item Petrus Mandorria, sex denarios pro quadam pecia planterii quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum honore Poncii Augerii.

Item Johannes de Ypra, decem et octo denarios pro qua-

dam pecia planterii quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum honore Petri Crespitoris.

Item Petrus Mandorria, duodecim denarios pro quadam pecia honoris quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum honore Johannis de Ypra.

Item Galterius, duodecim denarios pro quadam pecia planterii quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum honore dicti Johannis de Ypra (1).

Item Martinus Tabernarius, duodecim denarios pro quadam pecia planterii quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum honore dicti Johannis de Ypra.

Item Bertrandus Ancellator, duodecim denarios pro quadam pecia planterii quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum via qua itur ad podium Calvellum.

Item Dalmacius, duodecim denarios pro quadam pecia planterii quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum honore R. Grisi.

Item Michael de Sorra, duos solidos pro quadam pecia planterii quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum honore Duranti Bidocii.

Item Arnaldus Catalani, sex denarios pro quadam pecia planterii quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum via qua itur ad fontem Falaurium.

Item Petrus Fornerii, duodecim denarios pro quadam pecia terre quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum planterio Arnaldi Catalani.

Item Guillelmus de Nebiano, sexdecim denarios pro quadam pecia honoris, campi scilicet et vinee, quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum via qua itur ad fontem Falaurium.

Item Gervasius Burserii, sex denarios pro quadam pecia planterii quam in dicto terminio possidet, et jungitur cum honore Johannis Gabarie.

Item Johannes Donati, duos solidos pro quadam pecia hono-

---

(1) Cart.: *Johannes d'Ypre.*

ris, campi scilicet et vinee, quam possidet in eodem terminio, et confrontatur cum via qua itur ad Falaurium.

Item Stephanus Salvatge, sex denarios pro quadam pecia planterii quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum honore Bertrandi Donadieu.

Item Posauderius, sex denarios pro quadam pecia terre quam possidet in eodem terminio et jungitur cum honore Johannis Gabarie.

Item Firminus de Alballanicis, quinque denarios pro quadam pecia planterii quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum planterio Michaelis Bernois.

Item Michael Bernois, septem denarios pro quadam pecia planterii quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum honore Firmini de Alballanicis.

Item R. Guersus, quinque denarios pro quadam pecia planterii quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum planterio B. de Bizanchis.

Item idem B. de Bizanchis, tres denarios pro quadam pecia planterii quam possidet in eodem terminio, que jungitur cum honore Johannis Dalmacii.

Item idem Johannes Dalmacii, quatuor denarios pro quadam pecia terre quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum honore Firmini de Ballanicis (1).

Item Guillelmus Juliani, sex denarios pro quadam pecia terre quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum honore R. Guersi.

Item Petrus Seinnherius, tres denarios pro quadam pecia honoris quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum honore Duranti Bidocii.

Item idem Durantus Bidocii, tres denarios pro quadam pecia terre quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum honore Petri Seinnhorii.

---

(1) Nous donnons le texte du *Cartulaire:* plus haut c'est Firmin de Baillarguet, ici Firmin de Baillargues ; c'est certainement le même personnage. Disons cependant que la règle, d'après laquelle *Alballanice* serait toujours Baillarguet, n'est pas absolue et *vice versa*.

Item ego, dictus Petrus Guntardi, do et concedo eodem modo tibi, domino B[ernardo], Magalonensi episcopo, et omnibus successoribus tuis, scilicet duas partes unius sextarii ordei censualis, quas donant, et annuatim dare debent, infantes Petri Richardi pro quadam pecia honoris quam possident in predicto terminio, et jungitur cum honore Hugonis Crespitoris; et dominium, consilium, laudimium, et seinnhorinum in eodem honore predictorum infantum Petri Richardi.

Item Petrus Crespitor, novem denarios pro quadam pecia terre quam possidet in eodem terminño de Montgineiris, et jungitur cum planterio Poncii Augerii.

Adhuc ego suprascriptus Petrus Guntardi, nomine permutacionis et escambii predictorum, do et cedo pro permutacione sive escambio, pro libero et franco alodio, vobis domino B[ernardo], Magalonensi episcopo, et successoribus vestris, prorsus eodem modo quo supra, omnia subscripta usatica, dominia, et laudimia, in honoribus et possessionibus subscriptis: que usatica sunt viginti sextaria ordei et viginti denarios pro usatico censuales.

De quibus donat, et annuatim dare debet, Bernardus de Manso unum sextarium ordei et unum denarium pro quadam pecia vinee quam possidet in terminio de Palmassanicis, et jungitur cum planterio Guillelme Calcatris.

Item eadem Guillelma Calcatris, unum sextarium ordei et et unum denarium pro quadam pecia honoris inter campum et vineam quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum vinea Guillelmi Capa.

Item idem Guillelmus Capa, duos sextarios ordei et duos denarios pro vinea predicta quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum honore Guillelmi de Savenc.

Item idem Guillelmus de Savenc (1), unum sextarium ordei et unum denarium, pro predicto honore quem possidet in predicto terminio, et jungitur cum honore Michaelis Pastoris.

Item idem Michael Pastor, quinque sextaria ordei et qua-

---

(1) Cart.: *Guillelmus des Avenc*. Cette lecture n'est-elle pas préférable?

tuor denarios, pro predicto honore quem possidet in predicto honore de Palmassanicis, qui jungitur cum planterio Guiraldi Basterii.

Item idem Guiraldus Basterii, unum sextarium ordei et unum denarium, pro planterio quod jungitur cum vinea Guillelmi Capa, et est in eodem terminio.

Item Guillelmus Caravetas, unam eiminam ordei et unum denarium, pro quadam vinea quam possidet in predicto terminio, et jungitur cum planterio Petri Rebulli.

Item Petrus Rebulli unum sextarium ordei et unum denarium, pro quadam pecia planterii quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum planterio R. Tala vilas.

Item R. Tala vilas, unum sextarium ordei et unum denarium, pro quadam pecia planterii quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum planterio Guiraldi Basterii.

Item Bertrandus de Sancto Flore et cognata sua, unum sextarium ordei et unum denarium, pro quadam pecia vinee quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum planterio dicti Guiraldi Basterii.

Item Willelmus Rex, duos sestarios bladi, duarum parcium frumenti et tercie ordei, pro quadam pecia terre quam possidet in eodem terminio, et jungitur cum terra R. de Anglars.

Item Johannes Lota, unum sextarium ordei, pro quadam pecia terre quam possidet, que jungitur cum dicta terra Guillelmi Regis.

Item Guillelmus Garnerii, tres eiminas ordei et unum denarium, pro quadam pecia terre quam possidet, que jungitur cum terra Johannis de Salicatis.

Promittens tibi jam dicto domino meo B[ernardo], Magalonensi episcopo, et successoribus tuis, sollempniter per stipulationem, quod omnia et singula suprascripta usatica, dominia, consilia, seinnhorinia, et cetera omnia que superius tibi dedi, cessi et concessi titulo escambii ac permutacionis semper te et omnes successores tuos, episcopos Magalonenses, et quos volueritis, pro franco et libero alodio faciam habere et possidere in pace, et ab omni impediente homine et femina perpetuo jure defendam. Pro toto hoc et pro facienda integra

restitutione cujuslibet evictionis... tibi et tuis obligo... omnia bona mea... facta a me ex certa scientia renunciacione auxilii cujuslibet juris... hec omnia suprascripta et singula semper... observabo...

Et ego Johannes Gontardi, diaconus, filius supradicti Petri Guntardi, laudans, approbans et confirmans tibi domino B[ernardo], Magalonensi episcopo suprascripto, universa et singula suprascripta, tibi et tuis remitto, solvo, cedo et derelinquo, ex certa sciencia, cum hac carta, quicquid juris michi compelit vel competere potest, qualibet ratione, vel nomine tituli mei, vel alio modo, in rebus et juribus, tibi superius a dicto domino patre meo datis et cessis, titulo escambii et permutacionis, renuncians penitus omni juri meo... promittens quod hec omnia... semper rata et firma tenebo.

Acta sunt hec in domo domini episcopi Magalonensis prescripti, in loco ubi placita ipsius curie ventilantur, apud Montempessulanum, octavo kalendas julii, anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo vicesimo secundo, in presencia et testimonio Johannis de Latis, Guillelmi de Ripa jurisperitorum, Ugonis archipresbiteri, Willelmi Baudilii, canonicorum Magalonensium, Guiraldi de Cocono, Petri de Sexteranicis, B. Lautardi, Poncii de Millanicis, Poncii de Podio Mejano clericorum, Johannis Luciani, Jacobi de Boissaco, Guillelmi Aimerici notarii, et Petri Guntardi notarii, qui mandatus hec scripsit.

Post hec ego idem Petrus Gontardi de Montepessulaneto jamdictus, ad supplementum jamdicti escambii et permutacionis, quam a te jamdicto domino meo B[ernardo] prescripto, Magalonensi episcopo, superius accepi, dono insuper et concedo tibi, eodem modo penitus et forma superius expressis, titulo escambii et permutationis, scilicet totum dominium, consilium, laudimium, seinnhorinum, et tres solidos et unum denarium melgorienses annuatim pro usatico censuales, et omne omnino jus quod habeo in honoribus subscriptis; quorum denariorum donant, et annuatim dare debent, liberi quondam Petri Richardi de Montepesato quindecim denarios pro una pecia terre, quam de me possident, in decimaria

Sancti Petri de Monte Arbedone, et confrontatur ex una parte cum vinea B. de Redorta que fuit Poncii Fama, et ex alia cum terra liberorum quondam G. de Orchis, aygarella in medio.

Et Bernardus de Redorta, quindecim denarios, pro quadam pecia vinee, quam de me tenet in eodem terminio et in dicta decimaria ; et confrontatur ex una parte cum dicto clauso liberorum G. de Orchis, aygarella media, et ex alia cum terra ipsius B. de Redorta, et ex alia cum terra dictorum liberorum quondam dicti Petri Richardi.

Et Guillelmus *de Bonperier*, septem denarios pro duabus peciis terre, quas de me tenet in predicta decimaria ; quarum una confrontatur cum terra Viviane ex una parte, et ex altera cum via qua itur ad Melgorium, et ex alia cum terra quondam G. de Monte Arbedone, aquali in medio ; altera pecia jungitur ex una parte cum terra predicte Viviane, et ex alia cum terra Jenesiorum quondam, et ex alia cum via Melgorii.

Promittens tibi jam dicto domino B[ernardo], Magalonensi episcopo, quod hec omnia faciam te et omnes successores tuos, episcopos Magalonenses, et quos volueritis, habere et possidere in pace pro franco et libero et absoluto alodio, et ab omni contradicente homine et femina perpetuo jure deffendam. Pro toto hoc et pro restituenda evictione... omnia mea obligans...

Acta sunt hec quarto nonas octobris, in Sala domus domini episcopi jamdicti, apud Montempessulanum, subtus capellam anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo XX° IIII°, in presencia et testimonio Sicardi archidiaconi Magalonensis, Firmini prioris [Sancti Dyonisii] de Montepessulaneto, Guillelmi Baudilii, Poncii de Laureto canonicorum Magalonensium, W. de Rippa jurisperiti, Poncii de Millanicis, B. Garnerii diaconi, et Petri Guntardi notarii, qui mandatus hec scripsit.

(Reg. E, fol. 130 r°).

CCCXCII. — 13 août 1223

Raimond VII, comte de Toulouse, inféode Boutonnet à Guillaume d'Orllac.

Notum sit... quod nos R[aimundus], Dei gratia dux Narbone, comes Tholose, marchio Provincie.... donamus... tibi Guillelmo de Orlaco, filio Johannis de Orlaco, et in te et tuos prorsus transferimus, donacione inter vivos perpetuo valitura, videlicet totum jus corporale et incorporale quodcumque habemus, vel antecessores nostri unquam habuerunt, aut habere debemus, vel ipsi habuerunt, vel habere debuerunt aliquo modo, seu ad nos vel ad ipsos quocumque modo pertinet, vel unquam pertinuit in toto manso de Botoneto vel in ejus pertinentiis. In qua donacione et concessione volumus expresse contineri jurisdictionem plenariam prescripti mansi et ejus pertinencium, et ejusdem mansi alberga, et generaliter quicquid in ipso manso, vel pro ipso, aut in quibuslibet honoribus et contra quaslibet personas nobis competit, [vel] competere potest vel debet, vel unquam predecessoribus seu antecessoribus nostris pertinuit, vel competiit et specialiter quicquid Guillelmus de Conchis vel Sibilia, uxor ejus, pro dicto manso nobis facere tenentur, mandantes et injungentes ipsis et omnibus aliis ut tibi obediant tanquam nobis.

Quorum omnium jurisdictionem et cohercicionem totam et integram tibi, Willelmo de Orlaco, et tuis, auctoritate presentis scripture publice irrevocabiliter commandamus, et dominum et procuratorem in rem tuam te inde facimus.

Pro hac autem concessione nobis facies pro dominio, singulis annis, cum a te petitum fuerit ex parte nostra, albergam quinque militibus.

Promittimus eciam tibi stipulanti quod dicta alberga et jurisdictionem, que super te retinemus, nulli persone alienabimus, vel aliqua alienacionis specie in aliquem transferemus. Quod si facere attemptaremus, de presenti tibi concedimus illud jus ut ad te incontinenti pertineat pleno jure, ita quod semper

immediate ad te spectet: et prescriptorum omnium possessionem, vel quasi possessionem, volumus quod tua auctoritate apprehendas, apprehensam a te pro tradita reputantes.

Acta sunt hec et laudata anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo vicesimo tercio, mense augusti, scilicet idibus augusti, in presencia et testimonio R. Beceda jurisperiti, Berengarii de Orlaco, Ademari de Orlaco, Petri de Cabrespina, et Guiraldi de Porta notarii, qui, mandato parcium, hec scripsit.

(Reg. E, fol. 124 r°).

A cette époque, le comte de Toulouse avait repris le comté de Melgueil. C'est ce qui explique l'insertion de cet acte dans le *Cartulaire de Maguelone*. Voir, sur la reprise du comté de Melgueil par Raimond VII, *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 63. Voir aussi, t. I, p. 369, une autre inféodation de Boutonnet faite par Raimond V, comte de Toulouse.

CCCXCIII. — 20 décembre 1223

Sentence de Jean Boccados au sujet du mas et des moulins de La Valette (commune de Clapiers).

Cum lis agitata esset per longum tempus inter Bernardum de Pedenatio, curatorem institutum (1) Ugonis de Valleta, et Matheum Gregorii et Guillelmum de Vallefontibus ex una parte, et Ugonem de Valleta ex altera, in posse domini Johannis Boccados, ratione jurisdictionis quam habet in manso de Valleta et omnibus ejus pertinenciis, tandem placuit utrique parti, quod de omnibus paccionibus, quas inter se faciebant aut facere poterant pro se et pro predictis infantibus, prefatus Johannes Boccados faciat amicabilem compositionem inter eos secundum voluntatem et ejus dispositionem : et ambe partes, excepto dicto Matheo, qui verbo promisit tantum, juraverunt super sancta Dei evangelia illam compositionem sequi et complere, quecumque illa esset.

(1) Cart.: *instuitum*.

Quo facto, predictus Bernardus de Pedenatio produxit quoddam instrumentum publicum, ab Ugone de Valleta creditum, in quo continebatur ipsum Ugonem de Valleta dedisse Agneti, filie sue, medietatem IIIIor molendinorum que sunt in terminio de Valleta, quorum duo sunt bladeria et alia duo operatoria; et eciam dederat eidem Agneti quamdam vineam in eodem territorio de Valleta, confrontatam ex una parte cum honore Aimerigue de Congeniis, et ex alia parte cum via publica; et dederat eidem Agneti medietatem unius pecie terre et orti, qui honor confrontatur cum honore Goguelli, et ex altera parte cum flumine Lesi; de quibus honoribus debuit dicta Agnes habere omnes expensas sibi necessarias, sicud continetur in dicto instrumento inde facto. Et quia ipsa Agnes non habuerat de predicto honore vel a dicto patre suo expensas sibi necessarias, dicebat Bernardus de Pedenatio quod predictus honor debebat ei tradi pro predictis expensis factis et faciendis, nonobstante usufructu quem dictus Ugo sibi retinuerat in eodem honore.

Guillelmus autem de Vallefontibus, contra eundem honorem predictum, et alium quem Ugo de Valleta habebat in terminio de Valleta, produxit quinque instrumenta publica, per manum tabellionum scripta; in quibus continebatur eundem Ugonem de Valleta obligatum esse ipsi Guillelmo de Vallefontibus in summa fere IIIIor milium solidorum melgoriensium, de qua majorem partem petebat super dicto honore.

Econtra respondens prefatus Ugo dicebat primo Bernardo de Pedenatio se non potuisse habere de predicto honore expensas sibi necessarias; et ideo non tenebatur filie sue expensas facere de dicto honore, quia filia non prefertur patri. Tamen dicebat se fecisse expensas filie sue in magna parte (*le haut de la page 313 r° est taché : trois mots sont illisibles*) se producta a Guillelmo de Vallefontibus se nichil debere de tota dicta summa, quantum ad ea que a dicto Guillelmo de Vallefontibus habuerat; sed forte debebat aliquantulum de usura in dictis instrumentis contenta et implicita.

Auditis hiis omnibus et aliis ad dictas pactiones et deffensiones pertinentibus, et inquisita veritate a domino Johanne

Boccados, prout inquiri potuit, de omnibus debitis et singulis, in quibus totus honor de Valleta, ad dictum Ugonem pertinens, honeratus erat, vel ipse Ugo pro se aut pro predicto honore; et etiam viso debito quod Guillelmus de Palacio habebat in parte predicti honoris; et diligenter considerata continencia dicte Agnetis que, cum diu est, fuerit nubilis, non potuit honorifice maritari, propter impedimenta predicti honoris, nec frater ejus potuit commode collocari alicui; et viso fortuito casu qui accidit interim de morte predicti Ugonis de Valleta; et recepto, post mortem ejus, iterum sacramento a predicto Guillelmo de Vallefontitus et Bernardo de Pedenatio pro infantibus quondam dicto Ugonis de Valleta, quorum est curator, et a Guillelmo de Palacio, de stando voluntati et compositioni quamcumque dictus Johannes Boccados pronunciaret, super omnibus predictis et singulis valituram, ac si Hugo de Valleta veniret ac presens esset:

Hiis omnibus et singulis studiose perscrutatis, ipse dominus Johannes Boccados, assidente sibi Johanne Bacca causidico, omnes predictas petitiones et alias scitas que in dicto honore vel contra predictum honorem moveri possent; et specialiter totum jus quod dictus Guillelmus de Palacio habebat, vel habere debebat, in parte dicti honoris, ratione pignoris vel proprietatis, vel Matheus Gregorii, ratione testamenti uxoris quondam Ugonis de Valleta, per amicabilem compositionem in hunc modum exposuit et determinavit quod, salvo et retento sibi Johanni Boccados, jure suo in dominio, laudimio, usaticis tocius predicti honoris, et in omnibus aliis, in quibus dictus Ugo de Valleta tenebatur ei obligatus, dixit ipse Johannes Boccados, per amicabilem compositionem, quod Guillelmus de Palacio donet, solvat, cedat, et imperpetuum derelinquat et desamparet Agneti, filie condam Ugonis de Valleta, et Bernardo de Pedenatio, curatori ejus recipienti pro ipsa (1), ad omnes voluntates dicte Agnetis faciendas, totum jus quodcumque ipse Guillelmus de Palacio habet, habere potest vel debet, ratione proprietatis, aut pignoris,

(1) Cart.: *ipso*.

vel alio quolibet modo, in illo molendino quod tenebat et possidebat in terminio de Valleta, et in aliis molendinis similiter, que Ugo de Valleta habebat vel alius pro eo in terminio de Valleta ; et quod ipse Willelmus de Palatio sit liber et absolutus imperpetuum, et omnes res ejus, de omnibus fructibus, et obventionibus, aut exitibus, quoscumque habuit ipse, vel alius pro eo, usque ad hunc diem, de dicto molendino, ita quod nullus possit aliquid ab ipso petere de predictis fructibus, jure divino vel humano ; et quod dicta Agnes et Bernardus de Pedenatio, ejus curator pro ipsa, donent et persolvant, sine omni questione et placito, prefato Guillelmo de Palacio, pro dicta datione et cessione dicti molendini, ei (1) XXXII libras et dimidiam melgorienses, videlicet [medietatem] ad mediam quadragesimam primo venturam, et residuam medietatem in sequenti festo Penthecosten ; et quod liberent eundem Guillelmum de Palacio et Maurellum de Valleta a debito in quo sunt obligati Judeo, filio Roviusci, pro expensis que facte fuerunt in verqueria predicti molendini et aliorum de Valleta ; in quo debito persolvat ipse Guillelmus de Palatio illud quod habuit ab Ugone de Valleta in denariis, et blado, et precio partis bestiarum dicto Ugoni competentis ; et totum residuum dicti debiti, tam capitalis quam lucri, persolvat dicta Agnes usque ad primum veniens carnisprivium ; de quibus omnibus persolvendis et complendis per dictos terminos, scilicet de predictis XXXII libris et dimidia, et de debito dicti Judei teneatur facere compleri predictus Bernardus de Pedenacio et Guillelmus de Vallefontibus, quisque in solidum, per sacramentum, sicut ambo juraverunt et promiserunt ipsi Johanni Boccados pro dicta Agnete, et Matheus Gregorii promisit verbo suo se facere compleri a predicta Agnete.

Et ultra idem Johannes Boccados dixit et pronunciavit, quod, pro predictis complendis, esset obligatum specialiter ipsi Guillelmo de Palacio ipsum mollendinum, quod ipse habebat, et alius honor Ugonis de Valleta.

(1) Cart.: *et*.

Preterea dixit et pronunciavit idem Johannes Boccados, quod Guillelmus de Vallefontibus donet, solvat, cedat et imperpetuum derelinquat eidem Agneti et Bernardo de Pedenatio, ejus curatori pro ipsa recipienti, totum jus, accionem et peticionem, quodcumque et quamcumque habet, habere potest vel debet, contra dictum Ugonem de Valleta, vel in honore de Valleta, qui fuit predicti Ugonis, aut in aliis bonis ejusdem ad omnes voluntates ejusdem dicte Agnetis faciendas, salvis et retentis sibi, Guillelmo de Vallefontibus, M solidis melgoriensibus tantummodo, in predicto honore Ugonis de Valleta.

Et ego, Guillelmus de Palatio, et ego Guillelmus de Vallefontibus, et ego, Bernardus de Pedenatio, curator dicte Agnetis, et pro ipsa, dictam compositionem voluntate nostra et assensu nostro recognoscentes, eam et omnia et singula, que in ea continentur, laudamus alter alteri ad invicem, et imperpetuum valituram concedimus, promittentes per sacramentum, a nobis corporaliter prestitum, nos ea omnia et singula observaturos et completuros.

Et ego Matheus Gregorii, promicto et convenio tibi, Guillelmo de Palacio, me omnia predicta et singula facere compleri per dictos terminos a predicta Agnete et a Bernardo de Pedenatio ejus curatore.

Acta sunt hec et laudata anno Dominice Incarnationis M° II^{c} vicesimo tercio, et terciodecimo kalendas januarii. Testes sunt Guillelmus Atbrandi, Guillelmus ejus filius, Bernardus de Campo, W. Magister draperius, Johannes Augerius, P. Maurelli de Valleta, B. de Valleta, Durantus Porcelli, B. Gran, B. Guillelmi, et Ademarius Scriptor notarius, qui, rogatus a partibus, hec scripsit.

(Reg. D, fol 312 v°).

CCCXCIV. — 23 décembre 1223

Honorius III confirme la sentence d'excommunication portée par l'évêque de Maguelone contre Raimond VII, qui ne pourra être absous qu'après avoir restitué le comté de Melgueil.

(Reg. A, fol. 244 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 73.

CCCXCV. — 23 décembre 1223

Honorius III écrit une seconde fois aux habitants de Melgueil et leur réitère l'ordre de rentrer sous l'obéissance de leur évêque.

(Reg. A, fol. 244 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 74.

CCCXCVI. — 23 décembre 1223

Honorius III défend aux habitants de Montpellier tout commerce avec ceux de Melgueil.

(Reg. A, fol. 244 r°, et n° 1885).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 76.

CCCXCVII. — 2 janvier 1224

Honorius III écrit à l'évêque et au sacriste de Nimes et au prieur de Brouzet pour qu'ils obligent la prieure du Vignogoul à obéir à l'évêque de Maguelone.

(Reg. E, fol. 53 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 78.

CCCXCVIII. — 23 janvier 1224

Honorius III rappelle (aux habitants de Montpellier?) la promesse faite par le seigneur de Lunel à Guillaume d'Autignac de lui fournir de l'argent pour acheter le comté, et de l'aider à maintenir les gens de Melgueil sous son obéissance.

(Reg. A, fol. 244 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 79.

CCCXCIX. — 16 juin 1224

Pons du Terral cède à l'évêque tous ses droits sur un jardin qu'il tenait de l'évêque dans la paroisse de Béjargues et qui était tombé en commis : le bayle de l'évêque le lui donne de nouveau à acapte sous le même cens.

In nomine Domini, ego Poncius de Terralio, non deceptus... solvo, cedo et prorsus imperpetuum desamparo tibi Petro Clerico, domini B[ernardi], Dei gratia Magalonensis episcopi (1), apud Terralletum bajulo, stipulanti pro ipso domino episcopo, eidemque domino episcopo et ejusdem successoribus, videlicet omne omnino jus si quod habeo... in toto orto de Bossanellis, vel ejus pertinenciis seu adjacenciis, qui est in parrochia Sancti Stephani de Bejanicis ; et confrontatur ex omnibus partibus cum honore dicti domini episcopi ; promittens quod nunquam contra predicta vel aliquod predictorum veniam. Sic Deus me adjuvet et hec sancta ejus evangelia a me corporaliter tacta.

Ideoque ego prefatus Petrus Clerici per me et per dictum dominum episcopum... reddo et restituo tibi, predicto Poncio, et tuis, illam peciam terre que dicto domino episcopo erat comissa, eo quia non solveras usaticum, quod inde tenebaris facere, spacio septem annorum ; quod usaticum est quarta

(1) Cart.: *episcopo*.

pars omnium fructuum ex ipsa pecia exeuncium, et quatuor denarios pro usatico. Que pecia est in dicta parrochia; et confrontatur ex una parte cum prato prefati domini episcopi, et ex alia cum carreria qua itur a Montepessulano versus castrum de Fabricis, et ex alia cum honore Pontii de Terralio, filii quondam Raimundi de Terralio; quam predictam peciam terre habeas et possideas, et eo modo quo possidebas antequam dicto domino episcopo esset comissa.

Et ego prefatus Poncius de Terralio promitto prefato domino episcopo, et tibi, dicto Petro, stipulanti pro ipso domino episcopo, dictam quartam partem omnium fructuum ex dicta pecia exeuncium, et quatuor denarios pro usatico, me, singulis annis, fideliter et bona fide solvere prefato domino episcopo, vel cui ipse mandaverit, et deferre ad domum suam apud Terralletum; concedens eidem domino episcopo, quod, si a solutione dicti usatici per biennium cessavero, possit, ipso elapso biennio, ipse dominus episcopus dictam peciam terre accipere ut sibi comissam, absolucione dicti orti nichilominus in suo robore permansura. Predicta omnia et singula me observaturum, et contra, jure aliquo, nunquam venturum sub dicto sacramento firmitatis expromitto.

Acta sunt hec anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo [vicesimo] quarto, sextodecimo kalendas julii, in presencia et testimonio Petri Almarrici, Guillelmi de Sancto Martino, Willelmi Ranulphi, et Bernardi Assailliti notarii, qui rogatus hec scripsit.

(Reg. E, fol. 163 r°).

La date que nous donnons, 1224, nous paraît certaine. Bernard de Mèze étant mort en 1230, cette année est la seule qui puisse convenir.

CCCC. — 11 juillet 1224

Honorius III écrit à l'archevêque de Narbonne pour qu'il engage Raimond VII à restituer le comté de Melgueil.

(Reg. A, fol. 244 v° ; et Reg. F, fol. 116 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 85.

CCCCI. — 12 juillet 1224

Honorius III rassure l'évêque de Maguelone: Raimond VII ne sera pas absous avant qu'il n'ait restitué le comté de Melgueil.

(Reg. A, fol. 244 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 88.

CCCCII. — Août 1224

Raimond VII est réconcilié avec l'Église (1).

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Anno Incarnationis ejusdem M° CC° XX° IIII°, nos Raimundus, Dei gratia dux Narbone, comes Tholose, marchio Provincie, cum Sacrosancta Romana Ecclesia pacem [cum] summo desiderio facere desiderantes, ad honorem Dei et ejusdem Romane Ecclesie et Sanctissimi in Christo Patris nostri Honorii, Summi Pontificis, puro corde et vera devocione, per nos et per omnes homines et valitores nostros, offerimus vobis domino Narbonensi archiepiscopo, et per vos Sancte Romane Ecclesie et domino Pape, quod fidem catholicam, sicut eam Sancta Romana predicat et docet Ecclesia, servabimus, et per totam nostram terram servari pariter faciemus.

Terram insuper nostram hereticis fideliter purgabimus ad cognitionem Ecclesie, videlicet bona eorum publicando atque corporaliter puniendo.

Item pacem plenam et integram in totam terram nostram servabimus, et servari plenarie faciemus, ruptarios de nostris finibus expellendo.

Ecclesiis etiam et viris ecclesiasticis restituemus plenarie

(1) La copie du *Cartulaire* est très défectueuse : nous avons dû renoncer à la collationner, et nous ne pouvons donner les variantes, elles seraient trop nombreuses. Nous mettons entre crochets les mots qui manquent dans la copie du *Cartulaire*, et nous reproduisons généralement le texte de l'*Histoire générale de Languedoc*.

omnia jura ; libertates quoque ecclesiarum et aliorum locorum religiosorum [plenissime in posterum et in perpetuum] servabimus et servari plenarie faciemus.

Preterea pro dampnis et injuriis ecclesiis ac viris ecclesiasticis irrogatis, et ut ob reverenciam et honorem Romane Ecclesie et domini Pape provideri valeat honori comitis Montisfortis in terra nostra vel valitorum suorum, facit dominus Papa [nobis] absolvi, et instrumenta, que a domino Papa, vel a domino rege Francorum, vel patre ipsius, idem comes Montisfortis vel pater ipsius super eo dicitur impetrasse, [Summus] Pontifex faciat nobis reddi.

Verum si supradicta que obtulimus domino Pape sufficiencia non videntur, cum servire Sancte [Romane] Ecclesie regnare sit, nos in omnibus et per omnia misericordie et mandatis domini Pape obediemus umiliter et devote, salva dominatione serenissimi domini nostri regis Francie et domini imperatoris, et salvo jure nostro et nostrorum hominum et valitorum in hiis quibus Ecclesiam restituemus.

Quod autem omnia predicta attendamus et compleamus bona fide, plene cavebimus ; et per securitates idoneas ad cognitionem domini Pape, super hiis pignoriticiam cautionem domino Pape in Provincia, tria castra, videlicet Opedam, Montem Ferrandum et castrum de Furcis ; item in partibus Tolosanis, tria castra, videlicet Montem Cucum, Montem Ferrandum, Montem Acutum trademus.

Et licet sola restitutionis oblatio contineatur in litteris domini Pape, directis ad venerabilem in Christo patrem nostrum, A[rnaldum], [archiepiscopum] Narbonensem, [et nos beneplacito domini Pape obedire in omnibus cupiamus, ad honorem Dei et Sancte Romane Ecclesie et domini Honorii Pape et domini archiepiscopi Narbonensis], restituimus in presenti domino episcopo et Ecclesie Vasionensi civitatem Vasionensem et castrum.

Item restituimus castrum de Valleclusa Ecclesie Cavallionensi ; et si qua alia restant restituenda in archiepiscopatu Arelatensi, restituemus ea plena ad cognicionem domini archiepiscopi Arelatensis.

Item restituimus villam Sancti Egidii domino abbati Sancti Egidii.

Ponimus castrum Melgoriense in manu domini archiepiscopi Narbonensis, ut compositio, inter nos et Ecclesiam Magalonensem tractata in concilio Sancti Flori, perficiatur ad cognitionem domini Pape.

Restituimus Agatensi episcopo civitatem Agatensem, et castrum Lupiani, et castrum Marcellani, cum pertinenciis suis.

Item restituimus villam Sancti Poncii, et castrum de Salvetate et Montemolerium, et Rourosam, domino abbati Sancti Poncii.

Item restituimus domino abbati de Quadraginta Cemereacum.

Item restituimus domino abbati Sancti Tyberii mansum Sanctarum Puellarum, salvo jure et possessione dominorum.

Item restituimus domino episcopo Albigensi castrum de Viatis, quod pater noster eidem episcopo dedit, quantum ipse viveret, possidendum

Item restituimus domino abbati de Gallaco ea que ipse consueverat tenere in burgo de Gallaco.

Item restituimus domino episcopo Ruthenensi Villamnovam et omnia jura sua.

Item restituimus domino archidiacono Ruthenensi Montembasencum.

Item restituimus domino episcopo Agennensi ea que consueverat habere et tenere in civitate Agenensi et in episcopatu.

Item restituimus domino abbati de Clairaco burgum de Clairaco.

Item restituimus priori de Manso redditus prioratus Mansi ; ipsum vero Mansum non audemus ei restituere propter homicidia et maleficia, ab hominibus Mansi inter se facta, donec inimicicie per dominum Papam vel legatum ipsius pacificentur.

Item restituimus domino episcopo Tholosano ea que consuevit habere vel tenere, si qua sunt ei a nobis ablata, exceptis hereditatibus illis, quas dominus episcopus Tolosanus dicit sibi esse donatas a quibusdam nobilibus dominis Tolosanis tempore comitis Montisfortis.

Item restituimus domino abbati Sancti Saturnini et priori Sancte Marie Deaurate de Tholosa ea que consueverunt habere vel tenere.

Item laycis, qui pro defensione Ecclesie sunt spoliati, restituimus possessiones suas, exceptis Tholosanis, quibus ad presens sine difficultate maxima restituere non possemus (1), quia distracte sunt, et oportebit ea nos redimere : et excepto P. Judeo, cui similiter sine maximo scandalo restitucio non posset fieri ad presens, propter mortem multorum nobilium, quorum mortem dicitur procurasse.

Faiditis etiam de Manso Agennensi reddimus redditus suos, ita tamen quod villam de Manso ad presens non ingrediantur, set per bajulos suos redditus recipiant : et hoc decernimus propter homicidia inter ipsos et alios homines de Manso perpetrata.

Item restituimus omnibus ecclesiis et omnibus clericis terre nostre redditus suos.

Si qua vero alia restituenda restant in tota terra nostra, ea plene restituemus ad cognitionem domini Pape, vel cujuslibet legati sui. Set in Narbonensi provincia, si qua sunt restituenda, restituemus ad cognicionem domini archiepiscopi Narbonensis ; et si qua sunt similiter restituenda in episcopatu Agenensi, restituemus ad cognicionem abbatis Grandissilve. Eodem modo, si qua sunt restituenda in episcopatibus Albiensi, Rutinensi, Catorcensi, restituemus ea ad cognicionem episcopi Ruthinensis.

Item restituimus abbati Montisalbani ea que habuit et tenuit pertinencia ad monasterium dicte ville.

Omnia predicta restituimus, salvo jure nostro et nostrorum hominum ac valitorum.

Et nos, R. B., Dei gratia comes Fuxensis, et T., eadem gratia vicecomes Biterrensis, pro nobis et omnibus hominibus

(1) La copie du *Cartulaire* s'arrête à cet endroit sur cette réflexion : *Instrumentum non completum est propter deffectum legendi quia non poterat legi.* Nous empruntons la fin de l'acte à l'*Histoire générale de Languedoc.*

valitoribus nostris, idem et eodem modo nos promittimus in terra nostra per omnia servaturos; et restituimus incontinenti domino B. R., quondam episcopo Carcassonensi, villam de Vallerta; et domino abbati Villemagne castrum de Alignano, et castrum de Caissano, et molendinum cum Bastida.

Item restituimus domino abbati de Sancto Polycarpo villam Sancti Polycarpi.

Item restituimus domino abbati de Castris ea que consuevit habere et tenere apud Castras et castrum de Saiss.

Et si qua sunt restituenda, plene ea restituemus ad cognicionem dominorum Biterrensis et Albiensis episcoporum.

(Reg. C, fol. 64 v°; édité dans *Hist. gén. de Languedoc*, t. VIII, col. 804).

Quand on étudie sans parti pris les actes contemporains, la chute de la maison de Toulouse devient inexplicable. Comment, après cet acte de soumission faite à l'ancien légat d'Innocent III, devenu archevèque de Narbonne, Raimond VII n'a-t-il pas conservé ses domaines? Comment a-t-il été acculé au traité de Meaux ? Nous renvoyons aux notes du *Bullaire de l'Église de Maguelone* (t. II, pp. 64 et suivantes). Une grande injustice a été commise, au commencement du XIIIe siècle, envers cette famille, et nous regrettons d'y voir associés deux Papes : Innocent III et Honorius III. Dans cet acte, dont nos Archives ne nous ont conservé qu'un fragment, par la faute du scribe qui n'a pas su lire, Raimond VII allait plus loin que ne le demandait le Pape. Honorius III exigeait simplement une promesse de restitution : le comte restitue, de fait, en particulier le comté de Melgueil. Les louches manœuvres du cardinal Romain ne pouvaient admettre cette franchise venant d'un cœur jeune et ardent, qui avait promis à Innocent III de reprendre les biens paternels.

CCCCIII. — 5 octobre 1224

Guillaume de Lechas reconnaît à l'évêque de Maguelone le droit de visite sur le monastère de Clunezet, près le Lez.

Sit omnibus... manifestum, quod dominus B[ernardus], Dei gratia Magalonensis episcopus, peciit a Guillelmo de Lechas,

priore ecclesie Cluniseti, site inter Montempessulanum et flumen Lezi, videlicet procurationem et visitationem in predicta ecclesia, dicens antecessores suos dictam procuracionem et visitacionem habuisse et recepisse singulis annis, quando eam recipere voluerunt.

Quod prefatus Guillelmus de Lechas, prior prelibate ecclesie, cognovit esse verum, offerens prefato domino episcopo ecclesiam sepedictam esse paratam facere eidem domino episcopo procurationem et visitationem, singulis annis, quando eam recipere voluerit et habere.

Acta sunt hec in Sala prefati domini episcopi subtus capellam, anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo vicesimo quarto, tercio nonas octobris, in presencia et testimonio Sicardi archidiaconi, Firmini, Ugonis de Ameliano archipresbiterorum Magalonensium, Guillelmi Baudilii, canonici Magalonensis, Willelmi de Rippa jurisperiti, Poncii de Laureto, canonici Magalonensis, Bernardi Dorma jurisperiti, et aliorum, et mei Bernardi Assalliti, publici Montispessulani notarii, qui hiis interfui, et hoc scripsi.

(Reg. E, fol. 45 v°).

CCCCIV. — 19 novembre 1224

Bernard de Mèze cède, à Raimond du Terral, certains usages que lui et ses prédécesseurs avaient sur une terre sise dans la paroisse de Bèjargues.

Notum sit omnibus... quod nos B[ernardus], Dei gratia Magalonensis episcopus, et antecessores nostri, habebamus et percipiebamus quintam partem fructuum, et duos denarios et obolum censuales, in una pecia terre, in qua sunt due quarteriate et tercia pars alterius quarteriate ; que est in parrochia Sancti Stephani de Bejanicis, et confrontatur ex una parte cum campo Johannis de Podio veteri, et ex alia cum campo Bernardi de Bejanicis, et ex alia cum vinea Ugonis de Moreze.

Et supradicta quinta parte fructuum dicti honoris, quam nos percipiebamus et percipere debebamus, ad instanciam

et postulacionem tui, Raimundi de Terralio, ob utilitatem nostram et successorum nostrorum tecum convenimus in hunc modum : videlicet quod tu, dicte Raimunde, promisisti daturum nobis et successoribus nostris, singulis annis, in festo sancti Petri de augusto, duo sextaria et quartale ordei censualia ad mensuram mercadalem Montispessulani, defferenda infra Salam nostram apud Montempessulanum, pro dicta quinta parte fructuum dicte terre, salvis et retentis nobis et successoribus nostris, in dicta terra, dictis duobus denariis et obolo censualibus.

Preterea tu, dicte Raimunde, dedisti nobis et successoribus nostris, pro dicta quinta parte fructuum dicte terre, duos denarios et obolum censuales in quadam sextariata terre, quam a nobis tenes, que est in dicta parrochia ; et confrontatur ex una parte cum via qua itur versus Paludem, et ex alia cum carreria qua itur versus Montempessulanum ; in qua sextariata habemus unum sextarium ordei censualem annuatim in festo sancti Petri de augusto.

Et pro dictis duobus sextariis et quartale ordei, a te nobis assignatis in prefatis duabus quarteriatis et tercia parte alterius quarteriate, et pro dictis duobus denariis et obolo censualibus in prescripta sextariata terre, a te nobis assignatis, nos B[ernardus], Dei gratia Magalonensis episcopus, per nos et successores nostros, liberamus et absolvimus imperpetuum te, dictum Raimundum, et tuos a prestatione dicte quinte partis fructuum.

Et ego, prefatus Raimundus de Terralio, sciens et cognoscens omnia suprascripta et singula vera esse, promitto vobis domino B[ernardo], Dei gratia Magalonensi episcopo, et successoribus vestris, quod ego fideliter solvam et defferam, meis propriis expensis, annuatim, in festo sancti Petri de augusto, dicta duo sextaria et quartale ordei et dictos quinque denarios infra Salam vestram apud Montempessulanum pro usatico; prescripta omnia et singula me semper observaturum, juro per hec sancta Dei evangelia a me corporaliter (1) tacta.

(1) Cart.: *corporalia.*

Acta sunt hec anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo vicesimo quarto, terciodecimo kalendas decembris, in presencia et testimonio Petri Clerici, bajuli de Terralio, Johannis de Portu, Raimundi de Nan sacerdotum, et Bernardi Assailliti notarii, qui mandatus hec scripsit, et fecit rasuram in XI^a linea, ab hac superius computanda, que dicit (1) : *quartale ordei a te*.

(Reg. E, fol. 163 v°).

CCCCV. — 25 février 1225

Honorius III exhorte les habitants de Melgueil à être fidèles à l'évêque de Maguelone.

(Reg. F, fol. 116 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 92.

CCCCVI. — 25 février 1225

Honorius III recommande à son légat de se montrer bienveillant envers l'évêque de Maguelone.

(Reg. A, fol. 244 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 93.

CCCCVII. — 25 février 1225

Honorius III recommande aux chevaliers et au peuple de Melgueil d'obéir à leur évêque, comte de Melgueil.

(Reg. A, fol. 244 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 96.

CCCCVIII. — 25 février 1225

Honorius III recommande au bayle du roi d'Aragon de prêter main-forte à l'évêque de Maguelone.

(Reg. A, fol. 244 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 96.

(1) Cart.: *dici*.

CCCCIX. — 25 février 1225

Honorius III exhorte les châtelains et chevaliers du diocèse de Maguelone à obéir fidèlement à leur évêque.

(Reg. F, fol. 21 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone,* t. II, p. 97.

CCCCX. — 25 février 1225

Honorius III recommande à son légat de faire rendre justice à Gui Chef-de-Porc.

(Reg. A, fol. 244 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 99.

CCCCXI. — 25 février 1225

Honorius III ordonne à son légat, le cardinal de Saint-Ange, de faire restituer les châteaux aliénés par Raimond VI, et qui font partie du comté de Melgueil.

(Reg. F, fol. 22 r°, et Reg. A, fol. 244 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, T. II, p. 100.

CCCCXII. — 21 mars 1224 (n. s. 1225)

Différend entre Bernard de Mèze, évêque de Maguelone, et Guillaume de Brignac, abbé d'Aniane : sentence en faveur du premier.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis. Universis... sit perpetuo manifestum, quod controversia fuit inter venerabiles patres, dominum B[ernardum] de Mesoa, Dei gratia Magalonensem episcopum, et dominum Guillelmum (1), abbatem Anianensem, coram domino episcopo Nemausensi, et B., Nemausensi sacrista, et B., priore de Broseto, judicibus delegatis a Summo Pontifice.

---

(1) Cart.: *B.*

Coram quibus dominus B[ernardus], episcopus Magalonensis, proposuit abbatem et monasterium Aniane subesse lege diocesana et lege jurisdictionis, et quod monasterium erat situm in diocesi Magalonensi, et ab episcopo Magalonensi abbas Aniane recipiebat et recipere debebat confirmationem, et ab episcopo Magalonensi dictus abbas examinabatur, confirmabatur et benedicebatur, et eidem episcopo obedientiam manualem [*blanc de 2 cent.*] faciebat, et quod coram eodem respondere debebat, et respondebat ipse abbas, tanquam coram judice ordinario. Que quidem omnia cognita et probata fuerunt in jure coram dictis judicibus per confessionem predicti domini abbatis Aniane.

Asseruit etiam idem dominus episcopus in jure, quod dictus abbas habebat populum sub se, et etiam in eo populo habebat temporalem jurisdictionem ratione abbatie : et quod monasterium Aniane a dicto populo percipiebat decimas, et jus percipiendi habebat. Et hec etiam per dicti abbatis confessionem fuerunt comprobata.

Necnon idem dominus episcopus in jure asseruit, quod dictus abbas contempnebat venire ad synodum Magalonensem, et cum vocatione et sine vocatione. Unde, coram dictis judicibus, de dicto abbate dictus dominus episcopus conquerebatur, petens ipsum abbatem compelli de cetero venire ad synodum Magalonensis episcopi ; ad quod faciendum de jure communi teneri dictum abbatem predictus dominus episcopus contendebat, ut ex predictis arguere nitebatur.

Unde predictus dominus abbas, super hiis que cognoverat, quasdam correctiones et emendationes fecit ex postfacto, ut ex tenore actorum apertius apparebat ; et, super quibusdam capitulis, a dictis judicibus delegatis prefatus dominus abbas ad Summum Pontificem appellavit, asserens ipse abbas ab eisdem judicibus se et jus sui monasterii lesum fortiter et gravatum ; super qua appellatione Sanctissimus Pater dominus Papa, Honorius tercius, abbatem Vallismagne, Bernardum archidiaconum Nemausi, et W. priorem de Tornaco, delegavit, sub tali forma, quod de appellatione primo cognoscerent, et, si eam justam reperirent, quod etiam cognoscerent et senten-

ciarent super principali : si vero injustam, ad priores judices remittere procurarent.

Et cum dominus episcopus Magalonensis et dominus abbas Anianensis coram judicibus dicte appellacionis se representassent, ex communi consensu utraque pars compromisit, sub pena quinquaginta librarum, in predictos W., priorem Tornaci, et Bernardum, archidiaconum Nemausensem, sub tali forma, quod primo cognoscerent de dicta appellatione, et postea de causa tota principali, et eam fine debito terminarent ; de quo compromisso fuit instrumentum confectum per Petrum Gontardi, publicum Montispessulani notarium.

Qui arbitri, causa diligenter examinata, appellationem a dicto abbate interpositam injustam esse pronunciarunt ; et subsequenter super principali pronunciaverunt, et cognoverunt que coram primis judicibus delegatis actitata fuere, ex consensu partium pro constantibus habitis.

Coram quibus arbitris memoratis, dominus episcopus predictus proposuit predictum abbatem debere compelli venire ad synodum episcopi Magalonensis ; quod irrefragabiliter arguere contendebat : in primis ea ratione, quia dictum monasterium et abbatem ipsius monasterii constabat situm esse in episcopatu Magalonensi, et sibi subesse tum lege diocesana, tum lege jurisdictionis ; unde de jure communi memoratum abbatem ad Magalonensem synodum venire debere constabat evidenter.

Verum e contrario dictus dominus abbas asserebat se non teneri venire ad synodum Magalonensis episcopi, contendens se et quemlibet abbatem Anianensem, ex speciali privilegio Summi Pontificis Pascalis secundi, in hac parte immunitatem habere. Ad quod probandum, produxit quamdam cartam, quam vocabat *Privilegium*, sive *Indulgenciam* dicti domini Pape ; in qua continebatur hec clausula : *Nec pro parrochiarum interdictis episcopalibus cellarum vestrarum monachi, nisi super episcopi, vel abbatis persona causa fuerit, inhibentur, clausis januis, non admissis parrochianis, divina silenter officia celebrare : ipsarum etiam parrochiarum epis-*

copis non permittimus, ut, vel tuam vel successorum tuorum personas synodali vocatione debeant fatigare, nisi pro caritatis gratia, cum eis volueritis convenire. Ex quibus verbis idem abbas dicebat patere manifeste se immunem esse a synodali vocatione Magalonensis episcopi ; et, cum sola dicta carta, dictus abbas variabat judicium, asserens se esse absolvendum a dicti domini episcopi impetitione.

Econtra dominus episcopus allegabat memoratam cartam sibi non obesse. Quod quidem multis rationibus arguebat : in primis dicens dictam cartam falsam, vel suspectam fore littera, dictamine et bulla.

Dicebat namque lippis et tonsoribus patere litteram illam esse longe dissimilem ab illa littera que in Romana curia frequentatur : dicens quod littera illa potius videbatur greca, vel arabica, quam latina.

Item stilus, sive modus dictaminis, varius est ab eo qui in Romana curia observatur, cum in carta dicta dominus Papa uni persone modo in plurali, modo in singulari loquatur.

Item et quia in ea carta continetur sola subscriptio illius domini Pape, quod Romana curia non observat.

Item bullam etiam dicebat suspectam esse, et contrariam bulle consuete Summi Pontificis in multis : quia in ea non solum capita Apostolorum impressa continentur, immo etiam spatule et manus quedam, que pedem Crucis amplectitur ; ex altera vero parte, ante nomen Pape premittitur signum Crucis. Preterea in forma Crucis, inter imagines apostolorum constitute, et in forma litterarum, quibus apostolorum nomina designantur, magna potest diversitas reperiri. Deprehenditur etiam bulle varietas in circulo et in punctis, et in quibusdam aliis ; et sic patet cartam predictam esse suspectam, et ideo nulla fides est ei habenda, nisi per supradictum abbatem fuerit comprobata.

Secundo allegabat dictus dominus episcopus predictam cartam, etsi vera esset, sibi in nullo prejudicare : nam tenor scripture illum adjuvat vel impugnat, cujus mentionem facit. Sed illa scriptura, in aliqua sui parte, episcopum Magalonen-

sem, expressim vel tacite, non designat ; et, si concessa fuerit a Summo Pontifice, non fuit concessa contra Magalonensem episcopum, qui episcopus est diocesanus memorati abbatis et ejus monasterii ; sed contra alios episcopos, quorum [in] diocesibus dictus abbas et ejus monasterium cellas, sive parrochiales ecclesias possidebat ; qui episcopi, ratione illarum cellarum sive parrochialium ecclesiarum, abbatem Anianensem, indebite vocando ad synodum, fatigabant, et per subreptiones quasdam, et alias illicitas occasiones, singularem potestatem sibi vicis apostolice usurpantes, dictum abbatem et ejus monasterium opprimebant. Que omnia, ex vi verborum et tenoris memorate carte, si subtiliter attendantur, dicebat posse colligi manifeste : et potissimum ex verbis illius, quibus continetur, quod pro interdictis episcopalibus parrochiarum, monachi cellarum dicti monasterii non inhibeantur divina silenter officia celebrare. Per hoc enim quod dicit *Monachi cellarum*, dicebat dominus episcopus liquere manifeste quod non loquebatur de monachis morantibus in capite, sed in membris ; nec de parrochia monasterii, sed de aliis parrochiis cellarum, ad ipsum monasterium pertinentium. Et statim subsequenter subjiciuntur verba illa : *ipsarum etiam parrochiarum episcopis* et cetera. Que verba, ex virtute relationis, asserebat dominus episcopus tantummodo esse intelligenda de simplicibus episcopis cellarum, sive parrochialium ecclesiarum, constitutarum in aliis diocesibus ; qui episcopi competenter alio speciali vocabulo non poterant designari ; non autem de episcopo Magalonensi verba illa intelligenda sunt, cum ipse non episcopus parrochiarum, sed diocesanus, jure canonum, debeat nuncupari. Unde, cum ejus dignitas, jurisdictio, vel potestas, sicut ordinaria et diocesana, in carta illa supressa fuerit, quantum ad ipsum, nullius momenti esse debeat procul dubio judicari.

Insuper fortius arguebat ex verbis ipsius carte, ea non esse extendenda ad episcopum Magalonensem, quia, cum loquatur de episcopis, qui dictum monasterium, vice Sedis Apostolice et quadam singulari potestate, dictum monasterium opprimere usurpabant, et quia etiam vocando abbatem ad suas synodos

fatigabant, constat de Magalonensi episcopo in hac parte fuisse cogitatum nullo modo. Ipse quidem episcopus Magalonensis, non vice Sedis Apostolice, nec singulari potestate, sed jure suo et potestate diocesana, dictum abbatem ad suas synodos convocabat, et ipsum vocando non fatigabat abbatem, nec indebite opprimebat; sed jus suum et potestatem diocesanam exercebat.

Preterea ex sequentibus verbis ipsius carte, in quibus numerantur plures ecclesie parrochiales, quarum nulla in Magalonensi diocesi est constituta, cartam illam ad Magalonensem episcopum non esse extendendam probare dictus dominus episcopus conabatur.

Tercio allegabat idem dominus episcopus cartam supradictam sibi nullum prejudicium generare. Nam, etsi auctoritate illius carte, prescriptus abbas fuisset unquam indulgencia sive privilegio communitus, de cetero non potest illo privilegio se tueri: nam ab utendo et contrario facto, necnon pluribus contrariis, illi privilegio, etsi unquam habuerit, renunciasse videtur, cum plures abbates dicti monasterii ad synodos Magalonenses pluries venerint, et ad interrogationem episcopi pro monasterio et negociis ipsius monasterii sui responderint, in eisdem synodis sacerdotatibus induti, et aliis insigniis abbatialibus insigniti, sive precincti, juxta ipsum residentes; quod per plures testes nisus est idem dominus episcopus comprobare (1).

Econtra prenominatus abbas predictis respondebat, dicens non esse peccatum in carta predicta, nec in littera, nec etiam in bulla; quia antiquitus simplicius quam hodie Romana Ecclesia in talibus procedebat, et quod, secundum varietatem Romanorum Pontificum, modus dictandi et bullandi, variis modis pro ipsorum arbitriis, mutabatur. Ad quam varietatem

(1) On admirera cette belle argumentation de Bernard de Mèze: diplomatique, droit canon, il connaît à fond sa matière. Sa science juridique est incontestable. — Voir à la fin de ce Fascicule l'affaire de Balaruc.

comprobandam produxit idem abbas plura alia instrumenta ejusdem Pape et Urbani, Pontificum Romanorum, in quibus revera liquido varietas apparebat.

Item respondebat predictus abbas verba dicte carte generalia esse, sive indefinita : unde non solum alios episcopos, imo etiam Magalonensem episcopum comprehendunt : presertim cum quantum ad alios episcopos nichil vel parum prodessent : et privilegium sic interpretandum est ut aliquid operetur.

Ad ultimum respondebat prenominatus abbas, quod privilegium illud sit reale, et abbatie et cunctis abbatibus [in] successione dicti monasterii concessum : bino vel trino actu aut pluribus predecessores sui sibi, presenti abbati, et aliis eorum successoribus, non potuerunt aliquod prejudicium generare ; presertim, cum conveniebant ad Magalonensem synodum, ex gratia non ex debito veniebant.

Hiis et pluribus aliis ab utraque parte propositis, utraque pars variavit judicium conclusive, et renunciaveruunt allegationibus facti et juris. Tandem supradicti arbitri predictam questionem in modum infrascriptum diffinitivam sententiam terminarunt.

Cum nichil in judiciis locum habere debeat, nisi justicia, ex qua prodire debet gladius bisaccutus, ut ex una parte condempnet quem cognoverit condempnandum, et ex altera parte absolvat quem cognoverit absolvendum ; visis, et auditis, et subtiliter indagatis, et diligenter pensatis rationibus et allegationibis et ceteris que ab utraque parte proposita sunt vel allegata ; visis eciam attestationibus, positionibus, et responsionibus, et instrumentis ab utraque parte productis, et specialiter ac sollicite perscrutatis quatuor instrumentis a dicto abbate ante sententiam ostensis, que a domino Pascali Papa secundo dicuntur emanasse, que inter se in bullis et formis longe dissona sunt, contraria et diversa, habita plenissima deliberatione, habito etiam plurium virorum in utroque jure peritorum consilio :

Quia efficaciores cognovimus domini episcopi rationes,

sacrosanctis evangeliis coram positis, nos scilicet Bernardus archidiaconus, et Guillelmus, prior de Tornaco, arbitri compromissarii, assidente nobis Bernardo Dorna, legum professore, et Bernardo Boteti notario, pronunciamus abbatem Anianensis monasterii debere venire ad synodum Magalonensem, ut abbates alii, populum et curam animarum habentes, qui nulla gaudent immunitate in hac parte, ad suorum episcoporum synodos venire tenentur, juxta canonicas sanctiones, non obstante carta superius memorata, per quam idem abbas in hac parte se munitum privilegio, sive indulgencia, contendebat ; et ad hoc, ut predictus abbas ad synodum Magalonensis episcopi veniat, ut supra dictum est, condempnamus.

Insuper memoratum Guillelmum (1), abbatem Anianensem, premissa legitima taxatione, in expensis litis, simplici verbo domini episcopi, cui a dicto abbate creditur, declaratis, dicto domino Bernardo episcopo in trecentis solidis condempnamus.

Lata est hec sentencia, anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo vicesimo quarto, duodecimo kalendas aprilis, in presencia et testimonio Sicardi *d'Olargue,* archidiaconi Magalonensis et prioris Sancti Firmini, Firmini prioris Sancti Dyonisii, Poncii de Laureto canonici Magalonensis, Johannis de Latis, Guillelmi de Ripa, Guillelmi Artraldi, Bernardi Marchi causidicorum, Petri Guiraldi canonici Magalonensis, Ugonis archipresbiteri Magalonensis, Petri Gontardi, et Bernardi Assaliti, notariorum, et multorum aliorum, et Bernardi Boteti, notarii Montispessulani, qui, dictorum arbitrorum mandato, hec scripsit.

Preterea anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quinto, septimo decimo kalendas junii, suprascritus Guillelmus (2) abbas hanc cartam, et omnia predicta et singula, sigilli sui munimine roboravit, in presencia et testimonio Ugonis archipresbiteri Magalonensis, Guillelmi Baudillii canonici, Guillelmi de Valleauqueso, monachi Anianensis,

---

(1) Cart.: *B.*
(2) Cart.: *B.*

Guillelmi de Ripa et Petri Luciani jurisperitorum, Bernardi Assalliti notarii, Petri Carbonelli clerici, et mei Bernardi Boteti notarii, qui, mandato dicti abbatis, hec scripsi.

Clarum (1) sit presentibus, et indubitatum futuris permaneat, quod, post judicium vel arbitrium jure recitatum per prudentes viros Bernardum, archidiaconum Nemausensem, et Guillelmum priorem de Tornaco, super questione que vertebatur inter venerabiles patres B[ernardum], Dei gratia Magalonensem episcopum, et dominum Guillelmum (2), abbatem Anianensem, in qua sententia vel arbitrio, predicti arbitri, electi communiter a dictis domino episcopo et domino abbate, pronunciaverunt dictum dominum abbatem debere venire ad synodos Magalonenses, super toto illo judicio vel arbitrio ipse dominus predictus episcopus Magalonensis et dominus abbas Anianensis supradictus, sub pena quinquaginta librarum melgoriensium, et sacramento a Bernardo Assallito in manu dicti domini Magalonensis episcopi, et a Petro Carbonello in manu dicti abbatis corporaliter prestito, in dictos viros scilicet Bernardum, archidiaconum Nemausensem, et G[uillelmum] priorem de Tornaco, sicut in arbitros vel arbitratores, compromiserunt sub hac forma : quod videlicet prenominati viri hiis que in dicto judicio vel arbitrio continentur, possint pro voluntate sua addere et detrahere, et, secundum quod eisdem arbitris visum fuerit, componere ; et promiserunt ad invicem sub dicta pena predicti dominus episcopus et dominus abbas, quod, quicquid jam dicti arbitri super predictis dixerint, statuerint, vel recitaverint, illud inviolabiliter observabunt ; que pena pro singulis capitulis committatur, quibus contra

---

(1) Dans le *Cartulaire*, cet acte est séparé du premier : il porte le n° 1432. Nous les avons réunis, à l'exemple de Germain. Sa place paraissait plutôt indiquée dans le corps de l'acte précédent, quand les délégués nommés par le Pape eurent statués que l'appel formé par l'abbé d'Aniane était irrecevable, et que les deux parties firent ce compromis.

(2) Cart.: *B*.

fiet, et ea preterita et soluta, prolatis vel recitatis ab ipsis arbitris nichilominus in suo robore duraturis.

Insuper dictus abbas Anianensis, sub dicta pena, promisit quod ea que dicti arbitri pronuntiabunt, incontinenti post pronuntiationem, et pro toto posse suo, faciet laudari a toto conventu Anianensi ; et pro hiis omnibus complendis etiam promisit dictus dominus abbas se, infra unum mensem ab hac presenti die computandum, in episcopatu Magalonensi, pro dicta scilicet pena, assignaturum dicto domino episcopo pignora rerum immobilium, valentia duo milia solidorum.

Unde (1) memorati arbitri, data et concessa sibi potestate ab utraque parte, ut, post judicium vel arbitrium recitatum, possent, pro voluntate sua, addere vel detrahere judicio vel sentencie jure recitate, statuerunt amicabiliter et pronuntiaverunt quod dominus abbas Anianensis, et quilibet ejus successor, semel in anno venire teneatur ad synodum Magalonensem, etiam sine citatione, nisi justa de causa se excuset ; et quod dominus episcopus Magalonensis, vel ejus successor, non possit dictum abbatem, vel ejus successores, vocare vel compellere venire ad synodum Magalonensem nisi semel in anno ; et quod predicti dominus episcopus et dominus abbas hoc laudent incontinenti ; et quod quilibet eorum ad commonitionem alterius teneatur in instrumento, facto super predicto judicio et hac compositione, sigilla sua ponere ; et quod dominus abbas, pro posse suo, hoc faciat laudari a conventu Anianensi, et sigillum sui conventus, si quod habet, apponi ; quibus laudatis et peractis a dicto conventu dictus abbas sit liber et absolutus a pena L librarum supradicta. Nichilominus tamen ipse abbas et ejus successores teneantur, ut dictum est, hanc compositionem servare, et semel in anno, etiam sine citatione, ad synodum Magalonensem venire et interesse ; et quod annus incipiat computari a prima synodo, que fiet et celebrabitur primo post proximum Pascha ; ad quam primam synodum dictus abbas etiam sine citatione veniat et intersit.

(1) Explication et développement de la sentence

Item statuerunt quod dictus abbas, vocatus ad synodum semel in anno, si pretenderit excusationem, quod in excusacione recipienda sit promptus et benignus [episcopus]; et quod dominus episcopus, ex quo predicta laudaverit et sigillum apposuerit, sit liber a dicta pena.

Item dictum abbatem absolverunt in expensis litis, factis usque ad hanc assignationem dierum, que incipit die martis proxima; sed pro expensis factis in hac assignatione, condempnaverunt dictum abbatem domino episcopo in centum quinquaginta solidis melgoriensibus: et quod idem abbas donet prefatis arbitris alios centum quinquaginta solidos, ratione suarum expensarum pro parte sua: et ita sit perpetuus finis super predictis inter eos.

Hanc amicabilem compositionem predicti dominus episcopus et dominus abbas laudaverunt, et confirmaverunt, et se non contra venire promiserunt.

Acta sunt hec anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo vicesimo quarto, duodecimo kalendas aprilis, in testimonio domini Sicardi archidiaconi Magalonensis et prioris Sancti Firmini, Ugonis archipresbiteri, Firmini prioris Sancti Dyonisii, Johannis de Lattis, Guillelmi de Ripa et Guillelmi Artraldi causidicorum, Poncii de Laureto canonici, Petri Gontardi notarii, et multorum aliorum, et Bernardi Boteti notarii Montispessulani, qui, rogatus a partibus, hec scripsit.

Preterea, anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo vicesimo quinto, septimodecimo kalendas junii, suprascriptus G[uillelmus], abbas Anianensis, hanc cartam, et omnia supradicta et singula, sigilli sui impressione roboravit, in presencia et testimonio Ugonis, archipresbiteri Magalonensis, Guillelmi Baudillii canonici, G. de Vallauquesio, monachi Anianensis, Luciani et G. de Ripa jurisperitorum, Bernardi Assalliti notarii, Petri Carbonelli clerici, et mei Bernardi Boteti notarii, qui, domini predicti abbatis [mandato], hec scripsi cum quadam rasura que dicit *anno dominice in*.

(Reg. E, fol. 1 r°; édité par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 218).

CCCCXIII. 27 mars 1225

Accord entre l'évêque et le chapitre de Maguelone, d'une part, et les Trinitaires de Montpellier, de l'autre.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi qui est vera pax et vera concordia, per quem discordes puro corde et animo ad veram pacem et concordiam revocantur. Talis facta est compositio inter Magalonensem Ecclesiam et domum Sancte Trinitatis, sitam in parrochia Sancti Dyonisii de Montepessulano, videlicet quod dicta domus Sancte Trinitatis habeat imperpetuum liberum cimiterium, in quo homo quilibet, masculus vel femina, clericus vel laycus, parrochianus Magalonensis Ecclesie vel non parrochianus, liberam possit eligere sepulturam ; sed sciendum est quod in oblatis, datis, donatis, relictis, vel quoquo [modo] collatis domui seu hospitali Sancte Trinitatis, vel ecclesie, seu Ordini, seu clericis vel fratribus ibidem servientibus, ab hiis qui sepulturam ibi elegerint et sepulti fuerint, vel ab amicis vel caris eorum, vel ab aliquo, nomine ipsorum, in vita vel in morte, vel post mortem eorumdem, Magalonensis Ecclesia habebit semper tres partes, et domus Sancte Trinitatis quartam partem ; sint res mobiles vel immobiles, vel se moventes, vel incorporee, sive sint actiones in rem vel in personam, sive sint res culte vel inculte, vel cujuslibet alterius generis.

Sed si inter vivos, nulla mortis vel sepulture habita mencione, compos mentis et sanus corpore, sine fraude supradictorum, aliquis quicquid de bonis suis donaverit domui Sancte Trinitatis, et absque ulla retentione et repeticione illud tradiderit, in eo Magalonensis Ecclesia nichil habebit.

Similiter si aliquis, sanus mente et corpore, se tradiderit pro fratre domui Sancte Trinitatis, et habitum cum cruce susceperit, fuerit ibi sepultus vel non, in illis datis, donatis, relictis, translatis ab eo, vel ab aliquo nomine ejus, in domum Sancte Trinitatis, vel ecclesiam, vel clericos, parrochialis ecclesia in eis nullum jus, nullam porcionem habebit, dum

tamen hec omnia fiant sine fraude et dolo Magalonensis Ecclesie.

Si vero aliquis, gravatus infirmitate corporis, se tradiderit pro fratre domui Sancte Trinitatis, et habitum cum cruce susceperit, et ex eo morbo vita functus fuerit vel non, in omnibus datis, donatis, relictis ab eo vel aliquo nomine ejus, in infirmitate ejus vel post, domui Sancte Trinitatis, seu hospitali, vel ecclesie, vel clericis, vel fratribus, vel Ordini, habebit Magalonensis Ecclesia tres partes, et domus Sancte Trinitatis quartam.

Sed si aliquis, sanus corpore et mente, et sine susceptione habitus et crucis, se dederit domui Sancte Trinitatis cum jurejurando facto ad custodiendum mandata domus, relinquens omnia, ibi decesserit, in bonis que fuerunt ejus nichil Magalonensis Ecclesia habebit.

Preterea domus Sancte Trinitatis unicum habebit oratorium in toto Magalonensi episcopatu, dicte domui contiguum et conjunctum ; in quo semper habeat vel habere possit domus Sancte Trinitatis unum capellanum fratrem domus ipsius : et si domus Sancte Trinitatis fratrem non habeat, alium possit habere capellanum, non fratrem, et non plures, nisi in festivitatibus precipuis : videlicet in Natale Domini, et Pascha, et Penthecosten, et in festo Sancte Trinitatis, et in festivitatibus Beate Marie, quibus possit duos habere capellanos ad divina ibidem misteria celebranda ; verumtamen sacerdotes majores possint ibi divina officia celebrare.

Oblationes vero et vigilie que oblata fuerint alteri seu ministro dicti oratorii, integre domus Sancte Trinitatis habeat, et in perpetuum percipiat, in quibus Magalonensis Ecclesia nichil habebit, exceptis hiis que sacrista Magalonensis et procurator communis mense habere consueverunt in consecratione ecclesiarum et altarium.

In visitatione infirmorum, que fit a clericis vel fratribus domus Sancte Trinitatis, debent ipsi visitatores tam clerici quam layci, in manu Magalonensis episcopi promictere quod nichil dicant vel faciant erga infirmos, vel res eorum, ad dampnum Magalonensis Ecclesie ; nec infirmis penitenciam

vel viaticum dare debent, nec crucem; vel thuribulum, nec aquam benedictam, vel ornamenta sacerdotalia debent deferre viventibus infirmis, vel defunctis, nisi quantum domus Sancte Trinitatis extenditur.

In prefato vero oratorio domus Sancte Trinitatis duas squillas habeat, et non plures.

Insuper omnibus presentibus et futuris appareat, quod, ex vigore hujus composicionis, deinceps Ecclesia Magalonensis imperpetuum habebit plenarie decimas fructuum, prediorum, et vinearum, que domus Sancte Trinitatis, seu ecclesia, seu hospitalis possidet, vel in futurum possidebit, seu acquisierit, in toto episcopatu Magalonensi; cessantibus et non obstantibus huic compositioni omnibus privilegiis et indulgenciis, indultis seu indulgendis domui vel Ordini Sancte Trinitatis, vel exceptis hiis de quibus alius juste decimas percipit; sed peccorum, modo vel in futurum pertinencium ad domum Sancte Trinitatis, vel fructuum arborum, vel orti quem modo possidet domus Sancte Trinitatis in episcopatu Magalonensi ad usum fratrum et familie tantum, non debet habere unquam decimas vel primicias Ecclesia Magalonensis.

Et de substancia hujus compositionis est, ut peccorum pastorum et aliorum animalium, que pecoribus domus Sancte Trinitatis sunt vel erunt aliquo modo sociata, Ecclesia Magalonensis legaliter debet habere decimas; et pastores super hiis veritatem sacramento manifestare tenentur.

In peregrinis et viatoribus morientibus infra episcopatum Magalonensem, et [in] cimiterio domus Sancte Trinitatis sepultis, in omnibus ab eis relictis, datis, seu donatis, vel aliis emolumentis, que ad domum Sancte Trinitatis, et hospitale, vel ecclesiam, vel clericos, seu fratres devolventur, occasione seu nomine eorum, Magalonensis Ecclesia habebit medietatem, et domus Sancte Trinitatis aliam medietatem.

Si vero alterius diocesis parrochianus sepulturam ibi elegerit, vel sepultus ibi fuerit, vel aliquis peregrinus, extra fines Magalonensis diocesis moriens, sepulturam ibi acceperit, in hiis que ad hospitale sive domum Sancte Trinitatis transtulerit, nichil habebit Ecclesia Magalonensis.

Ad hec, si aliquis de habitatoribus vel parrochianis Montispessulani, vel peregrinis, vel viatoribus, ibidem morientibus, sepulturam elegerit (1) in cimiterio domus Sancte Trinitatis, vel de illis qui in eadem villa commorabuntur, ex omnibus que propter eorum sepulturam in datis, donatis, relictis ad domum Sancte Trinitatis transferentur, habeat Ecclesia Magalonensis tres partes, et domus Sancte Trinitatis quartam.

Postremo sciendum est, quod si aliquis equum vel arma, que ante suam habebat infirmitatem, domui Sancte Trinitatis, seu hospitalis, vel ecclesie, vel clericis, vel fratribus dimiserit, vel quocumque alienacionis titulo, sanus vel eger, ad domum Sancte Trinitatis, omni remota fraudis suspicione, transtulerit, Ecclesia Magalonensis nichil in armis et equis percipiat.

Si tamen positus in infirmitate arma vel equos habere cepit, et illa domui Sancte Trinitatis quocumque titulo destinaverit, dimidiam partem habeat Ecclesia Magalonensis, et aliam dimidiam domus Sancte Trinitatis ; nisi forte qui equos vel arma domui Sancte Trinitatis deputaverit, fuerit habitator Montispessulani, vel viator ibi decedens, in quo casu armorum et equorum tres partes Ecclesia Magalonensis, et domus Sancte Trinitatis quartam obtinebit.

Preterea ut omnis finis et iniqua machinacio penitus excludatur, si aliquod, excedens summam duodecim denariorum, fuerit oblatum ab una persona tantum oratorio dicto sive altari, seu ministro prefati altaris, in hoc quod excedit memoratam summam duodecim denariorum, habebit ecclesia Sancti Dyonisii medietatem, et domus Sancte Trinitatis aliam.

Et hanc siquidem compositionem faciet per dominum Papam confirmari domus Sancte Trinitatis, et per majorem magistrum et capitulum generale, suis propriis sumptibus et expensis, et confirmatam Magalonensi Ecclesie reddere.

In prefato oratorio habeat domus Sancte Trinitatis unum altare tantum.

Sed et si quis in cimiterio concesso domui Sancte Trinitatis sepultus fuerit, et eidem domui equum vel arma, que post

(1) Cart.: *elegerint.*

infirmitatem ceptam habuit, vel roncinum, vel quodlibet aliud jumentum, ante egritudinem vel postea, nactus, eidem domui reliquerit, tres partes Magalonensi Ecclesie applicentur, et quarta domui Sancte Trinitatis.

Si vero proxime dicta jumenta ante egritudinem nactus fuerit, et in ipso jumento et armis ab ipso antea acquisitis, habeat Ecclesia Magalonensis medietatem, et domus Sancte Trinitatis aliam medietatem.

Preterea si equus alienus vel peccunia, loco equi vel pro equo emendo, domui Sancte Trinitatis relinquatur, secundum modum supra in aliis relictis positum, inter domum Sancte Trrinitatis et Ecclesiam Magalonensem dividatur.

Item procurator domus Sancte Trinitatis, qui modo administrat, et omnes alii qui substituentur vice ejus, eo vivente vel mortuo, et clerici, qui nunc in ecclesia Sancte Trinitatis serviunt, vel in posterum servient, debent expromittere in manu Magalonensis episcopi, presentibus preposito et prioribus Sancti Firmini et Sancti Dyonisii, quod omnia supradicta et singula incommota custodiant, et in virtute sancte obediencie omnes subditos et subjectos illibate faciant custodiri.

Preterea clerici omnes, dicto oratorio servientes, parrochiali ecclesie in processionibus Ramis Palmarum ac Rogacionum, ac in festo beati Dyonisii et sancti Laurencii, honorem impendant et reverentiam exhibeant, quam capelle Montispessulani parrochiali ecclesie exhibere consueverunt.

Preterea excommunicatos ab ipso archidiacono, archipresbitero Magalonensibus, et prioribus Sancti Firmini [et] Sancti Dyonisii, vel nominatim interdictos evitabunt : et, ad mandatum eorumdem, ipsos excommunicatos vel interdictos publice annunciabunt : et ad Magalonenses synodos venient.

Et ego Johannes prepositus, ego Sichardus archidiaconus, ego Poncius sacrista, et Magalonense capitulum, nos omnes... omnia suprascripta laudamus et approbamus tibi fratri Richardo, ministro dicte domus Sancte Trinitatis, et eidem ordini, et domui Sancte Trinitatis, et successoribus tuis nunc et in perpetuum.

Et nos B[ernardus], Dei gratia Magalonensis episcopus,

omnia supradicta laudamus et confirmamus, salvo et retento nobis, in omnibus et per omnia, et successoribus nostris, jure episcopali et ecclesiarum nostrarum, tam in spiritualibus quam in temporalibus.

Et ego frater Richardus, frater et minister dicte domus Trinitatis, et ego Bernardus Scriptor, et ego frater Amicus, et ego Julianus, nos omnes fratres dicte domus Sancte Trinitatis... promittimus vobis domino B[ernardo], Dei gratia Magalonensi episcopo, obedienciam, manus nostras inter manus vestras ponentes, et acceptantes omnia predicta et singula, gratis et ex magna gratia, nobis concessa et Ordini Sancte Trinitatis et Captivorum.

Promittimus, ex mera liberalitate nostra et dicte domus, absque omni paccione,... nos daturos nomine census, singulis annis, liberaliter in festo sancti Dyonisii unam marcham sterlingnorum novorum legalium ecclesie Sancti Dyonisii de Montepessulaneto et ejusdem ecclesie rectoribus.

Promittimus eciam porcionem, superius Magalonensi Ecclesie retentam, fideliter per nos et per successores nostros imperpetuum, qui in eadem domo pro tempore erunt, cum omni integritate reddituros; renunciantes omnibus privilegiis et indulgenciis, habitis et habendis, indultis et indulgendis nobis seu Ordini nostro, seu domui Sancte Trinitatis, et omni juri, scripto et non scripto, quod nobis competit, vel in futurum competere poterit, contra predicta.

Item promittimus... omnia supradicta et singula, bona fide et sine omni fraude et dolo, imperpetuum observaturos, et nullo unquam tempore contra venturos; et juramus super hec sancta Dei euvangelia a nobis corporaliter tacta.

Et ego Firminus, prior ecclesie Sancti Dyonisii de Montepessulaneto, laudo, approbo et confirmo omnia et singula supradicta.

Acta fuerunt hec omnia in capitulo Magalonensi anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo vicesimo quinto, sexto kalendas aprilis, in presencia et testimonio Guigonis fratris domus Sancti Anthonii, Remondi Fabri filii quondam Petri Fabri, Petri Bidocii, Petri Ymberti, Bernardi de Genes-

teto, Guillelmi de Ripa jurisperiti, et aliorum, et mei Bernardi Assaliti, publici Montispessulani notarii, qui mandato dictorum dominorum episcopi, prepositi, archidiaconi et prioris Sancti Dyonisii, et tocius Magalonensis capituli, et prefati ministri, et dictorum fratrum dicte domus Sancte Trinitatis, hec omnia scripsi et complevi.

Et ego Rogerus, major minister tocius Ordinis Sancte Trinitatis et Captivorum, ceterique ministri et fratres ejusdem Ordinis et in generali constituti capitulo, apud Cervum Frigidum celebrato, omnia hec suprascripta laudamus et confirmamus; et, ut hec rata sint et firma, sigilli generalis capituli et nostri munimine duximus roborandum, anno Incarnacionis Dominice millesimo ducentesimo vicesimo quinto, kalendis junii.

(Reg. E, fol. 344 r°).

CCCCXIV. – 10 août 1225

A l'exemple de leurs prédécesseurs, Bertrand de Montlaur et Raimond Vassadel, seigneurs de Vic, reconnaissent tenir le château de Vic de l'évêque de Maguelone.

In nomine Jhesu Christi Domini Nostri. Quoniam que in scriptis rediguntur, feliciter, lapsu temporis, ad memoriam commendantur, ideo clarum et manifestum sit... quod ego Bertrandus de Montelauro, filius quondam Bertrandi de Montelauro, et ego Raimundus Vassadelli, filius domine Vassadelle et quondam Petri de Cornone mariti ejus, eadem domina Vassadella, matre mea, presente, volente et assentiente (1), quod ego Vassadella mater ejus verum esse cognosco, nos ambo ex certa sciencia sequi desiderantes vestigia confidenter predecessorum nostrorum, ad instar instrumentorum, olim ab ipsis super infrascriptis liberaliter confectorum, quorum videlicet tenor hic est :

(1) Cart.: *assensiente*.

Aus tu Willem *etc.* (*T. I, p. 430*).

In nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis M° C° LXI *etc.* (*T. I, p. 210*).

In nomine Domini. Anno Incarnationis ejus M° C° LVII *etc.* (*T. I, p. 193*).

Vobis domino B[ernardo] de Mezoa, Dei gratia Magalonensi episcopo, sollempniter stipulanti atque recipienti, nos prelibati Bertrandus de Montelauro et Raimundus Vassadelli... fortiam de Vico, et totam villam de Vico, cum omnibus et singulis suis pertinenciis et adjacenciis, ut plenius, et sanius, ac melius ad nostrum intellectum antecessores (1) nostri ab Ecclesia Magalonensi et ab antecessoribus vestris episcopis Magalonensibus habuerunt, tenuerunt, possiderunt, vel aliquis pro eis, ab Ecclesia Magalonensi, et a vobis, et successoribus vestris episcopis Magalonensibus in feudum habere, tenere et possidere cognoscimus et profitemur.

Insuper etiam vobis expressim recognoscendo, quod nos et successores nostri, singuli et universi, fortiam sive fortias de Vico, modo extantes ibidem vel deinceps facturas, vobis et successoribus vestris episcopis Magalonensibus, quando et quotiens vobis et ipsis placuerit, ad vestram et ipsorum voluntatem et commonitionem, et claves ipsius forcie omnes ac forciarum reddere et restituere sine dolo, omni fraude prorsus exclusa, promittimus et tenemur; necnon eciam, et pro ipsis omnibus et singulis, vobis et successoribus vestris episcopis, pro se et Ecclesia Magalonensi recipientibus, fidelitatem, juvamen, servitium impendere et hominium facere corporale.

Hiis igitur omnibus et singulis, ita rite peractis atque a prefatis Bertrando de Montelauro et Raimundo Vassadello recognitis et confessis, et predicti Bertrandus de Montelauro et Raimundus Vassadelli, ilico tactis corporaliter sacrosanctis quatuor Dei evangeliis, Ecclesie Magalonensi et memorato domino B[ernardo], ejusdem episcopo, recipienti, et omnibus successoribus ejus episcopis, juraverunt fidelitatem, ut in

(1) Cart.: *attecessores*.

canone fidelitatis plenius est expressum ; deinde incontinenti, nullo medio intervallo, flexis genibus, manibus junctis et intrapositis infra manus ipsius domini episcopi, hominium Ecclesie Magalonensi et ipsi fecerunt, et homines suos esse recognoverunt : et ad hec omnia et singula facienda successores suos firmiter obligaverunt, claves hinc inde forcie eidem domino episcopo tradentes, reddentes et restituentes, pariterque fortiam de Vico sibi restituendo, et possessionem ipsius corporalem tradendo.

In qua fortia, domini episcopi suprascripti mandato et eodem presente, quidam, tam canonici Magalonenses quam laici, pro eodem domino episcopo, extenso vexillo cum signo episcopali, viriliter clamaverunt : *Magalona, pro domino episcopo Magalonensi*.

Unde dominus episcopus memoratus sepedictos Bertrandum de Montelauro et Raimundum Vassadellum, osculum pacis prestando, et successores eorum in sua custodia et protectione recepit in plano ville de Vico, ubi acta fuerunt hec omnia suprascripta, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quinto, quarto idus augusti, in presencia et testimonio Sycardi de Olargis (1) archidiaconi, Poncii de Lunello sacriste, Ugonis de Ameliano archipresbiteri, P. de Monteferrario prioris Sancte Eulalie (2), R. de Lundris operarii, P. de Cornone, et P. de Cornone fratris dicti R. Vassadelli, Poncii de Laureto, canonicorum Magalonensium, P. Lumbardi de Castriis, Guiraldi de Cocone (3) de Cornone priorum ; G. Martini, Poncii Ugonis presbiterorum ; Johannis de Latis, W. de Ripperia jurisperitorum : R. Lanberti, Fredoli de Nefiano, B. de Mezoa, Bertrandi Girberti, P. de Montillis de Vico, Philippi filii Vassadelle, G. de Rivosicco, Poncii Buada, B. Januensis, Bertrandi Rainardi, Deodati Bonerii, Pontii Bidocii, Johannis fratris ejus, Salvatoris Gamanella, P. Bois vicarii de Montebaseno, G. de Marcellano, Johannis Pauli, P.

(1) Cart.: *Alargis*.
(2) Sainte-Eulalie de Mireval.
(3) Cart.: *Conone*.

fratris ejus, B. Garrota, R. filii ejus, B. Passeronis, P. de Scaleriis de Villanova, R. Pacot de Cornone, Johannis Bidocii prioris de Montearnaldo, et P. Guntardi, publici Montispessulani notarii, qui mandatus hec scripsit.

(Reg. A, fol. 18 v°).

CCCCXV. — 28 août 1225

Le prévôt Jean de Montlaur et le chapitre reconnaissent à Bernard de Mèze tout ce qu'ils détiennent de lui dans les paroisses de Maurin, de Cocon, et le quart du Château de Londres.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi, nos Johannes de Montelauro, prepositus Magalonensis, et Magalonense capitulum.... recognoscimus nos tenere in feudum a vobis domino Bernardo (1), Dei gratia Magalonensi episcopo, et a successoribus vestris, omnes possessiones et omnia jura, quecumque sint et qualiacumque sint, que adquisivimus, titulo emptionis seu permutationis, sive quolibet alio titulo, a Petro de Texeriis, milite condam, et Guillelmo de Texeriis ejus nepote, filio condam Ermengavi de Melgorio, et Bernardo Petri de Monteolivo milite, in parrochiis, seu pertinentiis, et territoriis Sancti Andree de Maurino, et Sancti Johannis de Cocone, et dominium quarte partis Castri de Lundris ; dominium cujus quarte partis cum laudimio vestro adquisivimus a Bernardo P[etri] de Monteolivo, milite supradicto. Et pro hiis omnibus debemus nos et successores nostri, et Magalonense capitulum facere vobis domino B[ernardo], Dei gratia Magalonensi episcopo et successoribus vestris, albergam duobus militibus, singulis annis, [in] quibus a vobis, vel a successoribus vestris, fuerimus requisiti.

Et nos Bernardus, Dei gratia Magalonensis episcopus,... laudamus vobis Johanni de Montelauro, Magalonensi prepo-

---

(1) Cart.: *Berengario*.

sito, et successoribus vestris, et capitulo Magalonensi, omnia et singula supradicta, ad omnes voluntates vestras... exceptis ... cum consilio tamen nostro vel successorum nostrorum.

Acta sunt hec omnia et superius scripta sunt laudata apud Magalonam, in generali capitulo Magalonensi in festo beati Augustini, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quinto, quinto kalendas septembris, in presentia et testimonio Stephani de Campo, Johannis de Cabreria, Poncii Thome sacerdotum, Raymundi Lamberti, Guillelmi de Rippa jurisperiti, et plurium aliorum, et Bernardi Britonis notarii, qui, rogatus a partibus, hec scripsit.

(Reg. F, fol. 231 r°; édité par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 239).

CCCCXVI. — 28 août 1225

Bernard de Mèze donne en fief au chapitre de Maguelone la part qui lui appartient sur le Château de Londres.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Anno Incarnationis ejusdem M° ducentesimo vicesimo quinto, quinto kalendas septembris, nos Bernardus, Dei gratia Magalonensis episcopus,... concedimus vobis Johanni de Montelauro, preposito Magalonensi, et successoribus vestris, et capitulo Magalonensi, quod teneatis a nobis et a successoribus nostris in feudum, dominium quod habemus, seu habere debemus, in Castro de Lundris; et quod feudatarii Magalonensis episcopi predicti Castri a vobis et a successoribus vestris, et capitulo Magalonensi teneant dominium dicti Castri.

Concedimus etiam, laudando vobis et successoribus vestris, et capitulo Magalonensi, quod adquiratis, si de jure adquirere poteritis, proprietatem dicti Castri de Lundris, et quod, adquisito dicto Castro, possitis illud habere et tenere ad manum vestram et omnes voluntates vestras, ac successorum vestrorum, et Magalonensis capituli, facere, dando... exceptis... cum consilio tamen nostro, vel successorum nostrorum, et

salva nobis et successoribus nostris dominatione nostra in dicto Castro et ejus pertinentiis.

Et si contigerit, quod Deus avertat, nos vel successores nostros, cum aliquo vel cum aliquibus, guerram habere, debetis nos et successores nostros, et res nostras defendere ac tueri contra omnes inimicos nostros, et ab omnibus inimicis nostris cum dicto Castro, pervento ad manum vestram, et hominibus ejusdem Castri. Quod si facere nolueritis, vel omiseritis, debetis dictum Castrum nobis vel successoribus nostris reddere liberum, et absque omni impedimento, ut cum dicto Castro et hominibus ejusdem Castri, nos et successores nostri possimus guerreirare inimicos nostros, et nos et res nostras defendere ab eisdem.

Pace vero reformata inter nos vel successores nostros cum inimicis nostris vel successorum nostrorum, nos et successores nostri debemus vobis, vel successoribus vestris, et capitulo Magalonensi, dictum Castrum statim reddere, sine omni dilatione et contradictione, absque omni impedimento, liberum et absolutum, cum omnibus rebus quas ibidem invenerimus, eo tempore quo nobis redditum fuerit, vel successoribus nostris, a vobis, aut a successoribus vestris, seu a capitulo Magalonensi.

Preterea sciendum est quod, mutato episcopo in Magalonensi Ecclesia, seu de novo electo et confirmato, sive mutato preposito in Magalonensi Ecclesia, aut de novo electo et approbato in Magalonensi capitulo, tunc existens prepositus in Ecclesia Magalonensi, vel capitulum Magalonense, Castrum predictum de Lundris, perventum ad manum ejus, debet reddere et recognoscere, pro recognitione dominationis, episcopo Magalonensi, tunc existenti in Ecclesia Magalonensi ; quo peracto, statim, absque omni dilatione et contradictione et impedimento, tunc existens episcopus in Magalonensi Ecclesia debet dictum Castrum liberum et absolutum reddere preposito Magalonensi tunc existenti, seu capitulo Magalonensi.

Acta sunt hec omnia apud Magalonam, in generali capitulo Magalonensi, in festo beati Augustini, anno et die predictis, in presentia et testimonio Stephani de Campo, Johannis de

Cabreria, Poncii Thome sacerdotum, Guillelmi de Rippa jurisperiti, Raimundi Lamberti, Petri Berengarii, Willelmi Peironeti, et Bernardi Britonis notarii qui, rogatus a partibus, hec scripsit.

(Reg. F, fol. 211 v°; édité par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 240).

CCCCXVII. — 10 février 1225 (n. s. 1226)

Accord entre Bernard de Mèze, d'une part, et Rostang de Montaubérou et plusieurs autres, d'autre part, au sujet de diverses possessions situées dans la décimarie de Montaubérou.

Testimonio hujus presentis carte publice sit notorium... compositionem esse factam inter dominum B[ernardum], Dei gratia Magalonensem episcopum, comitem et dominum Melgorii ex una parte; et Rostagnum de Montearbedone, filium quondam Rostagni de Montearbedone, et Raimundum de Montearbedone, filium quondam Gaucelmi de Montearbedone per se et fratres suos et sorores, et dominam Dulcelinam, filiam quondam Raimundi de Salviniaco, et Fredolum de Sancto Johanne, filium quondam Hugonis de Sancto Johanne, pro Hugone de Sancto Johanne fratre suo, et se ipso Fredolo, ex altera parte: super patuis de Montearbedone, super quibus multi testes erant producti, in modum publicationis, in curia prefati domini episcopi, in posse Johannis de Latis, judicis et cancellarii domini Magalonensis episcopi prefati, per quem judicem et cancellarium facta fuit ipsa compositio in hunc modum:

Videlicet quod dominus episcopus per se et suos successores habeat et retineat, de predictis patuis, totam integram medietatem pro indiviso, et Rostagnus de Montearbedone per se et suos, et Raimundus de Montearbedone per se et fratres et sorores suas, et domina Dulcelina per se et suos, et Fredolus de Sancto Johanne per Hugonem fratrem suum et per se et

per omnes suos, aliam medietatem predictorum patuorum pro indiviso, cuilibet supradictorum per se et suos, ut dictum est, ipsam dimidiam pro quarta parte pertinendam. Quam medietatem omnes predicti et eorum successores tenebunt a prefato domino episcopo ad feudum ; de quo feudo ipsi et successores eorum fidelitatem dicto domino episcopo facient, et se ipsam ab eo tenere recognoscent ; et facient ei et successoribus suis albergum annuatim quatuor militibus, in anno in quo requiretur sine aliquo alio servicio.

Preterea dicta patua, per hanc compositionem, debent dari ad acapitum a dicto domino episcopo pro dimidia parte, et a supradictis quatuor pro alia dimidia pro aliis quatuor partibus, que faciunt aliam dimidiam, eos contingentibus.

Et ibi tam dominus episcopus quam alii debent usaticum in predictis acapitis retinere ; et illud quod exierit de acapitis, et laudimia subsequentia, debet utraque pars pro dimidia recipere et habere.

Verum pars predictorum feudalium, laudimia et usatica, ad partem suam pertinentia, sine consensu domini episcopi et successorum suorum non poterunt alienare, in solidum vel per partes.

Adhuc etiam in dicta compositione fuit comprehensum, quod locus ille, sive monticulus, in quo terra ad faciendum ollas extrahitur, predicti feudales teneant ad feudum a domino episcopo et successoribus suis, a via publica Melgorii usque ad *Aigavers* ejusdem monticuli, sine aliqua parte et perceptione domini episcopi ; ita quod nullum aliud servicium teneantur ei facere preter fidelitatem et recognitionem feudi et dictum albergum.

Patua vero determinari debent a dicto judice de partium voluntate, ut in omnibus aliis honoribus de Montearbedone, scilicet militum et feudalium, et omnium aliorum hominum, domino episcopo et suis successoribus jus suum integrum remaneat atque salvum, et ipsis feudalibus similiter.

Acta sunt hec anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quinto, quarto idus februarii.

Testes sunt Hugo archipresbiter Magalonensis, Stephanus

Codon canonicus Magalonensis, P. Dalmacius miles, B. Dalmacius, Guiraldus de Cocone, et Ademarus Scriptor notarius, qui hec mandatus scripsit.

(Reg. E, fol. 129 v°; édité par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 224).

CCCCXVIII. — 11 février 1225 n. s. 1226

Bernard de Mèze, évêque, Rostang de Montaubérou, etc., donnent en fief honoré à Jean de Lattes deux monticules situés dans la paroisse de Montaubérou.

Sciant presentes et futuri quod nos B[ernardus], Dei gratia Magalonensis episcopus, comes et dominus Melgorii,... pro dimidia parte indivisa ; et ego Rostagnus de Montearbedone per me et per meos, et ego Raimundus Gaucelmi de Montearbedone per me et per omnes fratres meos et per nostros, et ego Dulcelina de Salviniaco per me et per meos, et ego Fredolus de Sancto Johanne per me et per Hugonem fratrem meum et per nostros, pro alia dimidia parte indivisa... concedimus in feudum honoratum et censatum tibi, Johanni de Latis jurisperito, et tuis, et quibus volueris vel concesseris, ad omnes voluntates tuas faciendas, videlicet duos monticulos in parrochia Sancti Petri de Montearbedone, qui insimul junguntur, et confrontantur ex una parte cum monte de quo extrahitur terra ad faciendum ollas, carraîrone in medio, quod extenditur de via publica, ubit erat puteus, usque ad tapias bonorum hominum de Montearbedone ; et ab illo carrairone usque ad honores qui non sunt nec fuerunt de locis qui dicitur patua ; et ex altera parte usque ad *Aygarers* extrema ipsorum monticulorum, concluso infra has confrontaciones et comprehenso *Aigarers*, quod est inter ipsos duos monticulos, et ex altera parte cum ipsis tapiis.

Verum, pro servicio et censu dicti feudi, dabis in unoquoque anno, et facies domino episcopo Magalonensi albergum uni militi ; et nobis aliis, IIII^or predictis dominis, alteri militi in

illis videlicet annis in quibus dicta alberga fuerint a te vel tuis requisita; et nullum aliud servicium vel censum inde prestabis.

Attamen si predictum feudum omnino venderes, tu vel tui, vel alienares, quod non retineres ibi usaticum, illud tunc tantum, et non alias, faceretis cum consilio et laudimio nostro.

Quod ego Johannes de Latis approbo et concedo; preterea promitto quod in dictis montibus per me vel per meos non fient terrerie, de quibus extrahatur terra ad faciendum ollas.

De Fredolo, quando hoc laudavit per se et per Hugonem fratrem suum et per suos, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quinto, tercio idus februarii, fuerunt testes W. de Montearbedone senior, Durantus de Mesoa, B. de Mesoa frater ejus, W. de Albaterra, Bartholomeus Roberti, et Ademarus Scriptor notarius, qui hec scripsit.

Item quando dominus episcopus omnia supradicta laudavit, anno quo supra, quarto kalendas martii, fuerunt testes Raimundus de Mesoa prior de Veruna, V. de Amiliano archipresbiter, Stephanus Codon, canonici Magalonenses, B. Garnerius bajulus dicti domini episcopi, W. de Fornoles sacerdos, et dictus Ademarus Scriptor notarius, qui mandatus hec scripsit.

Item quando Rostagnus de Montearbedone laudavit omnia supradicta, anno quo supra, IIII kalendas martii, fuerunt testes Stephanus Tabernarius, W. de Vezonobre miles, et dictus Ademarus Scriptor notarius, qui hec mandatus scripsit.

Item quando Raimundus Gaucelmi de Montearbedone per se, et per fratrem suum, et sorores, et per matrem suam, omnia predicta et singula laudavit ipsi Johanni de Latis et suis, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo XX° VI°, pridie idus novembris, fuerunt testes Arnaldus Petri, P. Christofori jurisperiti, W. Ebrardi, W. de Montearbedone major, P. de Ganiacho, et P. de Ganiaco ejus filius, et dictus Ademarus Scriptor notarius, qui hec scripsit.

(Reg. E, fol. 131 v°).

CCCCXIX. — 24 avril 1226

Reconnaissance faite par Pierre de Scaleriis à Bernard de Mèze de tout ce qu'il tient de l'évêque à Villeneuve et dans les paroisses voisines.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Cunctis... sit clarum ac manifestum, quod ego Petrus de Scaleriis, filius quondam Guillelmi de Scaleriis, de consensu, consilio et voluntate expressa domine Vierne matris mee, et propinquorum, et amicorum meorum, videlicet Raimundi Seguini, Petri Almera, Willelmi Rainaudi Monachi, et Bernardi Berengarii militum, presentium.... recognosco vobis domino B[ernardo], Dei gratia Magalonensi episcopo, me tenere in feudum a vobis domino episcopo et successoribus vestris quecumque habeo, teneo, vel possideo, seu aliquis, nomine meo, seu quondam G. de Scaleriis pater meus habuit, tenuit, vel possedit, vel aliquis nomine ejus, in parrochiis et pertinenciis Sancti Stephani de Villanova, Sancte Marie Magdalene *d'Eissendre*, et Sancti Andree de Maurino, et in castro de Villanova.

Et pro hoc feudo debeo vobis dicto domino episcopo et successoribus vestris facere hominium, et jurare fidelitatem, et albergum quatuor militibus singulis annis. Et in presenti facio vobis dicto episcopo hominium, et juro fidelitatem; videlicet quod deffendam et salvabo personam vestram et successorum vestrorum, et omnia membra vestra, et omnes possessiones et res ad episcopum et Ecclesiam Magalonensem pertinentes: et quod tenebo secretum consilium vestrum, nec alicui in dampnum vestri vel Ecclesie Magalonensis revelabo. Et si audiero, vel scire potero, dampnum vestrum vel Ecclesie Magalonensis, illud statim vobis notificabo et successoribus vestris: et omnia illa et singula que sub sacramento fidelitatis continentur, imperpetuum fideliter, et bona fide, et absque omni fraude tenebo, observabo, et adimplebo. Sic Deus me adjuvet et hec sancta Dei evangelia a me corporaliter tacta.

Preterea ego dictus Petrus, sub religione prestiti a me juramenti, promitto vobis dicto domino episcopo et successoribus vestris, quod si ego invenero, vel certificatus fuero per instrumenta, vel aliquo quolibet alio modo, quod pro dicto feudo aliquid plus facere debeam vobis vel successoribus vestris ultra ea que superius scripta continentur, illud plus faciam et adimplebo ad noticiam et voluntatem vestram et successorum vestrorum, absque omni fraude et machinatione.

Promitto etiam sub dicto sacramento vobis dicto domino episcopo et successoribus vestris, quod si vos inveneritis in cartis vestris, quod ego plus teneam vobis vel successoribus vestris facere pro dicto feudo, ultra ea que superius scripta sunt, illud faciam, observabo et adimplebo ad noticiam et voluntatem vestram vel successorum vestrorum ; et cartis vestris credam et fidem omnimodam adhibebo.

Predicta omnia et singula me rata tenere, observare, et contra, jure aliquo, nunquam venire sub dicto sacramento vobis dicto domino episcopo et successoribus vestris firmiter expromitto.

Et nos B[ernardus], Dei gratia Magalonensis episcopus, recipimus hominium et juramentum fidelitatis a te, dicto Petro de Scaleriis, nomine dicti feudi, et pro dicto feudo et recognitione dicti feudi, ut superius scriptum est.

Acta sunt hec omnia apud Villamnovam, in curia dicti domini episcopi, anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, octavo kalendas madii, in presencia et testimonio Guillelmi de Ripa jurisperiti, Stephani Codon canonici Magalonensis, Petri de Mesoha rotundi militis, Raimundi fratris ejus, Bernardi Garnerii, Guillelmi de Tribus viis, Navarre jurisperiti, Bertrandi de Gualazanicis, Petri Fredoli, Willelmi de Macelliano, Raimundi Benedicti, Petri Goiran, Raimundi de Gra, et militum suprascriptorum consanguineorum seu propinquorum dicti Petri de Scaleriis, et plurium aliorum, et mei Bernardi Assalliti, publici Montispessulani notarii, qui mandatus hec scripsi.

(Reg. A, fol. 39 r°).

CCCCXX. — Avril 1226

Le prieur de Sainte-Marie de Melgueil donne à acapte quatre terres sises dans la décimarie de Saint-Martin de Caveyrac.

Anno Dominice Incarnationis M° CC° XX° VI°, mensis aprilis, ego G. Magrini, prior et procurator ecclesie Beate Marie de Melgorio,... in acapitum do... tibi, Johanni de Gabiano, et tuis, et quibuscumque volueris, ad omnes voluntates tuas... exceptis... salvo tamen dominio, et consilio, et usatico nostro, videlicet IIII^or^ pecias terrarum que sunt in decimatione Sancti Martini de Cavayraco.

Quarum una continuatur a vento cum terra quam Petrus de Altiniaco tenet a Sancto Jacobo (1), ab aquilone cum terra liberorum condam Arnaudi de Pamiis, a circio cum terra Petri Truc, carrayrone in medio, a corina cum via publica.

Altera pecia terminatur a circio cum terra Petri Rulle et Jacobi Rulle, a corina cum terra Matheundis, uxoris condam Petri Siguerii, a vento et ab aquilone cum terra Clare, uxoris condam Petri Mancipii.

Tercia pecia confrontatur a corina et a circio cum terra dicte Clare, a vento cum terra dicte Matheundis, ab aquilone cum via qua itur de Carnone apud *Candejanegues* (2).

Quarta pecia conjungitur ab aquilone cum prope dictam viam, a vento cum terra que fuit Petri Gaucelmi, a corina cum terra Pontii et Petri Heremite.

Pro hoc autem accapto habui et recepi a te, nomine accapti, XII solidos melgorienses, quorum penes te nichil ad solvendum remansit; in quibus XII solidis non numerate peccunie [excepcioni] renuncio; et si plus dicto precio valet... tibi dono. Tu autem et tui dabitis inde michi et successoribus meis, dicte ecclesie rectoribus, annuatim in festo sancti Petri augusti III solidos melgorienses, nomine usatici; et si forte cessaveris

(1) Saint-Jacques de Melgueil.

(2) Candillargues, commune du canton de Mauguio.

in solutione usatici per triennium, dictum honorem volo recuperare liberum et absolutum. Et promitto tibi scilicet quod hoc accaptum et hec omnia firma teneam, et contra nunquam veniam, et ab omni contradiccione jure deffendam ; et si per quos inde aliquo modo fuerit evictum, totum tibi jure restituam, et indempnem te inde conservabo ; et renuncio omni juri quo contra hec, aut horum quid, modo vel in posterum me juvare possem. Hec omnia et singula in mea bona fide firmiter observabo.

Testes sunt R. Baudilius canonicus, B. de Marginibus, Petrus Rulla, G. Bona, et Petrus Carbonelli notarius qui hec scripsit.

(Reg. B, fol. 102 r°, et Reg. C, fol. 87 r°).

La copie du registre C présente quelques variantes de peu d'importance, qui proviennent de la mauvaise lecture du copiste de ce registre.

CCCCXXI. — 2 mai 1226

Bernard de Mèze fixe le tarif auquel devront se conformer les habitants de Villeneuve qui feront cuire leur pain au four de cette localité.

Sit notum... quod nos B[ernardus], Dei gratia Magalonensis episcopus, auditis partibus hominum habitancium in castro de Villanova, et consideratis et computatis sumptibus et expensis, que sunt necessarie in furno, et pro furno, et occasione furni dicti castri, facta in nos compromissione spontanea ab habitatoribus dicti castri sub juramento, ab ipsis corporaliter prestito, ut nos, voluntate et arbitratu nostro, imperpetuum statuamus quantum de pasta debent pro decoctione panis facienda in dicto furno ; volentes evitare ne in futurum aliqua (1) possit oriri questio super facto dicti furni et decoctione pastarum facienda imposterum in eodem furno, statuimus, nunc et imperpetuum, per nos et per omnes successores nos-

(1) Cart.: *aliquid*.

tros, quod omnes et singuli habitatores dicti castri, tam presentes quam futuri, qui pastas suas decoquent, vel decoqui facient in furno prelibato, teneantur ab hac die in antea decoquere in furno eodem, et quod nemo habitancium castri memorati, presentium vel futurorum, decoquat vel decoqui faciat pastas suas extra dictum castrum; et quod quilibet, pastas suas in sepedicto furno decoquens, seu decoqui faciens, det tantummodo decimam octavam partem, absque omni fraude et dolo, totius paste que decoquetur a modo in furno prelibato, vel vicesimam; dum tamen ipsi decoquentes, vel decoqui facientes, defferant vel defferi faciant pastas suas ad predictum furnum, et panem suum coctum reportent ad domos suas vel reportari faciant suis propriis sumptibus et expensis.

Preterea precipimus atque interdicimus, ne aliquis habitator vel habitatrix castri sepedicti de cetero audeat emere, ad revendendum in dicto castro, panem coctum extra ipsum castrum.

Acta sunt hec apud Villamnovam, in curia dicti domini episcopi, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, sexto nonas madii, in presencia et testimonio Ugonis archipresbiteri, Stephani Codon, canonicorum Magalonensium, Guillelmi de Ripa, Willelmi de Tribus Viis, Bernardi Garnerii, Philippi de Villanova, Guillelmi de Marcelliano, Poncii Petri, et aliorum, et mei Bernardi Assalliti, publici Montispessulani notarii, qui hec scripsi.

(Reg. A, fol. 40 r°).

CCCCXXII. — 12 juin 1226

Douce, veuve de Maurin de Combaillaux, et Mabille, veuve d'Amand, reconnaissent que Combaillaux fait partie du comté de Montferrand.

In nomine Domini. Anno ejusdem Incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, pridie idus junii, ego Dulcia, uxor quondam Maurini de Combalholis, per me et per infantes meos et per homines de Combalholis; et ego Mabilia, uxor

quondam Amandi de Combalholis, per me et per infantes meos et per homines ejusdem loci.... agnoscimus tibi Raimundo Bruneneo, Montisferrandi bajulo, recipienti pro domino B[ernardo], Dei gratia Magalonensi episcopo, comite Melgorii et Montisferrandi, quod nos, et infantes nostri, et homines, et villa de Combalholis, sunt de dominacione et potestativo Montisferrandi, et ad mandatum ipsius tenemur facere *host*, et cavalguadam (1), et segui, et omnia alia que ville et forcie, sub dominacione et potestativo dicti castri Montisferrandi constitute, pro eodem castro tenentur facere; et, sicut alie forcie et ville, tenemur dicto castro obedire.

Et ego dictus Raimundus Brunenchi, bajulus Montisferrandi, per dictum dominum episcopum et successores suos, et per me et successores meos futuros bajulos Montisferrandi, promitto et convenio vobis, predictis dominabus, et infantibus vestris, et hominibus de Combalholis presentibus et futuris, quod nos salvabimus et deffendemus vos et villam dictam ab omni violencia et oppressione, sicut alios homines, constitutos sub dominacione et potestativo dicti castri de Monteferrando.

Acta sunt hec anno et die quo supra, in presencia et testimonio Deodati Cardinalis, Raimundi de Podio, Guiraudi Bedocii, Bartholomei, Petri de Manso, et Raimundi de Scaleriis, habitatoribus de Combalholis, Johannis de Latis jurisperiti, Guillelmi Luciani, Guillelmi de Montearbedone, et mei Bernardi Assalliti, publici Montispessulani notarii, qui rogatus hec scripsi.

(Reg. E, fol. 274 v°).

CCCCXXIII. — 22 octobre 1226

A la demande d'Étienne de Cabannes, Bernard de Mèze approuve l'élection faite du précepteur de l'hôpital du Salaison.

Cunctis... innotescat, quod Stephanus de Cabannis, preceptor seu gubernator quondam hospitalis de Salarone, veniens

---

(1) Cart.: *calvaguadam*.

coram domino B[ernardo], Dei gratia Magalonensi episcopo, obtulit et presentavit, pro se et universis et singulis fratribus et sororibus dicti hospitalis, eidem domino episcopo scilicet Petrum de Sancto Genesio, ejusdem fratrem hospitalis, dicens quod tam ipse quam omnes et singuli fratres ac sorores dicti hospitalis, communi assensu et voluntate, eundem Petrum in preceptorem seu gubernatorem memorati elegerant hospitalis.

Unde supplicans postulavit humiliter ac devote, pro se ac universis et singulis fratribus et sororibus dicti hospitalis, a predicto domino episcopo, ut ipse dominus episcopus dignaretur, si placeret, dictum Petrum electum instituere in preceptorem seu gubernatorem hospitalis sepedicti, et ejus electionem confirmare.

Quibus predictis omnibus et singulis diligenter auditis et intellectis, prelibatus dominus episcopus sepedictum Petrum de Sancto Genesio in preceptorem seu gubernatorem predicti instituit hospitalis, et ejus electionem confirmavit.

Et ego dictus Petrus de Sancto Genesio, hanc institucionem recipiens a vobis dicto domino episcopo, promitto vobis in manus vestras, et successoribus vestris, obedienciam manualem.

Acta sunt hec anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, undecimo kalendas novembris, in presencia et testimonio Raimundi de Mesoha (1), prioris de Veiruna, Stephani Codon, canonicorum Magalonensium, Guiraudi de Cornone, prioris de Cornone, Raimundi Brunenchi, prioris de Lansanicis, Bernardi Garnerii, Duranti Clerici, et Bernardi Assailliti notarii, qui mandatus hec scripsit.

(Reg. E, fol. 46 r°).

---

(1) Cart.: *Mescha.*

CCCCXXIV. — 9 novembre 1226

Reconnaissances faites pour le mas de Casesmales (près de Tréviès) à Jacques Lombard, qui tenait ce mas de l'évêque de Maguelone.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Presentibus pateat et futuris quod ego, Guillelmus de Costa, facio et constituo me hominem tui domini Jacobi Lumbardi, pro manso de Casismalis, et ratione dominii ipsius mansi ; cujus mansi te habere dominium et possessionem, cum voluntate et auctoritate domini Magalonensis episcopi et domini Montisferrandi, profiteor et cognosco ; et fidelitatem, et vitam, et membra, et hominium per me et per meos tibi juro ; et, flexis genibus, et junctis manibus meis inter manus tuas, in Dei fide et tua, me et meos mitto. Hec omnia me completurum, et nullo jure contra venturum promitto, et juro tibi per hec sancta Dei evangelia a me tacta, salva tamen in omnibus et per omnia dominacione et jurisdiccione domini Magalonensis episcopi et curie sue Montisferrandi.

Et ego predictus Jacobus Lombardi, dominus predicti mansi, promitto tibi, dicto Willelmo de Costa, quod bonus dominus et legalis tibi ero, et inde te et tuos, dato osculo, in Dei fide et mea recipio.

Hoc idem promisit et juravit, et eodem per omnia modo et forma, Willelmus Berengarii pro dicto manso de Casismalis.

Item hoc idem promisit Willelmus [de] Teuleria pro uxore sua.

Item hoc idem juravit et promisit Arnaldus de Casismalis per se et per suos.

Item hoc idem juravit et promisit Willelmus Clari pro uxore sua.

Item hoc idem juravit et promisit Guiraldus Arpini.

Item hoc idem juravit et promisit Petrus de Costa per se et omnes suos.

Item hoc idem juravit et promisit Poncius Arpini per se et per suos.

Item hoc idem juravit et promisit Willelmus de Boicheriis pro se et suis :

Ita videlicet quod, sicut unquam melius vel plenius ipsi, vel eorum antecessores, vel uxores, fuerunt homines alicujus domini dicti mansi de Casismalis pro ipso manso, vel pro manso de Costa, vel eorum pertinentiis, ita volunt esse homines dicti domini Jacobi Lombardi, tanquam domini dicti mansi de Casismalis.

Et ita omnes promiserunt et juraverunt super sancta Dei evangelia, corporaliter tangentes ea.

Et dictus dominus Jacobus Lombardi omnes predictos in Dei fide et sua recepit, dato osculo.

Acta sunt hec et laudata in dicto manso de Casismalis, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, quinto idus novembris, presente ad hoc et consenciente Raimundo Brunenc, bajulo Montisferrandi pro domino episcopo Magalonensi.

Item fuit presens domina Maria, uxor Willelmi Raimundi de Casismalis ; fuit eciam presens Willelmus de Castanerio, et filius ejus Frezolus.

Horum omnium sunt testes Petrus Christofori, Petrus Raynaldi, jurisperiti, magister Rogerius, Petrus Luciani draperius, Johannes Roca, Petrus Seguinus, Poncius *Dieulofes*, Raimundus Vinada, Johanninus scutifer, Petrus de Rossone, et alii, et Petrus de Furno notarius, qui hiis omnibus interfuit et hec scripsit.

Ego Petrus de Furno notarius supradictis omnibus testis interfui, et hanc cartam scripsi cum quadam suprascriptione in quarta linea facta, que dicit *et flexis genibus*, et ad majorem firmitatem habendam, et quod nullum dubium sit in hac carta, pro dicta suprascripcione hic subscripsi, et signum meum apposui.

(Reg. E, fol. 309 v°).

CCCCXXV. — 5 décembre 1226

Raimond Lambert donne quittance à Bernard de Mèze de la somme de 10.000 sols melgoires sur les 14.000 qu'il lui devait.

In nomine Domini. Anno ejusdem Incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, nonis (1) decembris, manifestum sit presentibus et futuris quod ego Raymundus Lamberti cambitor... recognosco vobis domino B[ernardo], Dei gratia Magalonensi episcopo, comiti et domino Melgorii et Montisferrandi, me habuisse, et plenarie a vobis numerando recepisse, decem milia solidorum melgoriensium, ex illis quatuordecim milibus solidorum, in quibus cum instrumento, per manum Ademari Scriptoris notarii confecto, michi tenebamini obligatus; quos quatuordecim milia solidorum in evidentem utilitatem castri Montisferrandi, ut in dicto continetur instrumento, vobis mutuavi; in quibus decem milibus solidis expressim, et ex certa sciencia, excepcioni non numerate pecunie renuncians, per me et per meos, libero et absolvo et imperpetuum quittum clamo vos, dictum dominum episcopum, et successores vestros, et omnia bona et res ad comitatum Melgorii et Montisferrandi, necnon et ad Magalonensem episcopatum pertinentes, videlicet a predictis decem milibus solidorum, et omni juri, occasione ipsorum, adversus vos aut successores vestros michi competenti; sciens preterea et recognoscens, quod, cum quatuor milibus solidorum, michi et meis erit plene satisfactum in toto dicto debito quatuordecim milium solidorum; et quod ex toto ipso debito quatuordecim milium solidorum non remanent ad solvendum michi vel meis, nisi tantum modo dicta quatuor milia solidorum.

Acta sunt hec anno et die quo supra, in presencia et testimonio Ugonis archipresbiteri, Stephani Codon, canonicorum Magalonensium, Raymundi Brunenc prioris de Lansanicis,

---

(1) Cart.: *nonas.*

Guiraudi (1), prioris ecclesie de Cornone, et mei Bernardi Assailliti notarii, qui mandatus hec scripsi.

(Reg. E, fol. 90 v°).

CCCCXXVI. — 18 décembre 1226 (?

Pierre du Pont vend à l'évêque de Maguelone certains cens et usages qu'il a à Gigean.

In nomine Domini. Anno ejusdem Incarnacionis millesimo ducentesimo [vicesimo] sexto, quinto decimo kalendas januarii, ego Petrus de Pontibus... vendo... vobis domino B[ernardo], Dei gratia Magalonensi episcopo, et successoribus vestris, ad omnes voluntates vestras... videlicet tres eminadas ordei censuales, quas habeo in quadam pecia terre, quam a me tenet Martinus Alazardi ; et est in parrochia Sancti Genesii de Gigano, et confrontatur ex duabus partibus cum honore vestro, et ex alia cum via publica.

Item sex denarios censuales, quos habeo in alia pecia terre quam a me tenet Guillelmus Benedicti, et est in dicta parrochia, et confrontatur ex una parte cum honore Bernardini, et ex alia cum campo magistri Rotgerii sacerdotis, et ex alia cum honore Raimundi Alamandi.

Item duos solidos censuales, quos habeo in quodam stari quod est infra castrum de Gigano, quod a me tenet Raimundus de Viridario ; et confrontatur ex una parte cum domo Berengarii de Levanhaco, et ex alia cum stari ipsius Berengarii, et ex alia cum via publica.

Item novem denarios censuales, quos habeo in quadam domo, quam a me tenet infra dictum castrum Bernardus de Solerio ; et confrontatur ex una parte cum stari ipsius Bernardi de Solerio, et ex alia cum via publica ; quod scilicet stare ipse Bernardus a me tenet.

Item omnia prorsus jura, laudimia, census, usatica, et consilia que habeo [et] habere possum, vel debeo, in omnibus

(1) Cart.: *Guiraudo*.

honoribus et singulis supradictis, quos omnes honores tenebam a vobis in feudum.

Item vendo vobis et successoribus vestris, eodem modo, omnia specialiter et generaliter jura, census, usatica, laudimia et consilia que habeo, [et] habere possum, vel debeo, infra castrum de Gigano et pertinenciis ejusdem castri ; illa videlicet que ibi in feudum a vobis teneo, vel quolibet alio modo ibi a vobis visus sum tenere ; quorum omnium predictorum et singulorum vobis venditorum corporalem seu vacuam possessionem, vestra propria auctoritate, volo vos adipisci et in ipsa vos introduco.

Nomine autem hujus vendicionis, cessionis et concessionis scio et recognosco me a vobis habuisse, nomine precii, triginta quinque solidos melgorienses, ita quod nichil ex ipsis penes vos remansit ad solvendum ; in quibus expressim et ex certa sciencia excepcioni non numerate peccunie et precii non recepti renuncio : et [si] quod amplius predicta omnia et singula dicto valent precio, aut in futurum valebunt, illud totum... dono... promittens vobis... quod predicta omnia... jure deffendam ; et pro omni hoc et pro eviccione... obligo vobis et successoribus vestris me et omnia usatica, census, consilia, laudimia, et jura que habeo et habere possum vel debeo in toto pertinemento de Gigano quem teneo a Guillelmo Ermangavo, Raimundo de Cornone, et Bernardo de Marcilliano, et generaliter omnia alia bona et singula sub renunciacione cujuslibet juris... et juro per hec sancta Dei evangelia, a me corporaliter tecta.

Acta sunt hec anno et die quo supra, in presencia et testimonio Raimundi de Mesoha, prioris de Veiruna, Raimundi de Lundris operarii Magalonensis, Ugonis Bidocii, prioris Sancti Guillelmi, et Raimundi Assailliti qui mandatus hec scripsit, et fecit rasuram in XIIII[a] linea usque dicit : *tenebam*.

(Reg. F, fol. 93 r°).

CCCCXXVII. — 9 février 1226 (n. s. 1227)

Reconnaissance d'une terre faite à Bernard de Mèze.

Manifestum sit presentibus et futuris quod ego Richartz, uxor quondam Johannis Surlloti... recognosco vobis domino B[ernardo], Dei gratia Magalonensi episcopo, me habere et tenere a vobis et successoribus vestris, videlicet totam unam tenentiam terre in qua est vinea pro quadam parte; quam tenentiam terre, olim dominus Guillelmus de Montellis, pater meus, emit a Johanne Benedicto, filio quondam Benedicti de Vienna. In qua dicta tenentia terre erant, tempore dicte emptionis, duo planteria et una vinea; que duo planteria confrontabantur, ex una parte cum ipsa vinea dicta, que nunc est campus, et ex alia parte cum vinea Guillelmi Radulphi, et ex alia cum vinea quondam Johannis *Escauda Lebres*, et ex alia cum vinea quondam Bernardi de Giniaco.

Vinea vero dicta, que nunc campus est in dicta tenentia situs, confrontatur ex una parte cum honore Stephani Benedicti, et ex alia cum vinea quondam Jacobi Laurencii notarii, et ex alia cum terra quondam Petri de Tholosa, agarella in medio, et ex alia cum vinea Stephani Benedicti.

Predictam igitur terram totam, que est in tenentia dicta, ut supra confrontatum est, me et meos successores imperpetuum tenere volo a vobis domino episcopo memorato et successoribus vestris; et, pro ea tenentia terre, ego et mei successores debemus dare vobis et successoribus vestris, pro usatico, octo solidos melgorienses annuatim in festo sancti Michaelis; et eciam, in dicta terra, vos et vestri debetis percipere quartum ex fructibus inde provenientibus, sive terra dicta plantata sit ad vineam, sive non. Quod quartum [ego] et mei successores debemus et tenemus defferre, nostris propriis sumptibus, in domo vestra in Montepessulano. Verumptamen ego et mei successores habemus, in dicta tenentia terre, quando esset tota plantata ad vineam, sex saumatas (1) race-

(1) Cart.: *saumata*.

morum guardiales et viginti quatuor vites, et sex denarios pro trollatico; que debemus et possumus levare ex fructibus dicte terre, cum tota esset redacta ad vineam, ita quod vos, domine episcope, vel vestri successores, non habetis nec habere debetis inde quartum. Verum si tota dicte terre tenentia non esset plantata, non debemus ego vel mei levare aliquid ex predictis sex saumatis (1), vel viginti quatuor vitibus, aut sex denariis, sive quarto.

Et nos B[ernardus], Dei gratia Magalonensis episcopus memoratus, scientes omnia et singula suprascripta esse vera, ea laudamus, et per nos et successores nostros perpetuo confirmamus tibi, dicte Richarde, et tuis, scientes nos habuisse et recepisse usaticum dictum, pro dicta terra nobis competens, a te Richarda, usque ad proximum preteritum festum sancti Michaelis; et si jus aliquod incursionis vel commissionis nobis in dicta terra competebat, ratione census vel canonis, nobis preterito tempore non soluti, vel alio modo, bono animo, per nos et per nostros successores tibi, prefate Richarde, et tuis remittimus, et te et tuos inde absolvimus, et quitiam clamamus, et etiam ipsam terram superius confrontatam.

Acta sunt hec anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, quinto idus februarii, in presencia et testimonio domini Hugonis, Stephani Codon, canonicorum Magalonensium, Bernardi Dalmacii, Bernardi Amelii, Guillelmi Duranti, Willelmi Alberti, Willelmi de Montillis, et Bernardi Assalliti notarii, qui mandatus a partibus hec scripsit.

(Reg. E, fol. 138 r°).

CCCCXXVIII. — 15 février 1226 (n. s. 1227)

Vente d'une maison à l'église de Sainte-Marie de Melgueil.

Anno Dominice Incarnationis M° CC° XX° VI°, et mense febroarii, XV kalendas marcii, ego Brunus de Ballanicis... ven-

(1) Cart.: *saumantis*.

do... Domino Deo et ecclesie Beate Marie de Melgorio, et tibi, domino Guillelmo de Castris, ejusdem ecclesia priori (1) et procuratori, et omnibus successoribus tuis, ad omnes tuas tuorumque successorum voluntates in perpetuum faciendas, videlicet totum unum stare cum suis hedificiis, introitibus, et exitibus (2), et pertinenciis suis omnibus, quod a te et a dicta ecclesia tenebam sub usatico XII denariorum Melgorii annuo; et conjungitur a circio cum stari Guillelmi Raimundi, a vento et ab aquilone cum stari Guillelmi Baylie, a corina cum via publica.

Pro hac autem venditione... habui et recepi a te, nomine precii, CCC solidos Melgorii, quorum penes te nichil ad solvendum remansit, et in hiis CCC solidis Melgorii predictis exceptioni non numerate pecunie et non soluti precii renuncio: et si plus dicto precio valet... illud totum tibi et ecclesie prefate dono... et ab omni contradictione deffendam: et si quid inde aliquando ablatum vel evictum fuerit, totum... restituam... renuncians omni juri... Hec omnia et singula... sacrosanctis evangeliis a me corporaliter tactis, et omnibus bonis meis inde ypothecatis, in perpetuum firmiter observabo.

Testes sunt Bertrandus de Ballanicis canonicus, Petrus Filiolus, et Gaucelmus de Pignano presbiteri, Petrus Grossus, R. Lautardus, Petrus Rulla, et Petrus Carbonellus notarius, qui hec omnia scripsit.

(Reg. C, fol. 87 v°).

CCCCXXIX. — 7 mars 1226 (n. s. 1227).

Philippe de La Vérune donne à acapte quatre sols de Melgueil et tous les droits qu'il a sur certains biens sis à Gigean.

In nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis millesimo CC° XX° VI°, nonis (3) marcii, ego Philippus de Veiruna...

---

(1) Cart.: *prioratis*.
(2) Cart.: *exxitibus*.
(3) Cart.: *nonas*.

dono... jure accapiti tibi Pontio Poma. et tuis. et quibus volueris vel dimiseris ad omnes voluntates tuas... exceptis... cum consilio tamen meo vel meorum, videlicet quatuor solidos melgorienses et unum denarium censuale. et omne consilium. dominium. laudimium, et totum jus quod habeo... in quibusdam honoribus qui sunt in decimaria Sancti Genesii de Gijano.

De quo honore habet Martinus Alasardi et tenet unam petiam terre, nomine accapiti; que confrontatur ex una parte cum vinea que fuit quondam Grallonis. et ex alia cum terra Bernardi de Palla; pro quo petia terre predicta donat, singulis annis, pro usatico XVIII denarios melgorienses.

Similiter de hoc eodem honore tenet et habet Bernardus de Palla alteram peciam terre pro qua donat annuatim XII denarios; confrontatur ex una parte cum terra prefata Martini Alasardi, et ex alia cum terra Petri Bertrandi.

Et Guillelmus Lobon tenet et habet de isto honore quamdam domum cum curte infra castrum de Gijano, pro qua donat annuatim pro usatico XII denarios; confrontatur ex una parte cum domo Bndi de Solario, et ex alia cum domo Bndi de Palla.

Item de hoc honore predicto tenet Berengarius de Levannaco et habet unam peciam terre, pro qua donat, singulis annis, pro usatico VI denarios melgorienses; et confrontatur ex una parte cum terra Bernardi de Cumba, et ex alia cum terra Petri Garnerii.

Similiter de isto honore tenet et habet Petrus Garnerii unam petiolam terre: donat michi annuatim pro usatico I de[narium]; confrontatur ex una parte cum terra Raymundi Johannis, et ex alia cum riperia Avene.

Totum usaticum prescriptum IIII[or] solidorum et unum denarium. scilicet predictos, et omne consilium, dominium, et laudimium, et totum jus quod habeo... in honore predicto. dono... tibi Pontio Poma et tuis. Nomine autem hujusmodi donationis. firme et perpetuo jure vallate, dedisti michi pro accapito LXX solidos melgorienses. quos de te bene habui et recepi. in quibus ex certa sciencia renuncio exceptioni non

numerate peccunie et non solute. Et pro omnibus predictis dabis annuatim michi vel meis pro usatico in festo beati Michaelis I denarium melgoriense tantum ; cujus quidem usatici, consilii, dominii et laudimii tibi pocessionem trado... et eum adipisci tua propria auctoritate jubeo, et... promitto quod te et tuos faciam habere semper et tenere quiete... et pro evictione... me et omnia mea... obligo... sic Deus me adjuvet et hec sancta Dei IIII^or euvangelia a me corporaliter tacta.

Testes sunt Petrus de *Vallauques*, Guillelmus de Lescura, Johannes Raymundi, Guillelmus de Comba et Deodatus de Burgada notarius, qui hec scripsit.

Hanc totam donationem accapiti laudavit et confirmavit Ermengariz, uxor dicti Philippi ; et si quod jus in predictis sibi competebat, nomine ipothece vel pignoris, vel alio modo, illud cessit sibi, et quod nunquam contra veniret, et per sancta IIII^or Dei euvangelia promisit, renunciando beneficio minoris etatis, et omni juri quo contra venire posset ; et habuit inde pro laudimio V solidos melgorienses, ita quod nichil remansit in debitum.

Hujus rei sunt testes P. de *Vallauques*, G. de Lescura et Deodatus de Burgada notarius, qui hec scripsit.

(Reg. B, fol. 216 v°).

CCCCXXX. — 23 mai 1227

Grégoire IX revendique auprès de saint Louis les droits de l'Église Romaine sur le comté de Melgueil.

(Reg. C, fol. 80 v°; Reg. E, fol. 249 r°; et Reg. F, fol. 117 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 110.

CCCCXXXI. — 23 mai 1227

Grégoire IX se plaint à l'archevêque de Narbonne que Raimond Pelet et quelques autres seigneurs des diocèses de Nimes et de Maguelone détiennent les actes du comté de Melgueil : il lui ordonne de les faire restituer.

(Reg. F, fol. 117 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 114.

CCCCXXXII. — 23 mai 1227

Grégoire IX renouvelle à l'évêque de Maguelone l'inféodation du comté de Melgueil.

(Reg. F, fol. 164 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 115.

CCCCXXXIII. — 25 mai 1227

Grégoire IX ordonne à l'archevêque de Narbonne de faire publier par toute la province que l'évêque de Maguelone tient le comté de Melgueil de l'Église Romaine.

(Reg. F, fol. 171 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 118.

CCCCXXXIV. — 26 mai 1227

Grégoire IX permet à l'évêque de Maguelone d'unir de nouveau à la mense épiscopale l'église de Ganges quand elle sera vacante. Elle avait été donnée à son neveu par Guillaume d'Autignac.

(Reg. F, fol. 120 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 120.

CCCCXXXV. — 18 août 1227

Échange entre Bernard de Mèze et Guillemette, veuve de Bérenger de Pignan.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Hec est carta permutationis seu escambii facte inter dominum B[ernardum], Dei gratia Magalonensem episcopum, ex una parte, et dominam Guillelmam, uxorem condam Berengarii de Piniano (1), ex altera ; videlicet quod nos B[ernardus], Dei gratia Magalonensis episcopus,... nomine escambii seu permutationis concedimus et desamparamus, habito consilio quod melioramentum est episcopatus Magalonensis, tibi prefate Guillelme et tuis, pro libero et franco alodio, ad omnes tuas tuorumque voluntates... videlicet omnia omnino jura nobis et ad jus episcopale pertinencia seu competencia, nomine dominationis et senhorini competentis nobis, in octava parte tocius cujusdam garrice, quam infantes tui habent et tenent de nobis in feudum, in parrochia Sancti Andree de Cogullo ; et tota garrica confrontatur ex una parte a corina cum garrica domus Milicie, ex altera a vento cum nemore ipsius domus, quod ipsa domus habuit a Guillelmo de Soregio, et ex alia cum carreria qua itur versus Salicra ;

Et in duabus peciis terrarum, que sunt in dicta parrochia, et octo denarios censuales, et jus omne atque dominium que habemus in quadam parrane, que est in eadem parrochia.

Una vero ex dictis duabus peciis terrarum confrontatur ex una parte cum carreria qua itur a Montebazeno versus Guodor, et ex alia a corina cum honore Arcinaudi, et ex alia a vento cum carreria qua itur versus mansum de Launaco (2).

Alia confrontatur ex una parte cum honore domus [Milicie ?], et ex alia cum carreria qua itur versus Sanctum Martinum de Scafihaco (3), et ex alia cum honore Arcinaudi.

---

(1) Cart.: *Piniaco*.

(2) Cart.: *Lausano*.

(3) Saint-Martin de Scafiac, ancien prieuré, commune de Cournonterral.

Et parranis predicta confrontatur ex una parte cum carreria, et ex alia cum campo Guillelmi de Launaco, et ex alia cum honore domus Milicie.

Quos omnes honores et singulos supradictos dicti infantes tui a nobis habent et tenent in feudum; et promitens tibi quod omnia supradicta et singula a nobis, permutacionis nomine tibi superius concessa, faciemus pro franco et libero allodio te et tuos imperpetuum habere, tenere et quiete possidere, et ab omni contradicente jure et judicio deffendemus, et pro omni hoc et pro evictione... obligamus tibi et tuis nos et omnia bona, ad episcopatum Magalonensem pertinencia, promittentes preterea nos ea omnia et singula rata et firma tenere, et contra nunquam venire.

Et ego prefata Guillelma,... nomine permutacionis seu escambii, concedo et desamparo, pro libero et franco alodio, vobis, dicto domino episcopo, et successoribus vestris, ad omnes vestras prorsus voluntates plenarie faciendas... videlicet dominationem majorem et superiorem consenhorinum in tota una condamina, quam teneo ad manum meam in parrochia Sancti Johannis de Salsano, et omne dominium, quartum et usaticum novem denariorum, que habeo in eadem vinea, que est in eadem parrochia, quam de me tenet Poncius de Salsano; ita quod omnia predicta deinde recognosco me tenere, habere et possidere a vobis et vestris successoribus in feudum, ego et mei, ita quod aliquod predictorum non possumus alienare omnino, nisi retineremus (1) ibi dominium, consilium, laudimium, et usaticum; quod si faceremus, illud debemus facere cum consilio vestro et successorum vestrorum.

Predicta siquidem condamina confrontatur ex una parte cum riperia de Bruha, et ex alia cum carreria qua itur versus Pinianum, et ex alia cum camino publico quo (2) itur versus Montempessulanum.

Vinea vero ex una parte confrontatur cum vinea Guillelmi de Popiano, et ex alia cum honore quondam Guillelmi Atrandi,

(1) Cart.: *reteneremus.*
(2) Cart.: *qua.*

et ex alia cum vinea Poncii de Salsano, et ex alia cum honore Alamande.

Et promitto vobis, predicto domino episcopo, quod omnia predicta et singula, a me vobis et successoribus vestris, dicte permutationis seu escambii nomine, concessa superius, faciam vos et successores vestros imperpetuum, pro libero et franco alodio, habere, tenere et quiete possidere, et ab omni contradicente jure et judicio defendere; et pro omni hoc et pro eviccione universali vel particulari, obligo vobis et successoribus vestris me et omnia bona mea; promittens preterea me predicta omnia et singula rata et firma imperpetuum tenere, observare et contra jure aliquo numquam venire. Preterea promitto vobis quod omnia instrumenta ad predictum feudum, a me vobis superius concessum, scilicet garrice aliorum supradictorum honorum pertinencia, vobis reddam ad commonicionem vestram. Predicta omnia et singula me observaturam... juro per hec sancta Dei evangelia a me corporaliter tacta sub eodem renunciationis sacramento omni juri... Preterea juro vobis, pro dicto feudo et nomine dicti feudi, fidelitatem.

Acta sunt hec omnia anno Dominice Incarnacionis M° II^c vicesimo septimo, quintodecimo kalendas septembris, in presencia et testimonio Johannis de Latis jurisperiti, Raymundi Brunenchi prioris de Lansanicis, Stephani Codon canonici Magalonensis, Guiraudi de Cocone prioris de Cornone, Guillelmi de Fornoles sacerdotis, Bernardi Dalmacii, et Bernardi Assaliti notarii, qui, mandatus a partibus, hec scripsit.

(Reg. D, fol. 219 r°).

CCCCXXXVI. — 22 août 1227

Les habitants de Sainte-Croix de Quintillargues se reconnaissent vassaux de l'évêque de Maguelone, et lui jurent fidélité.

In nomine Domini. Cunctis... sit clarum et manifestum quod nos, Johannes de Cumba, Vesihanus de Podio Arnaudo, Raimundus Amancii, Vesihanus de Cumba, Guillelmus de Amic-

dala, Raimundus Quentari, Guiraudus de Burgueria, Raimundus de Amiedala et Petrus de Burgada, nos omnes predicti et singuli, habitatores ville Sancte Crucis de Quintillanicis, scimus et... recognoscimus domino B[ernardo], Dei gratia Magalonensi episcopo, comiti et domino Melgorii et Montisferrandi, et tibi Raimundo Brunencho, bajulo Montisferrandi, pro ipso domino episcopo et comite stipulanti, ac pro ipso hanc recognitionem recipienti, quod comes Melgorii et Montisferrandi habuit semper *host*, cavalgadam et justiciam sanguinis in ipsa villa Sancte Crucis et habitatoribus ejusdem ville. Et (1) hanc recognitionem facimus prelibato domino episcopo, comiti et domino Melgorii et Montisferrandi, et tibi dicto bajulo recipienti pro ipso, scientes et recognoscentes eumdem dominum episcopum, comitem et dominum Melgorii et Montisferrandi, predicta omnia et singula, scilicet *host*, cavalgadam et justiciam sanguinis, ratione dicti comitatus, in nobis et dicta villa Sancte Crucis (2) habere.

Insuper etiam juramus fidelitatem dicto domino episcopo, comiti dominoque Melgorii et Montisferrandi, et tibi dicto bajulo, pro ipso recipienti, salvo tamen alio jure et alio dominio monasterii Anianensis, et ecclesie de *Fontanes*, que ibi habent et habere debent.

Acta sunt hec in dicta villa Sancte Crucis, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo septimo, undecimo (3) kalendas septembris.

Testes horum sunt Guillelmus de Pontibus, prior de *Fontanes*, Berengarius de Lavanhaco, Raimundus Gafuher, Arnaldus Petri, et Bernardus Assalliti, publicus Montispessulani notarius, qui predictis omnibus presens interfuit, et hec mandatus scripsit, et ibi signum suum apposuit; et fecit rasuram in undecima linea que dicit *villa*.

(Reg. C, fol. 176 v°).

(1) Cart.: *vel*.
(2) Cart.: *Cruscis*.
(3) Cart.: *undesimo*.

CCCCXXXVII. — 17 septembre 1227

Raimond de Roquefeuil reconnaît à Bernard de Mèze le château de Brissac.

Manifestum sit cunctis.... quod Raimundus de Rocafolio reddidit castrum et turrim de Breissaco, et claves portaliúm ipsius castri et turris, Raimundo Brunencho, bajulo domini B[ernardi], Dei gratia Magalonensis episcopi, comitis et domini Melgorii et Montisferrandi, mandato ipsius domini episcopi comitis; qui Raimundus Brunenchus, receptis predictis clavibus, ascendit cum sociis suis super dictas munitiones et dictam turrim, et expanso ibi vexillo dicti domini episcopi comitis, et, ipso sublevato, clamavit et clamari fecit: *Melgorium pro domino Magalonensi episcopo, comite et domino Melgorii;* et munivit dictam turrim et castrum hominibus suis, et dimisso ibi vexillo, sublevato super dictam turrim, recepit recognitionem pro dicto domino episcopo, comite et domino Melgorii et Montisferrandi, a dicto Raimundo de Rocafolio in hunc modum :

Ego Raimundus de Rocafolio, filius condam Raimundi de Rocafolio, dominus pro parte castri de Breissaco, confiteor et recognosco domino Bernardo, Magalonensi episcopo, comiti et domino Melgorii et Montisferrandi, quod antecessores mei et ego tenuimus et tenemus forcias et municiones, quas in castro de Breissaco habeo, vel alii pro me, presentes et futuras, factas et faciendas, tam in dicto castro, quam in toto mandamento ejusdem castri; quas teneor reddere predicto domino episcopo comiti et successoribus suis, vel mandatariis eorumdem, per pacem et per guerram, iratus et paccatus, quandocumque et quotienscumque a me et successoribus meis requisitum fuerit; de quibus omnibus et singulis, et pro ipsis, per me et per omnes successores meos, prefato domino episcopo comiti, et successoribus suis in comitatu Melgorii, juro vitam, et membra, et fidelitatem, tactis a me sacrosanctis Dei evangeliis; promittens in ipso sacramento, quod si quid aliud

teneor facere, vel antecessores mei fecerunt, comiti Melgorii pro dicto feudo, illud faciam et recognoscam ad mandatum prefati domini episcopi et successorum suorum in dicto comitatu, ita quod ex suprascripta recognitione nullum prejudicium fiat prefato domino episcopo comiti, vel successoribus suis.

Item promitto quod quicquid plus ad predictum feudum pertinens, vel ad aliud feudum, quod illud non celabo, imo notificabo et recognoscam, et inde servitium, quod facere teneor, faciam, ita quod nullo modo me defendam.

Acta sunt hec omnia supradicta et singula sollempniter coram domino Johanne de Latis, judice et cancellario dicti domini episcopi comitis, infra castrum de Breissaco, dicto Raimundo Brunencho, bajulo dicti domini episcopi, recipienti pro ipso domino episcopo comite, et mandato ejusdem, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo septimo, quintodecimo kalendas octobris, in presentia et testimonio Bernardi de Vallacoges, prioris de Breissaco, Guillelmi Berengarii, Guillelmi de Sancto Lehoncio, militum, Raimundi Berengarii, Stephani Cambon sacerdotis, Raimundi Natalis, Ugonis de Breissaco, Petri Grava, Johannis de Barra, Willelmi de Gordone, Bernardi Brossini, Petri Descalador, et mei Bernardi Assalliti notarii, qui predictis omnibus interfui, et mandatus hec scripsi.

(Reg. A, fol. 264 v°, et reg. F, fol. 211 r°; édité par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 229. Le Reg. A est déchiré sur six lignes).

CCCCXXXVIII. — 2 janvier 1227 (n. s. 1228)

Guillaume de Castries, prieur de Sainte-Marie de Melgueil, échange certains biens de cette église.

Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo XX° VII°, mense januarii, IIII^to nonas ejusdem mensis, ego Guillelmus de Castris, prior et procurator ecclesie Beate Marie de Melgorio... pro utilitate nostre ecclesie, permuto... et pro alodio libero trado... tibi Guillelmo Raimundo et tuis... ad

omnes voluntates tuas... videlicet totum unum stare cum suis hedificiis, introitibus et exitibus, et pertinenciis suis, quod est in parrochia dicte ecclesie nostre, et novem denarios censuales annuatim ;

De quibus dat Guillelmus Baylia, et uxor ejus Maria, III denarios et obolum, pro uno stari, continuante a circio et ab aquilone (1) cum dicto stari quod tibi trado ;

Et Raimundus Balegarus, alios III denarios et obolum, pro uno stari quod conjungitur a circio cum stari tuo ;

Et Maria, uxor B. Rainaudi, II denarios pro una domo, continuante a circio cum stari tuo ;

Et dictum stare quod tibi trado, terminatur a circio cum dicto stari tuo, a vento et ab aquilone cum predicto stari Guillelmi Baylie et ejus uxoris, a corina cum via publica qua itur a dicta ecclesia versus portale Sancte Crucis (2) ;

Et dominium, et consilium, et omnia jura que nobis competunt, vel competere possunt, in predictis staribus, nomine vel occasione dictorum VIIII denariorum, vel eorum starium possessionibus tibi cedo et prorsus desamparo, et possessionem preterminati staris et omnium predictorum, a nobis tibi traditorum vel quasi, possessionem auctoritate tua te ingredi mando atque jubeo.

Et ego Guillelmus Raynaudus preterminatum stare et predictos VIIII denarios censuales, cum eorum dominio et consilio, nomine permutacionis, pro alodio libero a te dicto priore recipiente permutando, etiam nomine permutacionis et titulo scambii ad liberum alodium trado, cedo et concedo tibi, et per te ecclesie Beate Marie prefate, et omnibus successoribus tuis, ad omnes tuas tuorumque successorum voluntates, imperpetuum libere faciendas, scilicet totum unum stare cum suis hedificiis, introitibus et exitibus, et pertinenciis suis, et VII solidos melgorienses censuales ;

De quibus dat Johannes de Verneta IIII solidos et VI denarios

(1) Cart.: *aquilem*.
(2) Cart.: *Cruscis*.

pro una domo, que continuatur a circio cum stari quod tibi trado;

Et Bertrandus de Balma, VI denarios pro uno stari, quod terminatur a corina cum stari fratrum suorum, et ab aquilone cum mota;

Et B. Amancius dat II solidos pro duabus domibus contiguis, continuantibus ab aquilone cum stari Raymundi et Poncii de Balma, et a corina et a vento cum viis publicis.

Stare autem quod tibi trado, conjungitur a circio cum claustro vestro, ab aquilone cum dicta via qua itur ad portale, a corina cum muro Melgorii, a vento cum stare Duranti Galloti, et cum dicta domo Johannis de Verneta. Pro qua domo dictus Johannes facit per annum III excubias, et tu facies VIIII excubias per annum similiter pro dicto stare, a me tibi tradito; et dominium, et consilium, et dictos VII solidos censuales, et omnia jura que michi competunt, [vel] competere debent et possunt, nomine vel occasione dictorum VII solidorum in predictis domibus, seu staribus, vel eorum possessionibus, tibi trado, cedo et prorsus desamparo; et in corporalem possessionem vel quasi possessionem omnium predictorum, a me tibi traditorum, te induco.

Et ego dictus Guillelmus de Castris, prior et procurator dicte ecclesie Beate Marie,... ex una parte, et ego Guillelmus Rainaudi... ex alia parte, per stipulationem ad invicem promittimus, quod hanc permutationem, et hec omnia, in hoc instrumento prescripta, firma teneamus, et in perpetuum rata manere faciamus, et contra nunquam aliquo jure... veniamus. Et si quod inde aliquo modo fuerit evictum....

Et nos Bertrandus de Ballanicis et Petrus Cambiator, Magalonenses canonici, presentes et consentientes huic facto, auctoritatem prestamus.

Testes sunt Petrus Navarrus jurisperitus, Petrus Guillelmi de Sancto Firmino, Petrus Geraldi de Mayencia, R. Alohardus, Elymbardus Faber, R. Mallobus, Bertrandus Gibelinus, S. Sabaterius diaconus, et Petrus Carbonelli, Melgorii notarius, qui mandato partium hec scripsit in duobus instrumentis alphabeto divisis, anno prescripto, IIII idus febroarii.

Ego Vaureria, uxor predicti G. Rainaudi, dictam permutationem et omnia prescripta laudo, approbo et confirmo, et contra nunquam [veniam], fidei mee juramento prestito, abnegans ypothece, et pignori, et privilegio legis muliebris, et omni juri michi in hac parte suffraganti.

Testes sunt Petrus Cambiator, canonicus predictus, et S. Sabaterius diaconus, R. Aloardus, et Petrus Carbonnelli notarius, qui hec scripsit.

(Reg. A, fol. 227 r°).

CCCCXXXIX. Avril 1228

Quittance de 180 marcs pour neuf ans de cens annuel dus au trésor pontifical par l'évêque de Maguelone.

(Reg. E, fol. 330 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 122.

CCCCXL. — 23 août 1228

Difficultés entre Bernard de Mèze et Rostang d'Assas au sujet d'Aubeterre, Teyran, etc., et sentence à ce sujet.

Clarum et indubitatum sit presentibus et fururis, controversiam fuisse inter Rostagnum de Arsacio, filium quondam Rostagni de Arsacio, filii Guillelmi de Arsacio, ex una parte; et dominum B[ernardum], Dei gratia Magalonensem episcopum, comitem ac dominum Melgorii et Montisferrendi, ex alia; super qua compromiserunt in Bernardum Dorna et Johannem de Latis, jurisperitos, prout continetur in quadam carta, per Ademarum Scriptorem notarium scripta, cujus tenor talis est.

Dominus B[ernardus], Dei gratia Magalonensis episcopus, comes et dominus Melgorii et Montisferrandi, ex una parte; et Rostagnus de Arsacio et Petrus de Arsacio ex altera, com-

promiserunt in Bernardum Dorna et Johannem de Latis jurisperitos, et eos concorditer arbitros(1) elegerunt super omnibus controversiis et questionibus, quas ad invicem habebant, vel habere poterant, de villa, dominatione et jurisdictione Sancti Vincencii de Barbairanicis, et de Pradis, et de Albaterra, de Teirano, necnon et de omnibus aliis pertinentibus, vel spectantibus ad easdem villas, vel ad dominationem earum, infra totas parrochias earumdem ; ita quod quicquid ipse dixerint, jure et scientia determinaverint, vel etiam per amorem, si a partibus navatum fuerit, dicte partes se observaturas et contra non venturas ad invicem promiserunt, et se venire ad dies et ad loca a dictis arbitris assignata ; a quibus partibus data fuit potestas predictis arbitris ut possint, sicut judex ordinarius posset, partes citare, et, una parte et altera absente, cognoscere, et diffinire, et veritatem, secundum voluntatem suam, coram se propositis inquirere, juris ordine eciam non observato, et super omnibus capitulis et singulis coram se propositis, simul vel separatim, diebus feriatis etiam si voluerint, pronunciare et examinare.

Item promiserunt reddere pignora ad noticiam dictorum arbitrorum, renunciantes contradiccioni omni et appellacioni, et omnibus et singulis quibus contra predicta vel aliquod predictorum venire possent, omnia predicta et singula, mutua promissione et stipulacione, ad invicem vallantes et confirmantes.

Item voluerunt et concesserunt, si opus esset, tercium arbitrum sibi assumere, non obtante eo quod persona tercii arbitri non est nominata.

Et utraque pars promisit se exhibituras cartas et instrumenta arbitris ; sed arbitri non tenentur cartas vel instrumenta partibus reddere (2), nisi eisdem arbitris videretur expedire.

Que omnia complere et attendere promiserunt Rostagnus et Petrus per fides suas plevitas et requisitas.

---

(1) Cart.: *arbitro.*
(2) Cart.: *edere.*

Acta sunt hec anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo octavo, decimo kalendas septembris. Testes sunt Hugo archipresbiter, Stephanus Codoni, canonici Magalonenses, Raimundus Brunenc, prior de Lansanicis, Willelmus Montamer sacerdos, et Ademarus Scriptor notarius, qui, rogatus a partibus, hec scripsit.

Sed post hec, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo nono, tercio idus octobris, juraverunt, in Sala dicti domini episcopi, predicti Rostagnus et Petrus se observaturos omnia supradicta, in compromisso contenta : et quod redderent cartas et instrumenta ad predicta pertinencia : et dominus episcopus similiter promisit reddere cartas, et se observaturum omnia predicta que in compromisso continentur.

Testes sunt Bernardus de Piniano miles, R. de Piniano, Poncius Buada, magister Johannes prior de Albaterra, W. Montamer sacerdos, P. Guntardi prior de Arsacio, R. Brunenc prior de Lanzanicis, et dictus Ademarus Scriptor notarius, qui hec scripsit.

Et est sciendum quod controversia talis erat. Petebat siquidem dictus Rostagnus, a prefato domino episcopo, quicquid ipse dominus episcopus habebat et tenebat in parrochia Sancti Andree de Albaterra, et in toto ejus terminio, scilicet in militibus et in aliis personis, in edificiis et terris cultis et incultis, in villa et forcia de Teirano, in firmanciis, justiciis, exceptis homicidiis, et generaliter in omnibus aliis ad potestativum in villa de Albaterra et castro de Teirano et eorum territorio pertinentibus ; dicens ea ad se pertinere, et ad antecessores suos pertinuisse, ex datione et concessione in feudum honoratum a domina Beatrice, quondam Melgorii comitissa, et Bernardo comite, ejus viro, facta Willelmo de Arsacio et Rostagno filio suo, patri ipsius Rostagni presentis, et omni heredi eorum, qui post Arsacium habuerit. Ad quod probandum Rostagnus produxit quoddam instrumentum per alphabetum divisum, cujus tenor talis est.

In nomine Domini Jhesu... (*Déjà édité, N° CXXXIX, T. I, p. 267.*)

Ad quod dominus episcopus respondens cognovit prefatum instrumentum esse verum, dicens quod in villa de Albaterra nullam contradictionem faciebat predicto Rostagno, sed non credebat quod villa, castrum et forcia de Teirano jure pertineret ad dictum Rostagnum. Cognoscebat tamen dictum castrum de Teirano esse in parrochia Sancti Andree de Albaterra, et infra terminos ejusdem parrochie; sed dicebat quod mons, in quo dictunr castrum est edificatum, tempore laudationis prefati instrumenti, erat alodium Willelmi de Albaterra; et illud dedit dictus Willelmus comiti Raimundo per alodium; et prefatus comes Raimundus donavit, laudavit et concessit imperpetuum ipsi Willelmo de Albaterra et successoribus suis, in feudum, ut in eo castrum edificaret, quibusdam pactionibus, contentis in quodam instrumento, per alphabetum diviso et bullato bulla comitis Raimundi, producto a domino episcopo, cujus tenor talis est.

In nomine Domini. Anno ejusdem Incarnationis M° CC°, mense madii... (*Édité N° CCLIV, T. I, p. 449.*)

Insuper dicebat dominus episcopus quod, mortuo dicto Willelmo de Albaterra, Willelmus, filius ejus, recognovit et reddidit castrum de Teirano, pro dicto comite, Raimundo Willelmi sextairalerio, bajulo Melgorii: et juravit fidelitatem dicto comiti pro dicto castro, et promisit reddere ipsum castrum dicto comiti vel ejus nunciis, quandocumque comes vellet; ad quod probandum produxit dominus episcopus quandam cartam, quam scripsit P. Cardinalis notarius comitis, cujus tenor talis est.

Sit omnibus hoc audientibus manifestum quod anno Dominice Incarnationis M° CC° II°, quarto nonas marcii... (*Édité N° CCLXX, T. I, p. 485.*)

Et per prescripta duo instrumenta, dominus episcopus intendebat probare Willelmum de Albaterra et heredes suos tenere, et tenere debere, castrum de Teirano a se domino episcopo mediate, eo quia ea que continentur in dictis duobus instrumentis, a se preductis, fuerunt comiti Melgorii acquisita post laudationem prefati instrumenti, a Rostagno producti ; et sic, per consequens, predicta ad ipsum dominum episcopum pertinent, eo quia comitatus Melgorii seu Montisferrandi et ejus jura sunt sibi domino episcopo acquisita.

Ad hoc autem Rostagnus de Arsacio respondens cognoscebat predicta duo instrumenta sic fuisse laudata. Sed tamen dicebat, quod ea que continentur in ipsis instrumentis, non potuerunt fieri de jure, nec sibi prejudicare, negans dictum montem, in quo est castrum de Teirano constructum, aliquo tempore fuisse alodium Willelmi de Albaterra ; asserens etiam et arguens ad se pertinere dominationem, et jurisdictionem, et recognitionem, et districtionem dicti castri de Teirano ; et in eo castro, et in ejus terminio et pertinenciis, et in edificiis, factis et faciendis, et in habitatoribus dicti castri et tocius parrochie de Albaterra, se habere et habere debere universa et singula, que in instrumento predicto, a se producto, continentur ; et predecessores suos predictis juribus usos esse, quod per testes plures nisus est probare.

Asseruit etiam idem Rostagnus quod, etiam si dictus mons fuisset alodium, quod non credit, nichilominus castrum, in eo constructum, ad ipsum pertinet, ex confessione prelibata, a dicta comitissa et ejus viro facta ; eo quia comes Melgorii habebat jurisdictionem, firmancias, justicias et districtus in allodiis, si qua ab aliquibus habebantur in parrochia de Albaterra. Quod dominus episcopus cognoscebat ; et hoc idem, ex more generali hujus terre, comprobare nitebatur, dicens quod castra, de novo facta infra terminos et territoria alicujus dominationis, ad dominum illius dominationis debent pertinere, et ab eo teneri, et sibi recognosci et reddi, nisi aliqua conventio reclamet.

Insuper dicebat Rostagnus, quod dominus episcopus injuriabur sibi, quia aliqua, ad potestativum et dominationem pertinentia in dicto castro et ejus terminio, habebat, vel percipiebat, cum dictum castrum et tota parrochia de Albaterra sint in comitatu Melgorii; et quicquid dominus episcopus ibi habet et percipit, facit jure et ratione comitatus Melgorii, excepto quod ibi habet et percipit jure episcopali vel parrochiali: que dominus episcopus vera esse cognoscit, ut in actis continetur, et universa jura, ad comitem Melgorii pertinentia, in tota dicta parrochia et infra ejus terminos erant sibi in feudum quesita, ex confessione prelibata.

Asserebat etiam idem Rostagnus, quod, ex quo jura, contenta in instrumento a se producto, ipse Rostagnus et ejus predecessores habuerunt, seu habere debuerunt, in villa de Albaterra et parrochia illa, eadem habent et habere debent in castro de Teirano, cum illud sit infra parrochiam de Albaterra: quod palet ex eo quia, dicta villa de Albaterra derelicta penitus et deserta, plebs et populus et universitas ipsius ville se transtulit in dictum castrum, cum antea nullus in loco, in quo castrum situm est, habitaret, nec aliquod edificium ibi esset ad mansionandum.

Et ideo dictum castrum et ejus habitatores debent per omnia censeri et fungi eodem jure et eadem conditione, quibus villa de Albaterra et ejus habitatores antea censebantur.

Tandem, visis et auditis et intellectis rationibus et allegationibus hinc inde propositis, et attestationibus, et instrumentis, et omnibus actitatis, habito diligenti consilio et tractatu cum jurisperitis et militibus, et aliis hominibus discretis, vanatoque judicio, sacrosanctis evangeliis coram positis, nos Bernardus Dorna et Johannes de Latis arbitri, ut dictum est, a partibus constituti, diffinitive pronunciamus, Rostagnum de Arsacio prefatum, et heredem suum qui Arsacium habuerit, debere habere et tenere ad feudum honoratum quicquid comes Melgorii habuit, vel habere debuit, in tota parrochia de Albaterra, et in toto terminio ejus, in militibus et in hominibus ibi habitantibus, et in firmanciis et justiciis,

exceptis homicidiis, et in edificiis, factis vel faciendis, in albergis, in toltis, in quistis, in heremis, in cultis, in pascuis, in nemoribus, in viis, in fluminibus, et in ripis eorum, et in omnibus omnino causis ad potestativum comitis pertinentibus, nullo retento comiti ad manum suam, nisi servitium quod dictus heres, qui Arsacium habebit, facere tenetur comiti Melgorii, sicut plenius in suprascripto instrumento, producto ab ipso Rostagno de Arsacio, et a domino episcopo cognito, continetur.

Pronunciamus etiam diffinitive, Rostagnum predictum debere habere et tenere a dicto domino episcopo, comite et domino Melgorii et Montisferrandi, ad feudum honoratum, et ad servitium ipsi et successoribus ejus faciendum a dicto Rostagno, et ab ejus herede qui Arsacium habuerit, quicquid prefatus dominus episcopus comes habet, vel habere debet, in tota parrochia Sancti Andree de Albaterra, in villa videlicet de Albaterra, et in toto terminio ejus, et specialiter in toto castro de Teirano, et in toto ejus terminio, cum sit infra terminos dicte parrochie constructum, in militibus et in hominibus ibi habitantibus, in firmanciis, in justiciis exceptis homicidiis, et in edificiis, factis vel faciendis, in albergis, in toltis, in quistis, in heremis, in cultis, in pascuis, in nemoribus, in fluminibus, et in ripis eorum, et in omnibus omnino causis ad potestativum comitis Melgorii pertinentibus. Et preterea quod castrum de Teirano teneatur a dicto Rostagno, et sibi recognoscatur, ratione dicti feudi, sicut hactenus tenebatur a domino episcopo, comite Melgorii, et sibi recognoscebatur ; et universa que hactenus dominus episcopus, comes Melgorii, et ejus predecessores comites Melgorii habuerunt, et tenuerunt, et perceperunt in dicto castro et ejus terminis, de cetero habeantur, teneantur et percipiantur, ratione dicti feudi, a domino Rostagno, et ejus herede domino Arsacii.

Reliqua autem contenta in duobus instrumentis, a domino episcopo productis, retinemus adhuc in posse nostro, ex voluntate partium, et secundum formam compromissi diffinienda.

Item pronunciamus, quod dictus Rostagnus teneat omnia

predicta diffinita ad feudum honoratum, et ad servitium faciendum, ut dictum est, a dicto domino episcopo, comite Melgorii; et inde faciat recognitionem, secundum formam instrumenti, a se Rostagno producti, quam dominus episcopus recipere teneatur, et predictum Rostagnum de predictis pronunciatis investire, et in possessionem, vel quasi possessionem eorum inducere et cedere et restituere, sicut ea possidet vel quasi possidet. Ad que facienda predictum dominum episcopum comitem dicto Rostagno condempnamus.

Acta sunt hec apud Montempessulanum, in aula dicti domini episcopi, ipso domino episcopo et dicto Rostagno de Arsacio presentibus, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo, quarto kalendas aprilis, in presencia et testimonio Raimundi de Mesoa archidiaconi Magalonensis, Petri de Cornone, Bernardi Guitart, Deodati de Zaburgada, canonicorum Magalonensium, R. Brunenc prioris de Lansanicis, Poncii Fabri sacerdotis, Bertrandi de Vallauquesio, Bertrandi Gaucelmi militum, Gormundi de Arsacio, Bernardi Serret, J. Andree, Arnaldi de Arsacio, Guiraldi Magistri, Bernardi Gallart de Monteferrario, et plurium aliorum, et Ademari Scriptoris notarii, qui, mandato dictarum partium et dictorum arbitrorum, hec scripsit.

(Reg. E, fol. 187 r° ; édité par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 231).

CCCCXLI. — 25 août 1228

Rostang Catel, viguier de Raimond Gaucelm, donne un procureur aux enfants de Raimond du Port, afin que ce procureur puisse aliéner ce qu'il jugera utile au mariage d'une fille de Raimond du Port.

Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo VIII°, septimo kalendas septembris, ego Rostagnus Catellus, vicarius seu bajulus Raymundi Gaucelmi domini Lunelli, postulantibus Maria, Guillelmo et Raymundo de Portu, liberis

quondam Raimundi de Portu, et amicis eorum, assidente michi Petro Lanberto jurisperito, causa cognita, diligenti habita deliberatione, decreto sollempniter interposito, constituo, dictis liberis volentibus, te Bernardum de Sancto Justo curatorem, causa dotis constituende Marie de Portu in matrimonio collocande; et quia visum est, tam dictis liberis quam amicis eorum, prefatam Mariam ydonee copulari in matrimonio non posse, possessionibus in dotem datis, et rem ita constat inquisita super hiis plenius veritate, permitto (1) tibi dicto B. de Sancto Justo, cum res expediri commode aliter non posset, potestatem vendendi ex bonis dictorum liberorum, scilicet totam porcionem et jus omne quod dicti liberi habent in silva, piscationibus, mari et pascuis que vulgo dicuntur de Portu.

Ad hec ego B. de Sancto Justo, predictam curam recipiens, promitto tibi Rostagno Catello sollempniter stipulanti, sub obligatione omnium bonorum meorum, tactis sacrosanctis evangeliis, me bona fide gesturum que (2) utilia dictis liberis extimarem, tam circa constitucionem dotis, quam predictarum rerum venditionem, inutilibus pretermissis.

Testes sunt G. de Ponte, Petrus de Suojols, et ego Michael Calcadellus notarius, qui rogatus hec scripsi.

(Reg. A, fol. 225 r°).

CCCXLII. — 22 septembre 1228

Pour constituer une dot à leur sœur, les enfants de Raimond du Port vendent aux Hospitaliers de Saint-Christol leurs droits sur la forêt du Port.

Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo octavo, decimo kalendas octobris, ego Maria de Portu, [et] fratres dicte Marie, liberi quondam Raymundi de Portu, ex eadem causa, per multos tractatus, quia res comode aliter

(1) Cart.: *promitto*.
(2) Cart.: *qui*.

expedire non poterat, viris ydoneis seu honestis matrimonium non aliter contrahere volentibus nisi pecuniis in dotem datis, auctoritate B. de Sancto Justo curatoris nostri, ad dotem constituendam, adito judice competente et ea causa cognita vendicionem permittente, multis mobilibus extantibus seu se moventibus, ex quorum precio competens dotis constitucio fieri possit, rebus infrascriptis publice spacio competenti venalibus prehabitis, et indictis seu preconizatis sepius tam in ecclesia quam extra, vendimus titulo perfecte venditionis, jure liberi alodii tradimus... tibi domine Galburgie, plus offerenti, rectrici seu procuratrici domus Hospitalis Jerosolimitani, site apud Sanctum Christoforum, et per te fratribus qui sunt, vel pro tempore fuerunt, in eadem domo Hospitalis, videlicet totam porcionem nostram et jus omne quod habere debemus... in silva et mari qui vulgo dicuntur de Portu, a fossa provinciali inferius et a stagno inferius, et silva Sancti Petri de Psalmodio usque ad silvam domus Templi.

Ut autem nulla dubitatio ex generalitate verborum imposterum relinquatur, hec est porcio nostra et jus quod habemus vel habere debemus in predictis. Sunt et novem partes omnium obvencionum dicte silve et maris, quod vulgo dicitur *dels Sanczers* ; et in septem partibus, ex predictis novem, accipimus quartam partem, eadem porcione et eodem jure nobis competenti in predicta silva et predicto mari ; in mari vero, quod vulgo dicitur *del Boder,* et omnibus ex eo provenientibus, habemus et accipimus quartam partem.

Retinemus tamen nobis totam fossam et pescariam tocius dicte fosse, et resclausas jam factas in eam, scilicet resclausa que dicitur *Laspre,* et resclausa que dicitur *Salim,* sive *Bosche grasse.* Et si forte videbitur nobis et aliis dominis de Portu expedire transmutari predictas resclausas in meliorem statum, retinemus nobis et nostris licentiam eas transmutandi in ea latitudine, longitudine, profunditate, et eo statu in quo modo sunt, ita tamen quod cesset piscatio antiquarum, facta transmutatione.

Item retinemus nobis et nostris jus faciendi resclausas, quacumque pretenditur dicta fossa ; liceat tamen dicte domui

Hospitalis facere vallata seu agalia, causa piscandi vel ex alia qualibet causa, quot et quanta voluerit in dicta silva, que pretendantur usque ad fossam predictam, ita quod aqua ex dicta fossa habeat ingressum ex uno capite duntaxat in dictis agalibus seu vallatis.

Et propter ea tantum hec, ut supra scriptum est, habuimus et recepimus a dicta domina Galburgia, nomine precii, videlicet tria milia et septingentos solidos melgorienses, in quibus ex certa sciencia renunciamus excepcioni non numerate pecunie; promittentes tibi solempniter stipulanti, quod omnia memorata et singula semper, nostris expensis, jure et judicio, tibi et per te dicte domui Hospitalis, et fratribus qui sunt vel pro tempore ibidem fuerunt, deffendemus ab omni controversia et interpellatione et periculo evictionis; nos subicimus exinde, quisque in solidum, nos et omnes successores nostros, et omnia bona nostra et jura, et per te fratribus qui sunt vel pro tempore ibidem fuerint in prefata domo Hospitalis, firmiter obligamus et astringimus; et si plus dicto precio valet vel valuerit duplum, triplum vel amplius, totum illud... donamus, promittentes firmiter quod contra hec... sic nos Deus adjuvet et hec sancta Dei evangelia a nobis corporaliter tacta.

Et ego B. de Sancto Justo, curator, predicte venditioni, et omnibus, et singulis suprascriptis, ad utilitatem dictorum liberorum interpositam auctoritatem meam interpono, suprascripta omnia et singula probando, promittens tibi, dicte domine Galburgie sollempniter stipulanti, sub obligatione bonorum meorum, prestito corporaliter sacramento, quod si quando controversia mota tibi seu prefate domui Hospitalis super rebus predictis, tam in judicio quam extra, expensas aliquas feceris, vel evictam, in solidum partemve, contigerit, omne dampnum seu interesse contingens ex predictis causis tibi, seu prefate domui Hospitalis, plene restituam, indempnitati tue, quantum ad causas prefatas, absque diminucione qualibet providendo, quousque prefati liberi, facti majoris etatis, scilicet viginti quinque annorum, predictam venditionem et omnia supra scripta et singula comprobent, prestito corporaliter sacramento.

Ad hec ego Rostagnus Catellus, vicarius seu bajulus Raimundi Gaucelmi domini Lunelli, assidente michi P. Lamberto jurisperito, ita inquisita plenius veritate super vendicione et causa vendicionis et omnibus et singulis supra scriptis, sciens ea, pro visu meo, ad utilitatem dictorum minorum gesta esse, predicte venditioni et omnibus et singulis suprascriptis auctoritatem meam et decretum, sollempniter et causa cognita, interpono.

Acta sunt hec in curia domini Raimundi Gaucelmi, sub presencia et testimonio Stephani Calcadelli, B. Barrerie, R. Barrerie, Poncii de Fontibus, G. de Insula, Johannis de Relianicis, Galopini, B. Hugonis, Arnaldi Miracle, P. Saladini, fratris B. Guiramanni, fratris Poncii de Serveria, Poncii (1) Maurini, et mei Michaelis Calcadelli notarii, que rogatur hec omnia scripsi.

(Reg. A, fol. 225 r°).

CCCCXLIII. — 15 février 1229

Quittance pour une année de cens annuel dû par l'évêque de Maguelone au trésor pontifical.

(Reg. E, fol. 330 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 133.

CCCCXLIV. — 16 février 1228 n. s. 1229

Bernard Dalmace, au nom de l'évêque, et Raimond de Montaubérou, au nom de Rostang de Montaubérou, etc., donnent à acapte trois terres sises à Montaubérou.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Anno Incarnacionis ejusdem millesimo ducentesimo vicesimo octavo, quartodecimo kalendas marcii, sciant presentes et futuri quod ego Bernardus Dalmacius, constitutus a domino B[ernardo], Dei gracia Magalonensi episcopo, ad danda acapita honorum, in parrochia

(1) Cart.: *Poncius*.

Sancti Petri de Monte Arbedone constitutorum, auctoritate ejusdem domini episcopi pro parte media indivisa; et ego Raimundus de Montearbedone sabaterius, constitutus ad danda acapita dictorum honorum a Rostagno de Montearbedone per se et suos, et a domina Dulcelina de Salviniaco per se et per suos, et a Fredolo de Sancto Johanne per se et per Hugonem fratrem suum et per suos, et a Johanne de Latis jurisperito per se et omnes suos, pro alia dimidia indivisa.... jure accapiti concedimus tibi, Stephano Perben, et tuis, ad omnes voluntates tuas... exceptis... cum consilio tamen et laudimio domini episcopi Magalonensis et successorum ejus pro dimidia, et predictorum aliorum pro alia dimidia, videlicet tres quartairiatas terre hereme ad panem vel vinum, que sunt in dicta parrochia Sancti Petri de Montearbedone.

Et confrontantur ex una parte due ex dictis tribus cum camino quo itur ad Melgorium, et ex alia cum garriga Johannis Catalani, et ex alia cum honore de Turpel.

Tercia pecia confrontatur ex una parte cum honore tuo, via in medio, et ex alia cum honore Guillelmi Girbaldi, et ex alia cum honore P. de Rocha, et ex alia cum honore Poncii Tropel.

Pro hac autem acapiti dacione et concessione, scimus et recognoscimus nos habuisse et recepisse a te, dicto Stephano Perben, novem solidos melgorienses, in quibus expressim et ex certa sciencia renunciamus excepcioni non soluti acapiti et non numerate pecunie; verum tu et tui dabitis annuatim, pro censu et usatico, pro unaquaque carteriata sex denarios melgorienses ad festum sancti Petri de augusto. Et promitto ego dictus B. Dalmatius pro dicto domino episcopo, et ego R. de Monte Arbedone sabaterius pro omnibus aliis predictis, quod dictum accapitum... dominus episcopus et successores sui pro dimidia, et alii predicti pro alia dimidia facient te et tuos imperpetuum habere... et pro evictione... omnia bona dicti domini episcopi, et omnia aliorum predictorum tibi et tuis inde firmiter obligamus; sed nos B. Dalmacius et R. de Montearbedone, quia alienum gerimus negocium, vel nostre res non tenemur de evictione obligati; quod ego Stephanus concedo et approbo.

Preterea ego dictus B. Dalmacius pro dicto domino episcopo, et ego R. de Monte Arbedone pro omnibus aliis predictis, promittimus et convenimus tibi dicto Stephano Perben et tuis, quod contra predicta vel aliquid predictorum dominus episcopus vel successores sui, vel alii predicti nunquam venient aliquo jure, racione vel causa que dici vel excogitari possit. Et insuper, ad majorem firmitatem habendam, presens carta fuit bulla plumbea dicti domini episcopi roborata.

Testes sunt Guillelmus Barbas, Bertrandus Pelliparius, R. Danglars, Guillelmus Girbaldi, W. de Caravetis de Montepesulaneto, et Ademarus Scriptor, notarius, qui hec scripsit.

(Reg. E, fol. 132 r°; d'après un vidimus de 1234).

CCCCXLV. — 19 février 1229

Grégoire IX prend sous sa protection le consulat de Montpellier.

(Reg. A, fol. 177 v°; reg. D, fol. 312 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 136.

CCCCXLVI. — 29 février 1228 (n. s. 1229)

Raimond de Roquefeuil, seigneur de Brissac, donne à acapte le moulin de Lacoste, entre Laroque et Saint-Bauzile de Putois.

Presentis scripti declarat series quod ego, Raymundus de Rocafolio,... concedo ad acapitum... tibi Petro de Lacosta et tuis, ad omnes voluntates... exceptis... cum consilio meo vel meorum, quemdam molnare meum, et quibus tu associare ibi volueris, scilicet Johanni de Roveria de Agantico et suis, et Petro Monterno de Ruppe et suis, ad omnes voluntates... et deinde molnare est in parrochia Sancti Baudilii, in manso de Lacosta et pertinemento de *Brissac*, in riperia de *Erau*, ut tenet dictum molnare a petra Cartusiverra usque in radum de Laonda; et ibi possitis tu vel tui dicti socii edificare unum vel duo mollendina, et nullus alius infra dictos terminos preter

vos, predicti, nisi de voluntate vestra sibi concessum fuerit, aliquod edificium habere valeat seu impetrare.

Propter dictum vero accapitum tu, dictus Petrus de Lacosta, dedisti et tradidisti michi XXX solidos melgorienses, de quibus penes te nichil insolutum remansit, in quibus exceptioni non numerate peccunie renuncio. Si vero predicta acapito (1) majori digna esse viderentur, totum illud, si quid amplius ibi esse deberet, tibi bono animo et optimo jure dono et habere concedo; et dabitis michi annuatim pro censu unum sestarium frumenti, et unam eimynam alterius bladi in festo sancti Michaelis, et nil amplius michi dabitis.

Hunc vero dictum molnare cum omnibus pertinenciis suis vobis predictis, scilicet tibi de Costa, et Johanni de Roveria, et Petro Monerio, quibus dicis te ibi medietatem pro edificiis que facient, dedisse, laudo, approbo et confirmo, et hoc firmum habebo et tenebo cum hac carta, et servabo, et nunquam contra veniam, nec venire faciam.

Acta sunt hec apud Aganticum in vico, ante domum Johannis Ruce, ãnno Dominice Incarnationis M° II^{c} XXVIII, pridie kalendas martii, in presencia et testimonio R. Petri domini Agantici, Gervasii do Calatorio, Ricardi Alamandi, Geraldi de Learanta, bajulo de *Brissac*, Johannis de Barra, Petri de Valveria a Ceraiol, Petri Salamandi, magistri Guillelmi, Bernardi Renatun, et Petri de Baucellis, publici Bricsaguensis notarii, qui in hiis omnibus presens interfuit, [et] mandatus et rogatus hanc cartam scripsit et signavit.

(Reg. D, fol. 257 v°).

CCCCXLVII. — 28 mars 1229

Sur la plainte des consuls de Montpellier, Grégoire IX écrit à son légat de ne pas leur appliquer le statut du concile condamnant les excommuniés à une amende de neuf livres tournois, s'ils restent un an sans revenir à résipiscence.

(Reg. E, fol. 58 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 141.

---

(1) Cart.: *acipito*.

CCCCXLVIII. — Avril 1229

Conditions imposées par Romain, cardinal de Saint-Ange, à Raimond VII, comte de Toulouse, pour sa réconciliation.

Romanus, etc. Noverint universi quod cum nobilis vir Raimundus, filius Raimundi, condam comitis Tholosani, diu in excommunicacione persistens, Ecclesie et dicto (1) regi Francorum illustri et longo tempore contumax et rebellis, ad cor rediens, Domino faciente, ad mandatum regis, et Ecclesie, et nostrum venit, humiliter ac devote absolucionem suam petens, gratiam et misericordiam Ecclesie et regis, non judicium postulando, promisit nobis, Ecclesie Romane nomine et regis, quod Ecclesie et regi [et] heredibus suis de cetero devotus erit; [et] usque ad mortem fideliter habebit; [et] quod hereticos et eorum credentes, fautores et receptatores in terra (2) quam ipse [et sui] tenent et tenebunt, semper totis viribus (3) expugnabit, non parcens in hoc proximis, vassallis, consanguineis, nec amicis; et ipsam caute purgabit ab hereticis et heretica feditate, et juvabit etiam purgare terram quam rex tenebit.

Et promisit etiam quod justiciam debitam sine mora faciet (4) de hereticis manifestis, et fieri faciet (5), per baillivos suos viriliter (6) et potenter (7); inquiret et diligenter, et inquiri faciet, de inveniendis hereticis, credentibus, fautoribus et receptatoribus eorumdem, secundum ordinacionem quam super hoc faciemus.

Et ut facilius et melius heretici [valeant] inveniri, promisit quod solvet, usque ad biennium, duas marchas argenti, et

(1) Cart.: *dicti*.
(2) Cart.: *imtram*.
(3) Cart.: *juribus*.
(4) Cart.: *facit*.
(5) Cart.: *facit*.
(6) Cart.: *visiliter*.
(7) Cart.: *pontenter*.

exinde imperpetuum unam, ei qui hereticos ceperit, et [si] per episcopum loci vel alium qui potestatem habeat ille qui captus erit, fuerit (1) convictus (2) de heresi (3) [et] condemnatus, ita quod si plures ceperit, pro singulis dabit vel dari faciet tantumdem. De aliis non manifestis, et credentibus, receptatoribus et fautoribus hereticorum servabit, et servari faciet, secundum quod nos vel Ecclesia Romana ordinabimus.

Item servabit et servari faciet (4) pacem in terram quam ipse et sui tenebunt, et juvabit servari in terra quam rex tenebit in manu sua; [et] ruptarios (5) expellet et puniet, animadversione (6) debita, [et] receptatores ipsorum; ecclesias et ecclesiasticos viros decenter (7) deffendet, et deffendi faciet a suis; et jura, libertates et immunitates quas habent (8), conservabit eisdem (9), et faciet firmiter observari.

Et ne de cetero claves Ecclesie in terra illa contempnantur (10), sententias excommunicationis servabit, et servari faciet (11) a suis et per suos; excommunicatos vitabit (12) et vitari (13) faciet (14), sicut (15) in sacris constitucionibus cavetur; et si aliqui, per annum, in excommunicacione contumaciter permanserint, ex tunc idem Raimundus, ad mandatum Ecclesie, ipsos ad sinum matris Ecclesie redire compellet, occupando bona sua omnia, mobilia et immobilia, et tenebit (16) ea, donec

(1) Cart.: *erit et fuerit.*
(2) Cart.: *exvictus.*
(3) Cart.: *hereri.*
(4) Cart.: *facit.*
(5) Cart.: *raptarios.*
(6) Cart.: *adaversione.*
(7) Cart.: *descendent.*
(8) Cart.: *habuit.*
(9) Cart.: *eidem.*
(10) Cart.: *contempitantur.*
(11) Cart.: *facit,*
(12) Cart.: *jurabit* ou *virabit.*
(13) Cart.: *jurari* ou *virari.*
(14) Cart.: *facit.*
(15) Cart.: *vero.*
(16) Cart.: *tenet.*

ad plenum satisfaciant de causa pro qua fuerint excommunicationis vinculo innodati, et de dampnis datis occasione excommunicationis predicte.

Faciet (1) omnes baillivos suos institutos et instituendos, in ipsa institucione jurare, quod omnia predicta fideliter observabunt, ita quod, si negligentes extiterint in his, pro modo delicti punientur amissione bonorum.

Instituet etiam ballivos catholicos, non judeos, in terra, et nullius heresis suspicione notatos; et tales prohibiti non possint admitti ad emendum redditus civitatum, villarum, vel castrorum, vel pedagiorum; et, si forte aliquis talis ignoranter institutus fuerit, expellet eum et puniet, cum super hoc fuerit certificatus.

Item promisit idem Raimundus quod omnia bona immobilia et jura ecclesiarum et ecclesiasticorum virorum ad presens restituet (2), et restitui faciet ad plenum a suis in (3) terra tota, quam [ipse et sui tenebunt], illa videlicet que Ecclesie vel persone ecclesiastice tenebant ante primum adventum Crucesignatorum, vel de quibus constabit eos esse spoliatos (4). De aliis stabit juri coram ordinario, vel coram nobis, vel a nobis vel a Sede Apostolica delegatis.

Promisit et quod ipse solvet in posterum integre decimas, et solvi faciet integre a suis bona fide: et quod milites et alii laici non habeant decimas (5) in terra, quam ipse et sui tenebunt, nec permittet eos habere; sed ad Ecclesias, juxta dispositionem nostram vel Ecclesie Romane, integre revertantur. Pro dampnis vero illatis a se vel suis ecclesiis [et] ecclesiasticis viris super rebus mobilibus, vel destructione (6) domorum vel villarum vel aliarum rerum, exceptis immobilibus de quibus debet fieri restitucio, sicut superius est dictum, solvet

---

(1) Cart.: *facit.*

(2) Le cardinal Romain oublie que Raimond VII avait, depuis quelques années, pris cette résolution. — Voir p. 248 de ce volume.

(3) Cart.: *et.*

(4) Cart.: *spolitavos.*

(5) Cart.: *decimans.*

(6) Cart.: *destitucione.*

X millia (1) marcharum argenti, assignanda bonis viris, personis ydoneis [et] fidelibus, quas nos eligemus vel Ecclesia Romana, que quantitatem predictam, de bonorum virorum consilio, proportionaliter [et] fideliter divident juxta quantitatem dampnorum; nec poterunt ipse vel sui pro dampnis mobilium, vel destructione (2) domorum vel villarum, sicut expressum est superius, ultra summam illam amplius conveniri.

Item solvet abbatie (3) Cisterciensi MM marcharum argenti, ut emantur inde redditus pro refectione abbatum et fratrum in capitulo generali; abbatie Clarevallis, D marchas [ad (4) emendum redditus pro refectione abbatum et fratrum, qui conveniunt in festo Nativitatis Beate Virginis; abbatie Grandissilve, M marchas; abbatie Bellepertice, CCC marcas]; abbatie Candelii, CC marchas, ad (5) dicta monasteria construenda, tum pro dampnis eisdem illatis in rebus mobilibus, tum pro salute anime sue.

Item VI millia marcarum solvet, que retinebuntur ad muniendum, inforciandum et custodiendum castrum Narbonense et alia castra, que rex, pro Ecclesie et sua securitate, tenebit usque ad decennium, prout inferius continetur, et sicut visum fuerit expedire.

Supradicta vero XX millia marcarum solvet usque ad IIII^or annos, ita quod quolibet anno solventur V millia.

Item IIII^or millia marcharum deputabuntur ab ipso Raimundo IIII^or magistris theologie, duobus decretistis, VI magistris artium liberalium, et duobus grammaticis regentibus Tolose, que dividentur hoc modo: singuli magistrorum theologie habebunt L (6) marchas usque ad [decennium]; uterque

---

(1) Cart.: *milliarum*.

(2) Cart.: *distractione*.

(3) Cart.: *albergie*.

(4) Les mots entre crochets ne se trouvent pas dans le manuscrit. — Voir note 6.

(5) Cart.: *a*.

(6) Cart.: V. Nous suivons le texte du traité de Meaux, de même que pour les mots entre crochets qui suivent, soit dans ce paragraphe, soit dans les autres.

magistrorum decretorum habebunt XXX marchas [usque ad decennium] singulis annis; singuli magistri artium habebunt XX marchas usque ad decennium similiter annuatim; uterque magistrorum artis grammatice habebit similiter annuatim X marchas usque ad decennium.

Item statim post absolutionem (1) suam, assumet pro penitencia sua crucem de manu nostra contra Sarracenos; et ibit ultra mare ab instanti passagio mensis augusti usque ad aliud passagium mensis augusti proxime futurum, ibidem per quinquenninm integre continuum moraturus.

Illos autem qui adheserunt Ecclesie, et regi, et patri suo, comitibus Montisfortis, et adherentibus eis, occasione hujusmodi quia adheserunt Ecclesie, [domino regi, patri suo, comitibus Montisfortis, et adherentibus eis, non gravabit; sed] bene tractabit idem R[aimundus] eos, tanquam amicos, ac si ei contrarii non fuissent, exceptis hereticis et credentibus ipsorum (2). Et Ecclesia et rex similiter facient illud idem de illis qui sibi R[aimundo] contra regem et Ecclesiam adheserunt, exceptis illis qui ad pacem Ecclesie non veniunt [cum] eodem R[aimundo].

Idem autem rex, attendens humilitatem ejusdem, et sperans quod in devotione Ecclesie et fidelitate regis fidelitater perseveret, volens sibi gratiam facere, filiam suam quam regi tradet, idem rex tradet in uxorem uni de fratribus suis per dispensationem Ecclesie; et dimittet (3) rex eidem totum episcopatum Tholosanum, excepta terra Marescalli, quam ipse Marescallus tenebit a rege.

Post mortem autem ejusdem R[aimundi], Tholosa et episcopatus Tholose erunt fratris regis, qui habebit filiam suam,

---

(1) Cart.: *adsolucionem.*

(2) Conclusion : Il y aurait donc eu des hérétiques dans l'armée des Croisés, au moins du temps de Louis VIII. Que devient alors la Croisade ?... Les hérétiques ne disparurent pas en 1229 : nous en trouvons sous saint Louis, bien longtemps après même. Pourquoi donc poursuivre la maison de Toulouse ?

(3) Cart.: *dimisit.*

et filiorum susceptorum (1) ex ipsis duobus. Si autem frater regis, quod absit, moreretur sine filiis ex ipsa, Tholosa et episcopatus Tholose ad regem reverterentur et heredes regis; et filia, vel alii filii, vel heredes ipsius R[aimundi] nullum jus (2) in ipsis poterunt reclamare; et si ipsa filia sine filiis ex fratre regis moreretur (3), Tholosa similiter et episcopatus ad regem et heredes ejus reverterentur, ita quod, omni causa contingente, ad regem et heredes ejus Tholosa et episcopatus revertentur, et nulli poterunt ibi jus ad hoc reclamare, nisi filii aut filie descendentes ex fratre regis et filia ejus, ut dictum est.

Item dimisit rex eidem R[aimundo] Agennensem et Ruthenensem episcopatus.

De episcopatu Albiensi dimisit eidem (4) quicquid et de episcopatu Albiensi citra flumen de *Thar*, videlicet ex parte de Gaillaco; et civitas Albigensis remanebit ex parte regis, et quicquid [est] ultra illud flumen versus Carcassonam in eodem episcopatu Albigensi. Et rex habebit rippam et aquam ex parte sua usque ad medium fluminis; et idem R[aimundus] similiter, ripam et aquam usque ad medium fluminis ex parte sua, salvis juribus et hereditatibus aliorum, dummodo de hiis que sunt ex parte regis, regi predicto faciant quod debebunt, et de eis que sunt ex parte R[aimundi], ei faciant similiter quod debebunt.

Episcopatum Caturcensem dimisit [rex] eidem R[aimundo], excepta villa Caturcensi, et feodis, et aliis que habuit in eodem episcopatu rex Philippus, avus dicti regis, tempore mortis sue. Et si dictus R[aimundus] sine filiis de legitimo matrimonio procreatis (5) decesserit, tota terra predicta remanebit filie sue, quam habebit frater regis, et heredibus susceptis ex ipsa; ita tamen quod dictus Raimundus, ut verus dominus, habeat plenum jus et liberum dominium in supradicta terra que

(1) Cart.: *successorum*.
(2) Cart.: *nulli juris*.
(3) Cart.: *morantur*.
(4) Cart.: *eisdem*.
(5) Cart.: *procreans*.

dimittetur ei, salvis conditionibus supradictis tam de civitate Tholosana et episcopatu Tholose, quam de terra alia superius nominata ; et in morte pias elemosinas facere possit secundum usus et consuetudines aliorum baronum regni Francorum.

Supradicta omnia dimittentur ei ab ipso rege, salvo jure ecclesiarum [et] ecclesiasticorum virorum (1), sicut superius est expressum.

Viridefolium cum pertinenciis suis et villam de las Bordas cum pertinentiis suis dimitet idem R[aimundus], secundum donum (2) bone memorie Lodovici patris regis [et] comitis Montisfortis, episcopo Tholosano, et filio O. de Lilers ; ita tamen quod episcopus Tholosanus pro Viridifolio faciat (3) R[aimundo] quod debebat facere comiti Montisfortis, et filius ejusdem O. faciat quod debebat facere bone memorie regi Ludovico, patri regis.

Donationes alie, a rege vel patre ejus vel a comitibus Montisfortis facte, non teneantur ; nec idem R[aimundus] vel sui ad eas teneantur in terra que ipsi R[aimundo] et suis dimittetur. De omnibus autem supradictis que dimittentur, dictus R[aimundus] faciet regi homagium ligium et fidelitatem, secundum consuetudinem baronum regni Francorum.

Totam aliam terram, que est citra Rodonum et in regno Francorum, et omne jus, si quod ipsi R[aimundo] competit vel competere posset in ea, precise (4) et absolute quittabit regi et heredibus suis in perpetuum. Terram autem que est in Imperio ultra Rodanum, et omne jus, si quod ipsi R[aimundo] competit vel competere posset in ea, precise et absolute quitabit nobis, nomine Ecclesie, in perpetuum.

Item omnes indigene, qui (5) faiditi fuerunt de terra illa pro Ecclesia, et pro patre regis, et comitibus Montisfortis, et adherentibus eis, vel propria voluntate recesserunt ab eadem terra, nisi inveniantur heretici et ab Ecclesia condempnati,

(1) Cart.: *jurorum*.
(2) Cart.: *R. per dominum donum*.
(3) Cart.: *faciant*.
(4) Cart.: *precisse*.
(5) Cart.: *et*.

integre restituantur in statum pristinum, quoad hereditates et possessiones (1) preter illa, si qua ex causa donationis a patre dicti regis, vel ab ipso rege, vel a comitibus Montisfortis habuerunt.

Si vero aliqui hominum (2), qui remanebunt in terra que dimittetur R[aimundo], noluerint redire ad mandatum Ecclesie et regis, specialiter comes Fuxensis et alii, idem R[aimundus] faciet eis vivam guerram, nec pacem cum ipsis faciet vel treugas sine assensu regis et Ecclesie. Et si terre ipsorum occupabantur, remanebunt eidem R[aimundo], destructis tamen prius omnibus munitionibus et fortariciis, muris et fossatis nisi rex: pro securitate Ecclesie et sua, vellet ea retinere usque ad decennium post acquisitionem ; et tunc cum redditibus et proventibus ipsorum castrorum retinebit ipse rex.

Item idem Raimundus faciet (3) dirui muros civitatis Tholose omnino, et fossata repleri, juxta mandatum, voluntatem et ordinacionem nostram.

Item diruentur muri (4) funditus, et replebuntur fossata XXX villarum et castrorum per ipsum R[aimundum], videlicet de Fanojovis, de Castronovo, de la Beceda, de Avinioneto, de Podiolaurentii, de Sancto Paulo, de Vauro, de Rabasten, de Gallac, de Monteacuto, de Podiocelsi, de Verduno, de Castrosarraceni, de Moyssaco, de Montealbano, de Montecuco (5), de Agenno, de Condumo, de Saverduno, de Altarippa, de Cassanollo (6), de Pugeolis, de Altovillari, de Villaperucie, de Loyracco et de quinque aliis ad voluntatem nostram, nec poterunt reedificari sine voluntate regis ; nec alibi fiant nove fortalicie. Villas tamen non inforciatas bene poterit facere idem Raimundus in terra que dimittetur ei ; si vero alique villarum vel castrorum que debent dirui, ut dictum est, essent hominum suorum, et nollent quod diruerentur, idem R[ai-

(1) Cart.: *personas*.
(2) Cart.: *aliqui* (blanc de 1 cent.) *qui*.
(3) Cart.: *faciat*.
(4) Cart.: *muris*.
(5) Cart.: *Monteacuto*.
(6) Cart.: *Çassanovillo*.

mundus] faciet eis vivam guerram, nec pacem vel treugas sine assensu Ecclesie et regis cum eis [faciet], donec diruantur muri, et impleantur fossata.

Omnia supradicta promittet (1), et jurabit regi [et] nobis prefatus R[aimundus] se firmiter et perpetuo servaturum bona fide, sine dolo, fraude, et malo ingenio: [et] quod bona fide faciet ab omnibus vassallis et fidelibus suis firmiter observari.

Faciet etiam illud idem jurare omnes cives Tholosanos et alios homines terre, que dimittetur ei; et addetur [in] juramento eorum quod ipsi dabunt operam efficacem, quod ipse servabit (2) ea; et si idem Raimundus venerit (3) contra predicta, vel aliquod predictorum, ipso facto, de voluntate ejus, sint absoluti; et ex nunc ipse eos absolvet a fidelitate et omni alia obligacione, quibus ipsi tenentur ei; [et] adherebunt Ecclesie et regi contra ipsum, nisi, infra XL dies postquam fuerit admonitus, hec emandaverit, vel juri steterit coram Ecclesia de hiis que ad Ecclesiam pertinent, et [juri] coram rege de hiis que ad regem pertinent; et tota ipsa terra, que dimittitur ei, incidet in commissum regi; et erit idem R[aimundus] [in] eodem statu, in quo nunc est, quoad regem, et quoad excommunicationem, et omnia alia que fuerunt statuta contra ipsum et patrem suum in concilio generali vel postea.

Addetur eciam [in] juramento ipsorum, quod ipsi juvabunt Ecclesiam contra hereticos, credentes, fautores eorum, et receptatores eorum contra omnes alios qui, occasione heresis vel contemptus excommunicationis Ecclesie, contrarii existent in terra que dimittitur ei, et in terris aliis supradictis, et regem juvabunt contra omnes, et quod eis faciet vivam guerram, donec ad mandatum Ecclesie revertantur et ad regem. Renovabuntur autem juramenta predicta de quinquennio ad quinquennium (4) ad mandatum regis.

---

(1) Cart.: *promittit.*

(2) Cart.: *servet.*

(3) Cart : *venit.*

(4) Cart.: *quinqueiannum.*

Ut autem omnia supradicta adimpleantur, et Ecclesie et regi plenius observentur, tradet, pro securitate Ecclesie et regis in manibus regis, castrum Narbonense, quod tenebit rex usque ad decennium; et muniet (1) et inforciabit, si visum fuerit expedire.

Item tradet regi, pro securitate Ecclesie et regis, caput Castrinovi, caput castri Vauri, castrum de Montecucco, Pennam de Agenesio, Ruppem Perucie, castrum de Cordua, castrum de Verduno, castrum de Villanova; et usque ad decennium tenebit [ea], ita quod, primis V annis, solvet idem R[aimundus] regi pro expensis custodum, quolibet anno, MD libras turonensium, non computatis in hiis VI millibus marcharum supradictis; in aliis V annis, si voluerit rex tenere, faciet expensis propriis custodiri rex; tamen poterit, si placuerit Ecclesie et regi, diruere de predictis IV castra, videlicet capud castri Vauri, capud Castrinovi, Villamurum et Verdunum; et propter hoc non diminuetur predicta summa MD [librarum] turonensium.

Redditus et proventus castrorum, et omnia que, jure dominii, percipiuntur, erunt ipsius R[aimundi]; et rex ad sumptus suos tenebit capita castrorum et Corduam; et idem R[aimundus] habebit ballivos suos, non suspectos Ecclesie et regi, qui facient justiciam hominibus, et recipient redditus et proventus predictos. Post decennium autem restituet rex dicta capita castrorum et Corduam dicto R[aimundo] libere, salvis conditionibus supradictis, si predicta omnia, quantum ad Ecclesiam et regem, fuerunt observata.

Pennam autem de Albigesio tradet [regi] infra kalendas (2) augusti proximas, cum aliis castris detinendam a rege usque ad decennium. Si vero illam habere non poterit usque ad terminum illum, ex tunc obsideri faciet et vivam guerram fieri, tamdiu quousque ipsam habeat; nec pacem vel treugas faciet cum ipso qui tenet eam vel tenebit, donec ipsam habeat.

---

(1) Cart.: *decennium* blanc de 2 cent. *et inforciabit*.

(2) Le *Cartulaire* porte *nonas*. Nous suivons la leçon qui se trouve dans le traité de paix. D'ailleurs, plus bas, le *Cartulaire* porte *kalendas*.

Non tamen propter hoc retardetur a perigrinatione transmarina, de qua superius est ordinatum; [et] si usque ad annum post ipsas kalendas augusti tradiderit regi predictam Pennam de Albigesio, erit in conditione predictorum castrorum, scilicet quod reddet rex ei quando reddet alia castra. Si vero post annum predictum ipsam Pennam Albigensem non poterit assignare, ex tunc tradet eam in eleemosinam perpetuo Templariis, vel Hospitalariis, vel aliis religiosis, salvis hereditatibus (1) eorum qui se tenent ex parte regis, possidendam ad voluntatem nostram vel Ecclesie Romane (2); tali condicione quod ipsi non alienent ipsam de manu sua, nec de ipsa guerram faciant dicto R[aimundo], nisi de mandato Ecclesie. Et si non poterunt aliqui religiosi viri inveniri qui velint eam habere, diruatur omnino, nec possit [re]hedificari sine voluntate Romane (3) Ecclesie, et regis, [et] ipsius R[aimundi].

Item donec dictam Pennam de Albigesio tradat regi, vel Templariis, vel Hospitalariis, vel aliis religiosis, sicut dictum est, tenebit rex propter hoc obligatam Pennam de Agenesio [et] castrum Narbonense; si infra decennium det Pennam de Albigesio Templariis, vel Hospitalariis, vel aliis religiosis, ut dictum est, tanto tempore post decennium sumptibus regis tenebit, si voluerit dominus rex, illa duo castra nominata, quanto tempore distulerit tradere Pennam de Albigesio. Et si post decennium etiam Penna de Albigesio non esset acquisita, tamdiu post tempus memoratum tenebit illa duo castra rex, quousque ipsa Penna esset restituta et assignata, sicut superius est expressum.

Et rex absolvet, quantum ad eum pertinet, cives Tholosanos et alios homines terre, que ipsi dimittitur, a juramento et aliis obligationibus factis patri suo, et comitibus Montisfortis, vel aliis pro eis, [et] a pena et incursibus quibus ipsi regi, vel patri suo, vel episcopo Tholosano, vel aliis prelatis, vel comi-

(1) Cart.: *hereditariis.*
(2) Cart.: *racione.*
(3) Cart.: *racione.*

tibus Montisfortis se obligaverant, si unquam in dominium R[aimundi] vel patris ejus reverterentur, salvis (1) in omnibus et per omnia conditionibus supradictis.

Actum Parisius, anno Dominice Incarnationis M° CC° XXVIIII° (2), mense aprilis.

(Reg. F, fol. 313 v°).

L'auteur du *Registre F* ne nous a pas habitué à tant d'incorrections (Voir *Introduction au Cartulaire*, que nous publierons en même temps que le cinquième volume). Nous avons dû nous servir, pour rétablir le texte, des articles du traité de Meaux, insérés dans *Hist. générale de Languedoc* (t. VIII, col. 883). Presque tous les mots entre crochets sont empruntés à dom Vaissete. Cette pièce ne nous apprend rien de nouveau : elle fait cependant ressortir le rôle du légat. Les articles du traité de Meaux sont calqués mot à mot sur ce modèle. Raimond VII, en acceptant les dures conditions qui lui furent imposées, n'aura qu'à changer la personne, en s'appropriant les paroles du cardinal Romain.

La date donnée par le *Cartulaire* est évidemment inacceptable. Le quantième du mois n'est pas indiqué ; mais on sait que Raimond se soumit le 12 avril. La pièce que nous publions lui est donc antérieure de quelques jours. Elle dut être apportée par Bernard de Mèze, qui assista à cette cérémonie. (Cf. *Hist. gén. de Languedoc*, t. VI, p. 632, note 2 ; et aussi L. Auvray, *Registres de Grégoire IX*, t. II, col. 1269-1274).

CCCCXLIX. — 17 juin 1229

Grégoire IX renouvelle en faveur de l'évêque de Maguelone, la bulle que son prédécesseur, Honorius III, avait adressée au chapitre au sujet des dîmes.

(Reg. F, fol. 117 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 147.

---

(1) Cart.: *filius*.
(2) Cart.: *Incarnationis Domini M° CC° XX VIII°*.

CCCCL. — 22 juin 1229

Guiraud Gralla, exécuteur testamentaire de Jean Vernète, met en vente une maison appartenant au fils de Jean Vernète : cette maison était sous la directe de l'église de Sainte-Marie de Melgueil.

Anno Dominice Incarnationis M° II° vicesimo VIIII°, mense junii, X kalendas julii, manifestum sit... quod ego Poncius Buada, bajulus Melgorii, me assidente Petro causidico, sciens quod Joannes Verneta defunctus constituit Guiraldum Grallam gadiatorem in testamento suo, constituo te Guiraldum predictum actorem Johanni, filio condam dicti Johannis Vernetè, in pupillari etate constitutum, et amministratorem generalem omnium bonorum dicti pupilli.

Et ego Guiraldus Gralla predictus, gratis recipiens dictam tutelam, promitto, sub sacramento a me corporaliter prestito et obligatione bonorum meorum, me fideliter dictam tutelam gerere, et omne dampnum, secundum posse meum, evitare et comodum ei adquirere.

Testes sunt R. de Calvitione raditor, G. Poncius, Poncius Deodatus, et P. Carbonelli qui hec scripsit.

Post hec, exposito venali quodam stari quod fuit Johannis Vernete, patris dicti pupulli, pro suis debitis seu legatis solvendis, quod tenetur ab ecclesia Beate Marie de Melgorio, sub usatico IIII^{or} solidorum melgoriensium et VI denarios, et conjungitur a circio et a corina cum stari dicte ecclesie, a vento cum via privata, ab aquilone cum via publica ;

Et [non] invento ab aliquo emptore tantum precium pro ipso stari offerente, quam obtulit Guillelmus de Castriis, prior et procurator dicte ecclesie, qui obtulit pro precio pro ipso stari dando LVII solidos melgorienses, super predicto precio oblato, et facta inquisitione a curia utrum dictum precium esset justum, et invento ab ipsa curia quod justum erat, cum tantum precium non posset inveniri ab aliquo alio emptore, quam inveniebatur a predicto priore prestito, de cetero a

domino Johanne de Latis, judice et cancellario, ut dictum stare venderetur prefato priori pro predicto precio LVII solidorum.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Ego Guiraldus Gralla, prefatus tutor, auctoritate dicti suprascripti et officii tutele quo fungor, vendo... tibi, dicto domino priori, et successoribus tuis, et per te ecclesie prefate, ad omnes voluntates vestras vestrorumque imperpetuum faciendas, secundum stare superius confrontatum, de quo jus possessionis et proprietatis in te et successores tuos transfero, et vos et dictam ecclesiam investio, et dictum pupillum et suos inde disvestio: cujus staris corporalem possessionem auctoritate tua propria te ingredi jubeo; sciens et recognoscens me habuisse et recepisse, nomine precii, dictos LVII solidos, in quibus expressim et ex certa sciencia excepcioni non numerate peccunie et non soluti precii renuncio.

Verum pro evictione... obligo tibi et dicte ecclesie omnia bona dicti pupilli, sed ego vel mei de eviccione non tenemur, quod ego dictus prior concedo et approbo.

Adhuc eciam ego dictus Guiraldus, auctoritate tutele qua fungor, promitto et convenio tibi, dicto domino priori, quod ego vel dictus pupillus contra predicta vel aliquid predictorum nunquam veniemus aliquo jure, ratione, vel causa que dici vel excogitari possit.

Acta sunt hec sollempniter anno Dominice Incarnationis M° II° XXVIII, quinto idus octobris, in presencia et testimonio Bertrandi de Ballanicis, Johannis Cornoni, G. Garnerii, et Petri Carbonelli notarii, qui hec scripsit, et, mandato dicti domini Johannis de Latis, judicis et cancellarii, bullam imposuit.

(Reg. F, fol. 26 v°).

CCCCLI. — 24 juin 1229

Grégoire IX écrit à saint Louis, et se plaint des empiétements de ses officiers sur le comté de Melgueil.

(Reg. F, fol. 36 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 148.

CCCCLII. — 24 juin 1229.

Grégoire IX écrit à son légat et se plaint des empiétements du roi de France sur le comté de Melgueil.

(Reg. F, fol. 22 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 150.

CCCCLIII. — 25 juin 1229

Grégoire IX approuve l'union de l'église de Béjargues à la mense épiscopale.

(Reg. F, fol 169 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 152.

CCCCLIV. — 25 juin 1229

Grégoire IX écrit à l'archevêque de Narbonne ; il se plaint du roi d'Aragon, qui n'a pas rendu hommage à l'évêque de Maguelone : il devra l'y contraindre.

(Reg. D, fol. 315 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone,* t. II, p. 152.

CCCCLV. — 26 juin 1229

Grégoire IX se plaint à l'archevêque de Narbonne des envahissements du bayle et des consuls de Montpellier sur les hôpitaux de cette ville, et aussi de ce qu'ils violent le privilège ecclésiastique au sujet des clercs.

(Reg. E, fol. 56 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 156.

CCCCLVI. — 6 juillet 1229

Grégoire IX se plaint à l'archevêque de Narbonne que les officiers du roi de France aient occupé certains châteaux faisant partie du comté de Melgueil.

(Reg. F, fol. 169 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 158.

CCCCLVII. — 11 juillet 1229

Grégoire IX reproche aux consuls de Montpellier non seulement de ne pas prêter secours à l'évêque de Maguelone, mais encore de lui avoir porté préjudice en fermant le grau de Melgueil.

(Reg. A, fol. 11 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 159.

CCCCLVIII. — 13 août 1229

Guillaume de Gourdon reconnaît tenir de l'évêque tout ce qu'il possède dans les paroisses de Valflaunès et de Saint-Martin de Tréviès.

In nomine Domini. Anno ejusdem Incarnacionis millesimo ducentesimo vicesimo nono, tercio idus augusti, ego Guillelmus de Gordone, filius quondam Raimundi Berengarii,... recognosco vobis domino B[ernardo], Dei gratia Magalonensi episcopo, comiti et domino Melgorii et Montisferrandi, me tenere a vobis, nomine dicti comitatus, omnes scilicet possessiones, honores cultos et incultos, nemora, usatica, dominia, et jura prorsus omnia que, quos vel quas habeo, teneo et possideo in tota parrochia de *Vallefennez*, et in tota parrochia Sancti Martini de Tribus Viis; pro quibus omnibus teneor vobis et successoribus vestris, et etiam facere promitto albergum annuatim duobus militibus, quando a me vel meis fuerit requisitum ; pro quibus etiam omnibus scio et recognosco me esse hominem vestrum et successorum vestrorum, dominorum dicti comitatus ; et modo de presenti, pro hiis predictis omnibus, facio vobis homagium seu hominium, et juro fidelitatem, tactis a me corporaliter sacrosanctis Dei evangeliis.

Testes sunt Johannes de Latis jurisperitus, Petrus de Cumbis jurisperitus, Raimundus Brunenchi bajulus Montisferrandi, Bernardus de Monteviridi, et Bernardus Assalliti, notarius, qui, rogatus a partibus, hec scripsit, et fecit rasuram in quinta linea que diciti *vestris*.

(Reg. E, fol. 302 v°).

CCCCLIX. — 17 février 1229 (n. s. 1230)

Raimond Aerra reconnaît tenir de l'évêque le Château de Londres, la ville de Notre-Dame de Londres, et ce qu'il possède à Viols et à Valflaunès.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Presentis publice carte testimonio sit notum... quod ego Raimundus Aerra,... recognosco vobis domino B[ernardo], Dei gratia Magalonensi episcopo, comiti et domino Melgorii et Montisferrandi, quod dominus pater meus et antecessores nostri tenuerunt a vobis et a domino G[uillelmo] de Altiniaco, bone memorie predecessore vestro, et ab aliis antecessoribus vestris, Castrum et forcias de Lundris, et villam Sancte Marie de Lundris, et omnes forcias factas vel faciendas in predictis locis vel eorum pertinenciis et territoriis; et quicquid habuerunt et tenuerunt per se vel per alios, et alii per eos in suprascripto [Castro], et villa, et eorum pertinenciis, et adjacenciis et territoriis; et quicquid habuerunt vel tenuerunt, vel alii per eos, in villa de Volio, et in villa de *Valfennes*, et in parrochiis earumdem; pro quibus omnibus et singulis dominus pater meus et antecessores mei fidelitatem juraverunt, et hominium fecerunt, et inde se facere annuatim albergam tribus militibus, singulis annis, in quibus fuisset ab eis requisitum, recognoverunt; et eciam facere de predictis et cum predictis valenciam et manutenenciam, et vos sequi cum hominibus eorumdem locorum ad vestram vel vestrorum commonitionem tenebantur astricti (1).

Preterea tenebantur vobis et antecessoribus vestris forcias predictorum locorum, factas vel faciendas, reddere ad commonicionem vestram vel vestrorum, mutacione tamen domini hinc inde interveniente.

Adhuc eciam scio et recognosco quod dicti antecessores mei, sub predicta fidelitate, et hominio, et alberga, et reddicione, et supranominatis aliis, tenuerunt a vobis et antecessoribus

(1) Cart.: *astrictu*.

vestris omnia suprascripta et singula, sicut superius sunt comprehensa.

Similiter tenuerunt a vobis et antecessoribus vestris, tum ratione comitatus, tum ratione episcopatus, quicquid habuerunt vel tenuerunt in toto episcopatu Magalonensi et comitatu Melgorii seu Montisferrandi, scilicet omnia et singula de quibus non possent facere fidem, quod ea ab aliis dominis tenerent. Et hec omnia predicta tenuerunt sub predicta fidelitate, et hominio, et aliis suprascriptis.

Hinc est quod ego, prefatus Raimundus Aerra, nolens a parentum meorum vestigiis divertere, sed ea fideliter citius in veritate sequi, recognosco vobis, prefato domino Bernardo, Dei gratia Magalonensi episcopo, et successoribus vestris, me et meos tenere a vobis ad feudum sub predicto hominio, et fidelitate, et albergo, et valencia, et manutenencia, et aliis suprascriptis, videlicet predictum Castrum, et villas, et forcias factas vel faciendas, necnon et omnia et singula suprascripta, expressa vel non expressa, et omnia, sicut superius continentur specialiter vel generaliter expressum, vel tacite comprehensa, recipiens omnia ea et singula a vobis, domino meo supradicto episcopo, et successoribus vestris, per me et per successores meos, jurans, tactis sacrosanctis evangeliis, fidelitatem, et ea que sub fidelitate continentur pro supradicto feudo et pro omnibus suprascriptis, faciendo inde vobis hominium de presenti, manibus meis inter manus vestras interpositis; promittens in ipso sacramento fidelitatis vobis et successoribus vestris, quod ego et successores mei dictam fidelitatem et hominium, et alia omnia, ut suprascriptum est, inviolabiliter exhibebimus, et fideliter servabimus, et custodiemus constanter et devote; in eodem eciam sacramento promittens quod ego vel mei, contra predicta vel aliqua (1) predictorum, nunquam veniemus aliquo jure, ratione, vel causa que dici vel excogitari possit.

Hanc recognicionem quidem vobis, domino meo, facio, salvis vobis et successoribus vestris aliis feudis, et jure pro eis vobis

---

(1) Cart.: *aliquo*.

competenti, que a vobis teneo, tum ratione episcopatus Magalonensis, tum ratione comitatus Melgorii seu Montisferrandi, cujus dominacio ad vos et successores vestros manifeste dinoscitur pertinere.

Et nos B[ernardus], Dei gratia Magalonensis episcopus, comes et dominus Melgorii et Montisferrandi... omnia suprascripta et singula vera esse scientes, et suprascriptam fidelitatem, et hominium, et omnia alia suprascripta recipientes, laudamus et confirmamus tibi, Raimundo Aerra, et successoribus tuis, omnia predicta feuda, expressa superius et non expressa, ut ea omnia et singula, tum ratione episcopatus, tum ratione comitatus, a nobis et successoribus nostris habeatis et teneatis honorabiliter, sicut superius scriptum est et expressum, remittentes vobis quicquid pro predictis feudis, racione servicii, vel alio modo a vobis petere possemus usque ad hanc diem. Predicta feuda ad manum vestram semper tenebimus, et erga vos honorifice nos habebimus et mansuete, sicut antecessores nostri erga vestros pro predictis feudis se benignius habuerunt.

Et ego Berengarius, frater dicti Raimundi Aerra, per me et per meos, eodem modo et forma, pro hiis que ex successione paterna ad me pertinent, vel alio modo in toto episcopatu Magalonensi et comitatu Melgorii seu Montisferrandi, sicut dictus frater meus recognovit vobis, prefato domino episcopo, et successoribus vestris, tam in episcopatu quam in comitatu, sicut superius plenius est comprehensum, recognosco me a vobis tenere ad feudum, jurando, tactis sacrosanctis evangeliis, vobis domino meo fidelitatem et homagium faciendo, et alia suprascripta me et meos completuros et observaturos promittendo; renuncians in ipso sacramento scienter et solempniter omni juri, racioni et cause quibus contra predicta vel aliquod predictorum venire possem.

Et nos B[ernardus], Dei gratia Magalonensis episcopus,... tibi, dicto Berengario, et tuis, omnia supradicta laudamus et confirmamus, sicut dicto fratri tuo laudavimus; et confirmamus ea que ei superius promisimus, simili modo tibi promittimus.

Acta sunt hec sollempniter apud Montempessulanum, in Sala

dicti domini episcopi, anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo vicesimo nono, tercio decimo kalendas marcii, in presencia et testimonio domini Raimundi de Mesoa archidiaconi Magalonensis, Raimundi Brunenc prioris de Lansanicis, Fredolis prioris [de] Lentescleriis (1), Poncii de Millanicis, Poncii Fabri sacerdotis, Guillelmi Montamer sacerdotis, Deodati de Borgada canonici Magalonensis, Petri Sabaterii dyaconi, P. de Fabricis de Frontiniano, Raimundi Lamberti, J. de Latis jurisperiti, Raimundi Moret, P. Ravan, Bertrandi de Montebazeno diaconi, et Ademari Scriptoris notarii, qui rogatus hec scripsit.

(Reg. E, fol. 296 r° et 223 v°).

CCCCLX. — 8 mars 1229 (n. s. 1230).

Pressuré par les Juifs, Guillaume Bertrand de Cournonsec et sa femme vendent une partie de leurs biens pour subvenir à leurs besoins et à ceux de leurs enfants.

In nomine Domini. Anno Incarnationis ejusdem millesimo ducentesimo vicesimo nono, in die [octava] (2) idus martii, ego Guillelmus Bertrandi de Cornonesicco, filius condam Guillelmi Bertrandi, et ego Garssens ejus uxor, filia Poncii Niani, quilibet reus vendendi in solidum pro urgentibus nostris necessitatibus, scilicet pro solvendis debitis que sub usuris gravibus debemus Judeis ;

Item pro victu nostro et infantum nostrorum, quia cibis et indumentis (*blanc de 2 cent.*) ; etiam consideratione quod utilius est nobis alienare hec subscripta, que nullum fere vel modicum nobis comodum reddebant, quam alias res nostras quas scimus et cognoscimus nobis esse magis fructuosas... vendimus... tibi Raymundo Benedicto et tibi Bertrando Benedicto, fratri ejus, et vestris successoribus, ad omnes voluntates

---

(1) Cart. : *Lentrescleriis*.

(2) L'évêque ayant approuvé cet acte le 7 des ides de mars, il a dû être passé la veille.

vestras et vestrorum faciendas, videlicet dominium, et laudimium, et consilium, et duos denarios annuatim pro usatico in quatuor peciis terrarum, que fuerunt W. Textoris et sunt ejus heredis. Que terre sunt in parrochia Sancti Stephani de Villanova, quarum una est *als Bollidors* et confrontatur a circio cum terra Petri de Valleta, a vento cum via publica, a corina cum terra Thomase, et ab aquilone cum terra quondam (*sic*) ; secunda pecia confrontatur ab aquilone cum [terra] P. Cavallerii et fratris ejus, a circio cum capoliera ; tercia pecia, ab aquilone cum terra Boneti de Podio, a circio cum terra P. Cavallerii ; quarta pecia, ab aquilone cum terra Thomase, a circio cum terra P. Heldini.

Et segnoriam, et laudimium et consilium, et duos denarios pro usatico in una pecia vinee, que fuit de na Logresa, et nunc est B. de Montaniaco et R. Ortolani ; et confrontatur a vento cum vinea Petri Geraldi, et a circio cum vinea dicti B. de Montaniaco.

Et in alia vinea Poncii de Lundris, que [fuit] Logresse, segnorium, et laudimium et consilium (1), et unum denarium pro usatico ; que confrontatur cum Amancione ab aquilone, et a corina cum terra Petri de Valleta, via in medio.

Et... et unum denarium pro usatico in alia pecia terre, que fuit dicte Logresse ; et confrontatur a corina cum via qua itur ad Exindrium, et a vento et aquilone cum terra infantum quondam Ademari.

Et in quadam alia pecia terre que fuit Viguerii, nunc est neptis ejusdem et Poncii Revelli, mariti ipsius neptis... et duodecim denarios annuatim pro usatico ; que terra confrontatur a circio cum Amantione, ab aquilone cum planterio Sancti Petri, et a vento cum terra Sancti Petri.

Et in sex peciis terrarum, que fuerunt Johannis Malfredi, et modo sunt Ermengarde filie ipsius... et tres denarios pro usatico ; quarum una pecia confrontatur a circio cum terra Daudese, ab aquilone cum terra Maureliani, via in medio ;

---

(1) Désormais nous indiquerons par trois points ces trois mots qui reviennent à chaque paragraphe.

alia pecia confrontatur a vento cum terra G. Cavallerii, a corina cum terra Geraldi Codonis; alia pecia, ab aquilone cum terra P. Cavallerii, a vento cum terra Bonafos Enguelriga; alia pecia, a circio cum terra R. David, a vento cum terra P. Cavallerii; alia, a vento cum terra G. Textoris, a corina cum terra B. Gremiani.

Et in una pecia terre Bertrandi de na Bona... et duodecim denarios pro usatico; que terra confrontatur ab aquilone cum via qua itur ad Exindrium, a vento cum terra quondam Assolti.

Et in una pecia terre Johannis de Margone... et duodecim denarios annuatim pro usatico; que terra confrontatur ab aquilone cum via publica qua itur ad pontem Amancionis, a corina cum via qua itur ad Costam Bellam.

Et... et tres denarios pro usatico in quadam pecia terre, que confrontatur ab aquilone cum via qua itur ad Exindrium, et a circio cum caupoleria de camino Salvarez; et hec terra est Bertrandi de Galazanicis.

Et... et unum denarium pro usatico in tribus peciis terre (1) Petri Boca, quarum una pecia confrontatur a circio cum terra Johannis Cavallerii, a vento cum terra Bonafosse Enguelrigue; secunda pecia confrontatur a vento cum terra Raimundi de Gradu et a circio cum terra Matfredi; tercia pecia confrontatur a circio cum terra Bonafos[se] Enguelrigue, a corina cum terra Boneti de Podio carreria media.

Et... et quinque denarios pro usatico in sex peciis terrarum, et in uno stari Bernardi Cavallerii et nepotum ejus, infantum quondam Petri Cavallerii; de quibus terris una confrontatur a vento cum via qua itur ad locum dictum Sancti Salvatoris, a corina cum terra R. Stephani; secunda pecia confrontatur a circio cum terra Gremianorum via media, et a vento cum terra Enguelricorum; tercia pecia confrontatur ab aquilone cum terra quondam Bertrandi Rainardi, a circio cum terra Bernardi de Podio; quarta pecia ab aquilone cum terra Enguelricorum, a circio cum terra Gremianorum; in quinta pecia

(1) Cart.: *terra*.

est vinea, et confrontatur cum terra sacriste Magalonensis, a corina cum terra Ermengarde Exindrie; sexta pecia confrontatur a circio cum vinea quondam Berengarii de Sobeiras, a corina cum terra Codon; stare dictum est in castro de Villanova, et confrontatur a circio et aquilone cum viis publicis.

Et... et unum denarium pro usatico in una pecia terre R. Boca, que confrontatur ab aquilone cum terra Stephani Matfredi, et a corina cum terra Bernardi Gremiani.

Et jus totum, quodcumque sit, competens nobis et alteri ex nobis ullo modo in locali illo quod tenet in feudum Raimundus Barbatorta; quod locale confrontatur a vento cum muro castri Villenove, a corina cum via publica qua itur ad portale novum.

Et... in una pecia terre Guitardi, que est apud Podols; et confrontatur a vento cum terra communie, ab aquilone et circio cum honore R. de Podols; et similiter in alia pecia terre ejusdem Stephani Guitardi, que confrontatur a vento cum honore Bertrandi Thome, ab aquilone cum honore prepositi, [et] cum parane Aud (*un blanc de 1 cent.*) Carelli.

Et... et duos denarios pro usatico in una pecia terre R. Seguini, que est ad Podols; et confrontatur a vento cum honore Petri Guers, a circio cum carreria, et ab aquilone cum honore W. de Maurino.

Et... in alia pecia terre Serebalde; que terra confrontatur a vento cum honore R. de Podols, a circio cum carreria qua itur ad portum de Maurines, a corina cum honore *d'en* Bonafe, et ab aquilone cum faxia Petri Bertrandi; et in eadem pecia Serebalde, duos denarios pro usatico.

Et... in una pecia terre Pontii Draconis et W. fratris ejus quondam, sed nunc est uxoris Berengarii de Cabreira, et est apud Podols; et confrontatur cum terra Guitarde, a circio cum honore B. Berengarii, ab aquilone [cum terra] prepositi, a corina cum honore *d'en* Bonafe.

Et... et IIII^or denarios pro usatico in duabus peciis terre Guillelmi Bauzil; una quarum apud Podols confrontatur a circio cum terra R. de Gradu, et a vento similiter, et ab aquilone cum carreria qua itur ad Flexium; altera pecia confron-

tatur a vento et aquilone cum honore B. Berengarii. a circio et corina cum honore prepositi.

Et... et duos denarios pro usatico in duabus peciis terre Raimundi de Gradu. apud Podols; quarum una confrontatur a corina cum honore W. de Maurino. a circio cum honore Bertrandi Thome. ab aquilone cum honore B. Berengarii et cum via; altera pecia confrontatur a circio cum honore Petri de Valleta, ab aquilone cum via qua itur ad Flexium.

Et... in terra uxoris Berengarii de Cabreira, que terra fuit Pontii Drac et fratris ejus; et confrontatur a circio cum honore Liucanorum. et a corina cum planterio Petri Macellarii; et est apud Podols.

Similiter in istis subsequentibus honoribus, in quibus habet Dulcelina de Salviniaco, quondam uxor Petri Gerardi, quartum; et illud quartum tenet a nobis:

Vendimus, cedimus et concedimus vobis sengnoriam... et usatica, ut inferius continetur, scilicet in una pecia vinee Bernardi de Salvacio, que est in Costa Bella, in parrochia de Exindrio, sengnoriam... et tres denarios pro usatico; et confrontatur a vento cum camino. a corina cum vinea P. Bertrandi, a circio cum planterio Pauli Babot.

Et... et quinque denarios pro usatico in una pecia vinee Pauli Babot, que est in Costa Bella; et confrontatur a vento cum vinea B. de Salvano, et a circio cum vinea Vilarelli.

Et... et sex denarios pro usatico in una pecia vinee Johannis Cavallerii, que fuit Johannini, et est ad Costambellam: et confrontatur a circio cum vinea Stephani Matfredi, et a vento cum camino.

Et... et sex denarios pro usatico in una pecia vinee, que fuit Vilarelle, et modo est W. de Fanabregol et B. de Valle Erauga, et est ad Costambellam; et confrontatur a vento cum camino et a circio cum garrica.

Et... et duos denarios pro usatico in una pecia vinee filie quondam Bertrandi de Maurino, que est ad Costambellam: et confrontatur a circio cum garrica, et a vento cum via.

Et... et quatuor denarios pro usatico in una pecia terre Petri de Flexio, que est ad Costambellam: et confrontatur a

vento cum camino, et a circio cum vinea Bertrandi de Maurino.

Et... et unum sextarium ordei pro usatico in una pecia vinee Raimunde, filie Sicardi ; et confrontatur a circio cum vinea hospitalis et a vento cum camino.

Et... et tres denarios pro usatico in una pecia vinee hospitalis pauperum de Villanova : que vinea est ad Costambellam, et confrontatur a circio cum garrica, et a vento cum camino.

Et... et unum sestarium ordei pro usatico in vinea Bernardi Dochoi, que est in parrochia de Exindrio : et confrontatur a circio cum camino, et a vento cum caupoleria.

Et... et unam eiminam ordei pro usatico in parranem de na Regina ; que parranis est in parrochia de Exindrio, et confrontatur a circio cum parrane hospitalis, a corina cum parrane Pontii de Colums.

Et... et duos denarios pro usatico in alio parrane Stephani de Sancta Maria : que parranis est in parrochia de Exindrio, et confrontatur ab aquilone cum stagneolo, et a corina cum parrane alia sua.

Et... in una pecia terre Berengarii de Cabreria et uxoris ejus ; que terra est in ipsa parrochia de Exindrio, et confrontatur a circio cum garrica, et a vento cum camino ; et pro hac pecia et pro aliis duabus peciis, quas esse uxoris dicti Berengarii de Cabreria suprascriptum est, ipse debet dare, nomine usatici, nobis duos denarios pro usatico, quos vobis vendimus.

Et... et tres denarios pro usatico in una pecia terre Petronille, uxoris Ruffi Fabri : que terra est in eadem parrochia, et confrontatur a vento cum camino, et ab aquilone cum terra Revellorum.

Et... in vinea Firmini Gabaterii, que fuit B. Quintini ; et est in parrochia (*sic*), et confrontatur a vento cum planterio Ugue de Cesana, ab aquilone [cum honore] Johannis de Cocon ; et unum sestarium ordei pro usatico in jamdicta Firmini Gabaterii vinea.

Et... et tres denarios pro usatico in una pecia terre R. Revelli ; que est in eadem parrochia, et confrontatur a circio cum terra tui, R. Benedicti, et a vento cum vinea ipsius R. Revelli.

Et in alia pecia terre vestra, que est in parrochia de Exindrio... et sex denarios pro usatico; que terra confrontatur cum oliveda Beate Marie, et a circio cum garrica, et a corina cum via.

Et in alia pecia vestra terre, que est in decimaria Sancti Stephani... et duos denarios pro usatico; que terra confrontatur a vento cum Amancione, et a circio cum camino.

Item vobis vendimus et cedimus imperpetuum, scilicet totum feudum, et jus feudi, et albergum tribus militibus, et omne aliud jus, quodcumque sit, quod ratione ipsius feudi vel quovis alio modo habemus, seu debemus habere, in quartis et pro quartis que Dulcelina de Salviniaco, uxor quondam Petri Gerardi, tenet a nobis vel altero nostrum: que quarta percipit et habet ipsa Dulcelina in dictis honoribus contentis a paragrafo superius qui incipit: *similiter*, et est in linea septima decima computanda ab ista.

Item vobis vendimus et cedimus scilicet senhorium, et consilium, et laudimium, et quicquid juris habemus in quadam pecia terre Guillelmi Textoris: que pecia confrontatur ab aquilone cum Amancione, a circio cum honore R. de Podols, a corina cum carreria qua itur ad Flexium, et a vento cum honore prepositi.

Et... et quatuor denarios pro usatico in una pecia terre Seribalde, que confrontatur ab aquilone cum Amancione, a vento cum honore R. de Podols, a corina cum carreria qua itur [ad] Flexium, et a vento cum vinea Logrese.

Hec supradicta usatica, et alberga, et jura, omnia et singula, et laudimium, et consilium, et sengnoriam in honoribus seu prediis, omnibus et singulis, terminatis supra, adhuc eciam super generalitate res universas et singulas, corporales et incorporales, quecumque sint, que in tota parrochia de Exindrio, et in tota parrochia Sancti Stephani de Villanova, et ubicumque in pertinentiis seu territoriis castri de Villanova ad me, Guillelmum Bertrandum, et ad me, Garssenz ejus uxorem, et ad solum alterum vel ad quemlibet ex nobis pertinent, seu pertinere possunt vel debent, ullo intellectu, ea universa et singula, sine ulla exceptione et retentione, titulo pure et

perpetue vendicionis, ego prefatus Guillelmus Bertrandi, et ego prefata Garssens uxor ejus, quilibet reus vendendi in solidum tibi, Raimundo Benedicto, et tibi, Bertrando Benedicto fratri ejus, et vestris successoribus vendimus... omnes ac singulas actiones, peticiones et prosecutiones, reales et generales et mixtas, et alias quaslibet quecumque, intuitu omnium et singulorum supra venditorum, competunt vel possunt competere nobis et cuilibet ex nobis ullo modo, cedimus et damus vobis in hac dicta vendicione; et ipsis omnibus actionibus cessis vobis, facimus vos in rem vestram propriam procuratores et dominos; et ipsorum venditorum, omnium et singulorum, corporalem possessionem vel quasi per nos apprehensuros vestra auctoritate vobis concedimus et mandamus.

Quam quippe prescriptam vendicionem, cessionem et dacionem suprascriptorum usaticorum, et albergorum, et laudimiorum, et consiliorum, et actionum, et jurium supra plenius dictorum, vobis et vestris facimus (1), et confirmamus, ut plenius et melius ad comodum et intellectum vestrum et vestrorum successorum dici potest, pretio scilicet sexcentorum solidorum melgoriensium, quos omnes vere nobis traditos et solutos a vobis jam habuimus, et satisfactum in eis vera solucione vobis profitemur, renunciantes exceptioni non soluti precii, et inde vos quitios clamantes. Quod etiam pretium, pro parte maxima, in solutione debitorum nos valde urgencium et gravancium, et, pro alia parte, in hiis que ad victum et vestitum nostrum et infantum nostrorum erant valde necessaria, sine quibus etiam non poterat cena duci, pro certo vertimus et erogavimus; et sic indubitanter cognoscimus hanc prescriptam venditionem vergere et redundare in nostram evidentem necessitatem... Totum quod valent... amplius ipsa omnia vendita, donamus et solvimus vobis de mera liberalitate, et factum vobis facimus de non petendo illud, et de non impugnando hanc vendicionem et cessionem, vel aliquod jamdictorum, occasione minoris precii, vel ejus supplementi.

---

1. Cart.: *vobis et facimus vestris.*

Siquidem omnia et singula, vobis superius vendita et cessa, nos tenebamus, et tenebitis vos de cetero, in feudum a domino Magalonensi episcopo; et pro ipsis omnibus prestabitis ac facietis eidem domino episcopo, singulis annis, albergum tribus militibus cum civata et disnari in crastinum; sed hominium vel aliquid aliud servitium, vel usaticum, preter jamdictum albergum, vos vel [aliquis] vestrum, [pro] dicto feudo vel pro dictis rebus venditis, facere vel prestare nequaquam debebitis. Sane quilibet nostrum... vobis promittimus... quod faciemus vos et vestros successores imperpetuum pacifice... possidere, scilicet res universas... et jura que in dicta vendicione et cessione continentur... et quicquid fuerit evictum ullo tempore totaliter vel particulariter restituemus... et ex certa sciencia renunciamus legi Julie, que prohibet dotalis fundi vel rei alienacionem, et beneficio nove constitutionis, et omni juri competenti pro dividenda obligatione, et omnibus aliis auxiliis juris cujuslibet scripti et non scripti...

Item vobis stipulantibus promittimus quod... nichil prorsus diximus... [sed] modis omnibus... rata nos habituros... vobis stipulantibus promittimus, et juramus corporaliter super sancta Dei evangelia.

Et ego Guillelmus Bertrandi, filius prefati G. Bertrandi et dicte Garsengis, sponte et scienter tibi Raimundo Benedicto, et tibi Bertrando ejus fratri, et vestris, concedo et confirmo vendicionem et cessionem prescriptam, factam vobis a meis prefatis parentibus; et ipsa jura vendita omnia et singula, et res etiam venditas omnes et singulas, et omnia que superius continentur; et per stipulationem vobis promicto, atque juro corporaliter super sancta Dei evangelia, quod omnia et singula suprascripta rata, modis omnibus, semper tenebo, et nunquam impugnabo, nec contra veniam ullo jure.

Testes sunt horum omnium, actorum sollempniter apud Montempessulanum, anno et die prefixis, scilicet Guillelmus Bertrandi de Gigiano, Arnaldus de Lundris, Guillelmus Benedicti, Guillelmus de Pleissano, et Bernardus de Porta notarius, qui rogatus hec scripsit.

Post hec, eodem anno, septimo idus martii, dominus B[er-

nardus] de Mesoa, Magalonensis episcopus,... laudavit... Raimundo Benedicto et Bertrando, ejus fratri, emptoribus prefatis, et eorum successoribus, hec ipsis fratribus stipulantibus et recipientibus, scilicet res omnes et singulas corporales et incorporales, et jura, et acciones superius venditas et cessas, et ipsarum rerum et ipsorum jurium vendicionem et cessionem, ut superius plenius continetur factam, et omnia et singula plenissime valitura, ut supra continetur; et expressim concessit ipse dominus episcopus quod dicti fratres emptores, vel eorum successores, nunquam pro dicto feudo, vel pro dictis rebus et juribus, contentis in vendicione prescripta, teneantur ullo vinculo vel debito hominii, nec etiam ad aliquod servitium vel usaticum sibi prestandum, nisi duntaxat ad albergum trium militum cum civata et disnari, ut est prescriptum; et pro hiis omnibus habuit ipse dominus episcopus, ab eisdem fratribus emptoribus jam memoratis, scilicet ducentos solidos melgorienses.

Testes sunt Johannes de Latis causidicus, Ademarus notarius, Deodatus Burgada, W. Berengarii presbiter, Fredolus Bernardus de Gradu, Poncius Faber presbiter, W. de Tribus viis bajulus Villenove, Petrus Ranati bajulus domini episcopi, et alii, et Bernardus de Porta notarius, qui rogatus hec omnia scripsit, et in linea tricesima nona supra scripsit *Petronille*.

(Reg. A, fol. 52 r°).

CCCCLXI. — 19 mai 1230

Frédol de Laroque-Aynier reconnaît tenir de l'évêque La Cadière (près Ganges).

Presentis scripti declarat series quod ego, Fredolus de Ruppe Aynerii, cum hoc publico instrumento recognosco vobis, domino B[ernardo], gratia Dei Magalonensi pontifici, me tenere a vobis, pro ecclesia beati Petri de Magalona ad feudum, totam villam Sancti Michaelis de Cathedra cum pertinenciis suis, scilicet ut movetur a terminio quodam quod vocatur *al Peras*, et tenet totus mansus meus de Area, et partitur cum

manso de Ponte; et sicud itur inter campum Guillelmi Guiraudi et Bermundi de Pontibus et venitur *al Peiro*; et circuit omnes domos dicte ville et edificia; et ut exitur per quamdam carreriam a dicta villa et itur usque ad crucem veterem, que est in camino de Salve, usque in carreriam *del Saucellis* et venitur per carreriam *del Sausellis* usque ad dictum *Peras*;

Et ita universa que infra dictos terminos sunt dominia, et census, et usatica, et jurisdicciones, que ad me, nomine dominii, sive juste sive injuste spectant, me a vobis tenere scio et recognosco, et vobis hominium facio pro dicto feudo, salvo tamen jure quorumdam dominorum a quibus quedam alia feuda teneo. Et promitto me vobis esse fidelem, et servare vos, et celare secreta vestra; et dictum vobis debeo recognoscere, cum volueritis, feudum, et servicium facere; et fidelitatem expressam vobis super hec sancta Dei evangelia juro. Et de dicto feudo nichil amplius scio; et si unquam amplius scivero, illud vobis dicam.

Hec recognitio facta fuit in platea ville Sancti Michaelis de Cathedra, XIIII° kalendas junii, anno Domini M° II° XXX°. Cujus rei testes fuerunt Raymundus de Mesoa archidiaconus, Firminus archipresbiter, Guillelmus Cristols prior Sancti Marcelli, Raymundus de Gabriac prior de Montealbezone, Raymundus de Lauda prior Agantici, Gullelmus Ermengavus prior Sancti Vincenciani, P. de Roca forcada, Petrus de Cornone canonici, Berengarius de Valveria prior Montisferrarii, R. Brunenc prior de *Lansaneges*, P. de Mercadil prior de Montiliis, P. de Striador, prior de Cogullis (1), magister Johannes prior de Albaterra, Fredolus prior de Lentescleriis, Bernardus Durantus prior de Cathedra, Po. Fabri capellanus domini episcopi, P. Sabaterius dyaconus, Geraldus Petrus dyaconus, G. Petri de Agantico, P. de Bernicio, R. Petri, Po. Petri, Gerardus de Ruppe, P. de Pamiis, P. Raymundus, G. de Marcillanicis, Bertrandus de Plano, Bermundus de Pontibus, Durantus de *Cimaneges*, P. de Montiliis, G. de Ubac, Bn. Bonecs, P. *Maistre*, G. de Ponte, G. de la Costa, Bn. de Penaria, P.

(1) Saint-André de Cogulles, prieuré près Fabrègues.

Marsals, P. Cepeor, Geraldus Antaries, Po. de Artigolis, Bn. Vidianus, Geraldus *Maistre*, Pe. Bedos, et Girbertus de Ruppe notarius, et plures alii, et ego P. de Baucellis, publicus Agantici et Ruppis Aynerii notarius, qui, mandatus a partibus, hec scripsi et signum meum apposui.

(Reg. D. fol. 239 r°).

CCCCLXII. — 23 juillet 1230

Reconnaissance faite par Guillaume Vital à Guillaume Nègre d'une terre sise à Murviel.

Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo, decimo kalendas augusti, ego, Guillelmus Vitalis faber, cognosco et scio tibi Guillelmo Nigro, curatori (1) infantum quondam Stephani de Rippa, quod ego habeo et teneo unam peciam terre terminio de Muroveteri; et jungitur ex una parte cum via, et ex alia parte cum honore Poncii de Mesoa, et ex alia parte cum honore Poncii de Riperia ; in qua dicti infantes habent dominium, consilium et laudimium, et annuatim, in festo sancti Petri de augusto, unam eminam ordei pro usatico; quod usaticum me annuatim dictis infantibus soluturum promitto, obligans pro his dictum honorem.

Testes sunt Johannes Olrici, Raimundus de Agantico, Bertrandus Arolen notarius qui rogatus hec scripsit.

(Reg. C, fol. 176 v°).

CCCCLXIII. — 6 décembre 1230

Hugues, comte de Rodez, reconnaît tenir de Bernard de Mèze le château de Brissac.

Noscant presentes pariter et futuri quod ego Ugo, Dei gratia comes Ruthenensis, per me et Helisabet uxorem meam, filiam quondam et heredem nobilis viri bone memorie Raimundi de Rocafolio, scio... et recognosco domino B[ernardo], Dei gratia Magalonensi episcopo, comiti et domino Melgorii et

(1) Cart.: *auratoria*.

Montisferrandi, et tibi Raimundo Lamberto, filio quondam Guillelmi Lamberti, tenenti locum et vices gerenti ipsius domini episcopi in temporalibus, stipulanti etiam ac recipienti, [quod ab eodem teneo forcias] et municiones que ad me devolute sunt, nomine dicte uxoris mee, in castro de Breissaco, presentes et futuras, factas et facturas, tam in dicto castro, quam in toto mandamento ejusdem castri; quas teneor reddere predicto domino episcopo et comiti, et successoribus suis, vel mandatariis eorum, per pacem et per guerram, iratus et pacatus, quandocumque et quotienscumque a me vel successoribus meis fuerit requisitum :

De quibus omnibus et singulis, per me [et] omnes successores meos, prefato domino episcopo et comiti, et successoribus suis in comitatu Melgorii, juro vitam, et membra, et fidelitatem, tactis a me sacrosanctis Dei evangeliis; promittens in ipso sacramento quod, si quid aliud teneor facere, vel dictus Raimundus de Rocafolio, aut antecessores sui fecerunt comiti Melgorii pro predicto feudo, quod illud faciam et recognoscam, ad mandatum prefati domini episcopi et successorum suorum in dicto comitatu, ita quod, ex suprascripta recognitione, nullum prejudicium fiat prefato domino episcopo et comiti, vel successoribus suis.

Item promitto quod quicquid plus, ad predictum feudum pertinens, vel ad aliud feudum quod ad comitatum Melgorii et Montisferrandi pertineret, ad notitiam meam devenerit, illud non celabo, ymo notificabo, et recognoscam, et inde servitium, quod facere teneor, faciam dicto domino episcopo et comiti, et succedentibus [ei] in comitatu jamdicto, ita quod nullo modo me defendam.

Acta sunt hec omnia in domo Vallismagne, que est prope muros Montispessulani, coram domino Johanne de Latis judice et cancellario dicti domini episcopi, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo, VIII idus decembris, in presentia et testimonio Raimundi Brunenchi prioris de Lansanicis(1), Audeberti Garnerii militis, Raimundi de Monte-

(1) Cart.: *Lanslancis*.

arbedone, Poncii de Valverina, Petri Ferran, Johannis de Melgorio macellarii, Petri de Portali, Bernardi de Terrada, et aliorum, et Bernardi Assalliti notarii, qui, rogatus a partibus, hec scripsit.


(Reg. A, fol. 265 r°; édité par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 230).

Avec cet acte apparait dans le diocèse de Maguelone une famille dont le nom reviendra souvent, surtout sous l'épiscopat de Bérenger de Frédol (Fasc. XI), et que nous avons rencontrée dans nos *Annales de Lodève:* les comtes de Rodez, qui s'établirent à Brissac et occupèrent cette seigneurie pendant un demi-siècle.

Corrigeons ici une erreur que le *Cartulaire* nous a fait connaître: l'acte qui se trouve à la page 40 du Tome I de cette édition est en réalité de l'année 1273.

Il serait trop long de donner toute la généalogie de ces comtes, que certains veulent rattacher à la famille de Rouergue-Toulouse. L'ancètre authentique est Bernard (935), qui fut vicomte de Millau et de Gévaudan. A la quatrième génération, Bérenger II, vicomte de Millau et de Gévaudan, épousa Adèle, qui lui apporta en dot le Carlad et la vicomté de Lodève.

C'est là que nous prenons la généalogie.



(1) Il fut vicomte de Millau et de Gévaudan et épousa Gerberge de Provence. Il n'eut qu'une fille, qui se maria à Raimond-Bérenger de Provence.

La famille s'éteint : tous les enfants de Hugues II étant morts sans héritiers. Mais Hugues laisse, de Bertrande d'Amolon, un bâtard : Henri, qui prend le titre de comte de Rodez. Voici la généalogie de cette branche pour l'époque qui nous intéresse.

Henri épouse Algayrolles de Scoralle

- Hugues + 1274 épouse Elisabeth de Roquefeuil, qui lui apporte Brissac.
  - Henri épouse Marquise fille de Barral seigneur de Baux. C'est lui qui vendit la seigneurie de Brissac à Bérenger de Frédol.
  - Walburge épouse Guillaume seigneur de Randon.
  - Alix religieuse à Nonenque.
  - Alcoyeth épouse Amalric de Narbonne.
  - Delphine épouse Pierre Pelet.
- Guibert
- Jean
- Guise épouse Pons de Montlaur

CCCCLXIV. — (Sans date)

Lettre de Bernard de Mèze au chapelain de Poussan.

B[ernardus], miseratione divina episcopus Magalonensis, dilecto in Christo capellano ecclesie de Porciano, salutem in Domino.

Ex conquestione B. de Sancto Philicio, nos noveritis percipisse quod nobilis vir Rostagnus de Poscheriis, R. Sabbaterii, S. Aventura, et quidam alii parrochiani vestri injuriantur eidem plurimum supra quadam peccunie quantitate, in qua, ut asserit, sibi tenentur juramento obligati.

Cum autem solutionis terminus, ut dictus proponit conquerens, sit elapsus diucius, eidemque nondum plenarie satisfactum, presencium vobis auctoritate mandamus quatenus memoratos parrochianos vestros diligenter et efficaciter curetis inducere, ut, in predicta pecunia, infra VIII dies, post harum receptionem presencium, memorato satisfacere studeant

conquerenti ; alioquin ipsos per censuram ecclesiasticam compellatis.

Datum apud Montempessulanum, VII kalendas aprilis.

(Reg. F, fol. 82 r°).

Dans cette lettre et la suivante, rien ne démontre qu'elles doivent être attribuées plutôt à Bernard de Mèze qu'à Bérenger de Frédol, si ce n'est la mention faite de Rostang de Posquières, qui, croyons-nous, doit être identifié avec le Rostang qui joua un certain rôle dans la Province au commencement du XIIIe siècle (Cf. *Hist. gén. de Languedoc,* t. VI, *passim*). Mais il y a une autre raison, qui est péremptoire. Dans le second acte concernant l'affaire de Balaruc, Bernard de Mèze signale deux lettres qu'il a écrites aux habitants de Poussan, et les indications qu'il donne correspondent avec les deux lettres que nous publions. La paternité ne nous paraît plus faire aucun doute.

CCCCLXV. — (Sans date)

Autre lettre de Bernard de Mèze au chapelain de Poussan.

B[ernardus], miseratione divina episcopus Magalonensis, dilecto in Christo capellano de Porciano, salutem in Domino.

Ex conquestione B. Drissa, tutoris liberorum condam R. Canutis, et eorumdem liberorum, nos noveritis precepisse quod S. Noverii, G. Aymonii, Poncius *d'Ortols,* Jausimundus, R. Molinerii, Salvaire *d'Aguarella,* P. Poncii, G. Ruffi, P. Chalzulfi, B. Canutis, P. Lanza, Deodatus S., B. Andreas, S. *d'Ortols,* R. Baudili, Thomas Porcelli, Bertrandus Chatgerii, P. Rainaldi, Cathgerius juvenis, P. Rainaldi, G. Guinonii, R. Sabbaterius molinerius, Laurencius Anicus, S. Rodares, Oliverius, P. Bonerii, Bartholomeus Fulcrandi, B. *d'Avena,* Poncius Vitalis, J. Bruni, Poncius Balma, B. Sabbaterius, B. Faber, R. Vincencii, G. Ficulnera, S. Vallauques, Firminus, B. Cuciacropihac, G. Viridarius, G. Fornirius, J. Lacherius, S. Dominici, B. Textor, S. Cordurerius, S. Aucelli, Picorvellus, G. Deodatus, Baudoria, G. *d'Alloi,* Vitalis Christofori, P. Balma, J. de Areis, Albanellus, S. Aventura, S. Lacherius,

P. Gauschus, Berengarius Vallauques, R. Blanc, P. de Mannona, G. de Narbona, G. Lauterii, R. Pinhan, P. Richardi, P. Lauterii, Supplici Catalanus, B. S., G. Pastor, B. J., et Nicholaus de Valle Orseria, parrochiani vestri, injuriantur eisdem plurimum super quadam pecunie quantitate, in qua eisdem liberis, ut asserunt, et patri condam eorum tenentur, quisque in solidum, cum instrumentis publicis, nobis ostensis, juramento obligati.

Quocirca, presencium vobis auctoritate, mandamus quatenus, cum solutionis terminus sit elapsus diucius, ut conquerentes asserunt memorati, eisdemque nondum plenarie satisfactum, prelibatos parrochianos vestros diligenter monere et efficaciter curetis inducere, ut abhinc usque ad proximum veniens festum Penthecosten, conquerentibus satisfacere studeant sepedictis ; alioquin ipsos per censuram ecclesiasticam compellatis, tamdiu donec de predictis satisfacerent competenter.

Datum apud Montempessulanum, X kalendas junii.

(Reg. F, fol. 81 v°).

CCCCLXVI. — (Sans date)

Plaintes de Bernard de Mèze à Grégoire IX au sujet du comté de Melgueil.

Significat Sanctitati Vestre devotus vester Magalonensis episcopus, quod Raimundus, quondam Tholosanus comes, comitatum Melgorii seu Montisferrandi tenens in feudum a Romana Ecclesia, ad quam spectat, castra Ruppis Ainerii, Montis Rotundi, de Basaluco, castra Ermensis, aliaque in Arisdio, ratione comitatus Melgorii et Montisferrandi, quedam alia Magalonensis et Nemausensis diocesium ad ipsum spectancia, tenebat, ac comitatum, sine consensu Romanorum Pontificum alienare presumpsit (1) in ejusdem comitatus gravem lesionem.

1) Cart.: *presumpscit*.

Unde bone memorie dominus Honorius Papa, predecessor vester, domino Romano cardinali, Apostolice Sedis legato, suis dedit litteris in mandatis, ut ea que, de bonis comitatus predicti inveniret illicite alienata vel distracta, ad eundem legitime revocaret, prefato episcopo faceret assignari; qui cum generali negocio Jhesu Christi, quod in partibus Albigensibus agitatum (1) totus implicitus, predictorum executioni intendere (2) non valeret (3), venerabili patri archiepiscopo Narbonensi causam ipsam, qua fungebatur auctoritate, commisit.

Unde supplicat Sanctitati Vestre dictus episcopus, quatenus eidem archiepiscopo scribere dignemini, ut in negotio ipso, a dicto legato sibi comisso, secundum formam et tenorem rescripti domini predecessoris vestri procedere non postponet, non obstantibus confirmationibus super ipsis alienationibus vel aliis literis a Sede Apostolica, tacita veritate vel suggesta falsitate, impretratis vel impetrandis.

Item supplicat Sanctitati Vestre, quod cum originalia instrumenta donationis sive concessionis dicti comitatus, quem a Sede Apostolica sub annuo censu tenet in feudum, a bone memorie Petro comite, Romane Ecclesie centum quadraginta anni sunt et plus facte, non habeat, et propter defectum eorum predictus comitatus paciatur (4) gravissimam lesionem, quatenus transcripta dictorum instrumentorum, que penes vos esse debent, sub bulla vestra transmittatis eidem.

Item supplicat Sanctitati Vestre, quod cum tanta sit malicia hominum terre illius, quod ecclesiastica disciplina in illis partibus enervetur, quatenus, de solita Sedis Apostolice benignitate, sibi dignemini indulgere, ut excommunicationis et interdicti sive ipse, vel aliquis (5) pro ipso, in perturbatores, vel invasores, aut indebite molestatores ipsius super ipso comitatu, aut eorum receptatores, vel terras eorum, racio-

(1) Cart.: *igitun.*
(2) Cart.: *in itendere.*
(3) Cart.: *valent.*
(4) Cart.: *paciatiti.*
(5) Cart.: *aliquid.*

nabiliter tulerit, si ultra sex menses in sua malicia persti- terint (1), a nemine relaxari possint, donec malefactores ipsi eidem satisfecerint competenter, et, cum ipsius litterarum testimonio, veniant personaliter ad Sedem Apostolicam abso- lutionis beneficium petituri, nisi (2) de speciali gratia Sedis Apostolice eorum absolutionem duxerit (3) committendam, ut audientes vestram indulgentiam plus timeant ipsum et Eccle- siam suam, et in ipso Romanam Ecclesiam super dicto comi- tatu offendere, cum dignum sit ut quos (4) Dei timor a malo non revocat, ecclesiastice saltim coherceat severitas discipline.

Idem supplicat Sanctitati Vestre, quatenus pedagium quod castrum Montisferrandi, ratione dicti comitatus, per longa tempora, ex quibus non exstat memoria, in stratis percepit, et adhuc percipit, sibi dignemini confirmare, addentes ut si illi, a quibus dictum pedagium debet recipi, non fecerint transitum per loca, ad hoc specialiter deputata, sibi liceat, ubicumque voluerit, infra ipsum comitatum ipsum pedagium recipere.

Idem supplicat Sanctitati Vestre, quatenus ecclesiam Sancti Stephani de Bejanicis, sue diocesis, episcopali mense a longe retroactis temporibus reservatam (5), sibi dignemini confir- mare.

Idem significat Sanctitati Vestre, quod nonnulli clerici et laici, contra vassallos seu feudales suos, super rebus feudalibus quas ab ipso tenent in feudum aliquo modo a Sede Aposto- lica, aliquando modo a legatis ipsius Sedis Apostolice, tacito quod res ipse, super quibus impetrant, sint feudales, ad aliquos (6) judices causam impetrant delegari, coram quibus cum vassalli sive feudales ipsi excipiendo proponunt quod res ipse, super quibus conveniunt, feudales existant, et ipsi parati sint contra ipso domino feudi exhibere (*un blanc de*

(1) Cart.: *pertisterit*.
(2) Cart.: *nicsi*.
(3) Cart.: *dixerit*.
(4) Cart.: *quod*.
(5) Cart.: *reservatum*.
(6) Cart.: *aliquod*.

2 cent.) complementum, ipsi tamen judices delegati, non obstante hujusmodi exceptione, vassallos sive feudales ipsos compellunt contra se super ipsis rebus feudalibus respondere, ipsius episcopi et feudalium sive vassallorum ipsorum gravissimam lesionem [inferentes]; unde supplicat Sanctitati Vestre dictus episcopus quatenus sibi vassallis (1) sive feudalibus suis paterna sollicitudine providentes solita Sedis Apostolice benegnitate (2), que unicuique jus suum cupit servare illesum, per vestras litteras inhabite dignemini neque vassallos seu feudales suos super feudis, que tenent ab ipso, coram aliis judicibus in causam ipsam habere presumant, quamdiu dicti ejus vassalli seu feudales coram ipso super dictis feudis volent conquerentibus respondere, et ipsi sint de illis conquerentibus justiciam exhibere parati.

(Reg. C, fol. 99 r°).

CCCCLXVII. Sans date

Philippe de La Vérune reconnaît tenir de l'évêque seize terres à Gigean.

Ego, Philippus de Veiruna (3), scio et cognosco in veritate me habere et tenere ad feudum sive per feudum a vobis, domino B[ernardo], Magalonensi episcopo, et successoribus vestris, sexdecim pecias terrarum que sunt in territorio de Gigano: quarum una confrontatur ex una parte cum honore Marie de Viridario, et ex duabus partibus cum honore monacharum Sancti Felicis;

Secunda confrontatur ex una parte cum honore Petri Garota, et ex aliis cum honore Bernardi Catalani;

Tercia confrontatur ex una parte cum honore Bernardi de la Palla, et ex aliis cum terra que fuit Poncii Folcherii;

Quarta pecia confrontatur ex una parte cum terra R. Vitalis, et ex alia cum honore B. de Comba;

---

(1) Cart.: *vassallos.*
(2) Cart.: *benigniter.*
(3) Cart.: *Vairuna.*

Quinta pecia confrontatur ex una parte cum via que tendit apud Divisons, et ex alia cum honore Petri Rainulphi;

Sexta pecia confrontatur [ex una parte] cum vinea Guillelmi Ermengaudi, et ex alia cum strata Beati Jacobi;

Septima pecia confrontatur ex una parte cum terra Poncii Rainulphi, et ex alia cum camino Beati Jacobi;

Octava pecia confrontatur ex una parte cum honore uxoris quondam Grallonis, et ex alia cum via publica;

Nona pecia confrontatur ex una parte cum terra Petri Bertrandi, et ex alia cum honore Bonafos de Grazillanicis;

Decima pecia confrontatur ex una parte cum honore Petri de Vinna, et ex alia cum honore Azemari de Prades;

Undecima pecia confrontatur ex una parte cum via que vadit apud Villamnovam, et ex alia cum honore Bonafos de Grazillanicis;

Duodecima pecia confrontatur ex una parte cum camino publico, et ex alia cum honore Bernardi de Palla;

Terciadecima confrontatur ex una parte cum honore R. de Cornone, et ex alia cum strata Beati Jacobi;

Quartadecima pecia confrontatur ex una parte cum terra Guillelmi Carnificis, et ex alia cum prato castri;

Quintadecima pecia confrontatur ex una parte cum riperia Avene, et ex alia cum terra R. Johannis;

Sextadecima pecia confrontatur ex una parte cum honore Bernardi de Comba, et ex alia cum orto Guillelme de Lensano;

Et duas domos infra castrum de Gijano, quarum una confrontatur ex una parte cum via publica, et ex alia cum estari Petri Porcelli; altera confrontatur ex una parte cum domo Bernardi de Solario, et ex alia cum domo Bernardi de Palla;

(Reg. F, fol. 135 v°).

CCCCLXVIII. Sans date

Les tuteurs de Hugues et Bertrand Guillem de Montarnaud reconnaissent au nom de leurs pupilles, la ville de Saint-Martin de Londres à l'évêque de Maguelone.

Testimonio hujus presentis carte publice sit manifestum... quod nos, Bertrandus Ademari, et Berengarius Dalmacii, et Dal-

macius frater ejus, tutores testamentarii... filiorum quondam Hugonis Guillelmi de Monte Arnaldo, scilicet Bertrandi et Hugonis fratrum, et etiam bonorum ad ipsos pertinentium, scientes de facto et cerciorati de jure pro dictis Bertrando et Hugone fratribus in nostra potestate constitutis, Deo auctore et veritate certa (1), scimus et pro certo recognoscimus, ex nostra certa scientia, vobis domino B[ernardo], Dei gratia Magalonensi episcopo, comiti et domino Melgorii et Montisferrandi, pro dictis fratribus Bertrando et Hugone, nomine ipsorum et auctoritate officii et administrationis quam gerimus tam circa personas dictorum fratrum et bonorum ad ipsos pertinentium, presente et volente et consentiente Petronilla, matre dictorum fratrum, quod predicti fratres Bertrandus et Hugo, filii quondam dicti Hugonis Guillelmi, et nos pro ipsis habemus et tenemus in feudum a vobis, dicto domino Magalonensi episcopo, comite et domino Melgorii et Montisferrandi, villam Sancti Martini de Lundris cum edificatis et inedificatis, et dominationibus, et dominiis, et hominibus, et feminis, et usaticis, et generaliter ac universaliter omnibus aliis juribus, ad dictos fratres Bertrandum et Hugonem quoquomodo pertinentibus, in villa Sancti Martini de Lundris, excepta tantummodo quadam domo quam dicti fratres tenent in ipsa villa a dicta ecclesia Sancti Martini; pro quo feudo predicti fratres et eorum successores, sicut antecessores eorum facere tenebantur comiti et domino Melgorii et Montisferrandi, tenentur et tenebuntur (2) vobis, predicto domino episcopo, et vestris successoribus facere hominium, et jurare fidelitatem, et vitam, et membra, et alia que in sacramento fidelitatis continentur.

Et tenentur et tenebuntur vobis et successoribus vestris, dominis Montisferrandi, preter predicta, facere *host,* et cavalcatam (3), et segui, et valenciam, cum hominibus et villa predicta sine aliqua deffensione et excusatione.

Et preterea tenentur et tenebuntur dicti fratres et eorum

(1) Cart.: *prima.*
(2) Cart.: *tenebantur.*
(3) Cart.: *calvacatam.*

successores vobis, domino episcopo, et successoribus vestris, dominis Montisferrandi pro voluntate vestra, sine aliqua contradictione, et deffensione, et exceptione, prefatam villam Sancti Martini, et forcias et municiones, in ea jam constructas et constitutas, et construendas et constituendas, reddere, per pacem et per guerram, quandocumque et quotienscumque volueritis.

Que omnia jure dominationis et seignorini ad vos, dominum episcopum, et successores vestros, dominos Montisferrandi, jure et juste pro dictis fratribus recognoscimus pertinere, et villam predictam Sancti Martini esse et fuisse de mandamento castri Montisferrandi; in qua villa et in toto ejus terminio recognoscimus vos et antecessores vestros habuisse, et vos et successores vestros habere, et habere debere, jura et potestatem et imperium faciendi et infligendi omnes penas sanguinis illis hominibus et feminis, qui delicta in prefatis locis comiserint, pro quibus penam sanguinis meruerint sustinere sive in toto corpore sive in aliqua ejus parte.

Preterea recognoscimus vobis, domino episcopo, et successoribus vestris, dominis Montisferrandi, quod predicti fratres et nos pro ipsis tenemus in feudum a vobis, eodem modo et sub eadem forma, nomine et ratione dominii et mandamenti Montisferrandi, mansum de Combals cum omnibus ad ipsum pertinentibus et adjacentibus, qui est in parrochia Sancti Egidii de Fisco; et eodem modo mansum de Cumbis, et eodem modo mansum *del Bosc* (1) et mansum *Novel* cum omnibus ad ipsos pertinentibus et adjacentibus, qui sunt in parrochia Sancte Marie de Lundris.

Et nos predicti tutores, protectores, custodes et bajuli predictorum B. et Hugonis, auctoritate officii quod gerimus, nomine predictorum fratrum; et nos B. et Hugo, auctoritate dictorum tutorum, quod nos dicti tutores verum esse cognoscimus, presente, volente et consentiente domina Petronilla, matre nostra, quod ego Petronilla verum esse cognosco, nos omnes et singuli, tactis sacrosanctis evangeliis, nomine pre-

(1) Cart.: *desbac*.

dictorum feudorum, juramus vobis prefato domino episcopo et successoribus vestris fidelitatem, et vitam, et membra, et ea omnia que in sacramento fidelitatis continentur, faciendo vobis hominium pro predictis, flexis(1) genibus et inter manus vestras manibus nostris interpositis, et prestito osculo observande fidelitatis, et recognicionis, [et] dominacionis, et debite subjectionis.

Preterea nos omnes supradicti et singuli in prefato sacramento asserimus nos nescire aliquid aliud pertinere ad dicta feuda, preter quod dictum est, neque Hugonem Guillelmi tenere aliquid aliud ad feudum, quod pertineret ad dominationem castri Montisferrandi. Quod si ad scientiam nostram unquam devenerit, nos illud non celabimus, ymo faciemus totum illud vobis, domino episcopo, et vestris successoribus manifestum ; et eciam inde vobis et vestris successoribus recognicionem debitam faciemus.

Acta sunt hec omnia sollempniter apud Terrallum, in presencia et testimonio domini Hugonis archipresbiteri Magalonensis, Stephani Codon, Petri Geraldi, canonicorum, Johannis de Latis cancellarii dicti domini episcopi, Raimundi de Sauzeto jurisperiti, Guillelmi Arnaudi decretiste, Johannis Guirardi notarii Montispessulani, Guillelmi Germani capellani de Terrallo, Johannis Raphyni diaconi, Guillelmi de Terrallo prioris de Mujolano, Guillelmi Berengarii diaconi, Fredoli subdiaconi armigeri domini episcopi, Philippi Vedelli, Bernardi de Mesoa, nepotis domini episcopi, Raimundi de Rivosicco, Johannis de Cassillaco diaconi, Raimundi Guerra militis, Guillelmi de Marcellano nepotis domini episcopi, Rotberti de Sauzeto, Guillelmi Dyonisii, Raimundi Columbi de Montepessulano, Petri de Moulons de villa Sancti Martini de Lundris, Bernardi de Masclato ejusdem ville, et Johannes Bedocii notarius publicus, qui hec scripsit mandatus.

(Reg. E, fol. 217 r°, d'après un vidimus de 1246 ; édité en partie par M. l'abbé Bougette, dans *Hist. de Saint-Martin de Londres*, p. 278).

---

(1) Cart.: *felexis*.

AFFAIRE DE BALARUC

CCCCLXIX. — 12 août 1226

Propositions de Gui Chef-de-Porc. Auditions de ses témoins (1).

Anno Dominice Incarnationis M° II° XXVI°, die mercurii ante festum Assumptionis Beate Marie Virginis, Deo et vobis, domino Petro, Dei gratia archiepiscopo Narbonensi, supplico ego Guido de Capite Porco, ut, per officium vestrum, possessionem castri de Bazaluco cum omnibus obventionibus inde perceptis, quod castrum longo tempore possedi bona fide usque ad tempus quo extiti expoliatus, et sum, ab R[aimundo], filio quondam R[aimundi] comitis Tholose, et ab hominibus ejusdem castri ; quod castrum venerabilis pater et dominus, ac judex meus, [Bernardus], Dei gratia episcopus Magalonensis, nunc tenet et detinet, vel alius ejus occasione, michi restitui faciatis ab eodem, salvo jure pluris.

Dominus episcopus respondit, salvis exceptionibus suis, ex eo quod dicit libellum, coram domino archiepiscopo propositum, inepte, et insufficienter, et incompetenter esse compositum.

Ponit Guido de Capite Porco, quod IIII°r anni sunt transacti, ex quo ipse fuit spoliatus castro de Basaluco a R[aimundo] comite Tholose, vel ab alio ejus mandato ; et post ipsum a R[aimundo] ejus filio, et ab hominibus ejusdem castri, et ante dictos IIII°r annos, ipse Guido possederat dictum castrum continue per X annos. — Cognovit dominus episcopus dictum Guidonem possedisse dictum castrum X annis continue, eo tempore quo supra positum est ; sed quod [fuerit] spoliatus a predictis, vel ab aliquo ipsorum, negavit ; et postea, prestito

(1) Nous avons groupé ensemble, au lieu de les faire paraître à leur place chronologique, les actes relatifs à l'affaire de Balaruc entre Gui Chef-de-Porc et Bernard de Mèze.

calumpnie sacramento, dominus episcopus dixit se dubitare et post deliberationem respondere ; cognovit tamen quod R[aimundus] filius comitis, tenuit dictum castrum post mortem patris sui, contra voluntatem Guidonis et ipsius domini episcopi. — XIIII° kalendas septembris, ad predictam dubitationem respondens dominus episcopus cognovit, quod, propter timorem et minas quas intulit comes major Tholose domine Beatrici, uxori domini Guidonis, ipsa restituit ei, vel fecit restitui, capud dicti castri. Hec scilicet inter comitem et dominam dictam interlocutio et conventio : quod domina posset recedere secum cum hominibus [capitis] castri et rebus ; verum dixit quod, infra primos muros predicti castri, sine violencia, intravit, portis sibi apertis, ex mandato ipsius domine ; et, in ipso introitu primorum murorum, aliquam violentiam esse factam negavit : — quod autem dictum est de mandato domine, dominus Guido expressim negavit.

Item ponit Guido quod dominus episcopus Magalonensis excommunicavit, et fecit denunciari excommunicatos publice per ecclesias Magalonensis diocesis eos, scilicet comitem memoratum, et filium, et homines de Bazaluco, et omnes illicitos detentores ipsius castri, si non restituerent ei castrum, et non satisfacerent ei de dampnis et injuriis illatis ; et hoc, [de] mandato domini Pape ; et quod illa sententia excommunicati steterunt tribus annis transactis. — Ad quod respondens dominus episcopus dixit, se litteras recepisse a domino Papa, quod moneret homines de Balasuco, et censura ecclesiastica eos compelleret ad restitutionem dicti castri faciendam dicto Guidoni, quos vocavit semel et secundo et tercio ; et quia venire noluerunt, propter contumaciam excommunicavit ipsos et omnes illicitos detentores dicti castri ; predictos vero comites (1), patrem et filium, negavit se excommunicasse, occasione dicti castri vel dictarum litterarum, dicens quia eos non monuerat, nec admonendi opportunitatem habebat, addens se ipsos [excommunicasse], scilicet ex sententia generali et propter comitatum.

(1) Cart.: *comitatos*.

Item ponit Guido, quod Pontius Buada, bajulus dicti domini episcopi, vel alius pro domino episcopo, recepit castrum supradictum a Guillelmo de Orllaco vel suis, qui G[uillelmus] erat bajulus dicti R[aimundi], filii quondam R[aimundi] comitis, et ab hominibus dicti castri ; et hoc fecit pro domino episcopo, eo mandante vel ratum habente. — Istam penitus negavit, et post calumpnie juramentum utraque pars juravit de calumpnia. Item negavit dominus episcopus R[aimundum], filium condam (1) comitis Tholose, dicto castro prefatum dominum Guidonem spoliasse.

Item ponit Guido quod, ante adventum comitis majoris ad dictum castrum, homines de Bazaluco, scilicet R. Sabbaterius vel R., ejus filius, vel uterque, et quidam alii habebant claves portarum primarum, quas abstulerant portario, sive nuncio ipsius Guidonis. — Quam ablationem dominus episcopus negavit ; et postea negavit ipsos habere claves, quas abstulissent.

Item ponit Guido quod predicti R. Sabbaterius vel ejus filius, et quidam alii, de voluntate expressa et concensu totius plebis, vel majoris partis, vel ab ipsa plebe ratum habente (2) apperuerunt portam primam castri comiti majori predicto, et eum introduxerunt. — Quam totam positionem dominus episcopus negavit.

Item ponit Guido, quod homines castri, ante dictum introitum comitis, et post, obsederunt cum armis, et expugnaverunt capud castri Bazaluci, in quo erat familia sua, nomine suo et cum hominibus comitis ; et quod, per illam obsidionem, comes habuit capud castri. — Quam positionem dominus episcopus negavit.

Item ponit quod ipse Guido misit nuncios suos, ante dictum adventum infra XV dies, ad predictum castrum, causa custodie et munitionis castri ; et ipsi homines de Balasuco non permiserunt eos intrare, ymo minati fuerunt eos mortem.

De voluntate partium, assignata fuit dies domino Guidoni, dies presens et sequens, ad reddendum positiones suas ; et,

(1) Cart.: *condam filium*.
(2) Cart.: *habentem*.

super illis quibus videbitur judicibus esse respondendum, respondebit dominus episcopus ad diem sibi assignandam sine aliqua questione.

Quarto nonas septembris, ponit Guido quod comes Raimundus, cum exercitu suo, et cum hominibus castri de Bazaluco, et cum hominibus Porciani, Lupiani et Mesoe, obsederunt capud castri de Balazuco, quod idem Guido possidebat per familiam suam, et eundem Guidonem spoliaverunt castro supradicto, toto modo quod, in metu ejus, familia castrum dereliquit. — Negavit dominus episcopus. Et homines comitis castrum predictum intraverunt; cognovit de introitu; et, tam pro comite R[aimundo] majore ab inicio, quam postea pro filio ejus detentum fuit IIII^or annis transactis; a tempore supradicti introitus, cognovit.

Item ponit Guido famam esse communem, quod comes major supradictus, cum exercitu suo, homines castri de Bazaluco violenter spoliaverunt eum de castro supradicto. — Cognovit famam esse in et metu comitis majoris et ejus exercitus esse (1) derelictum dictum castrum a familia Guidonis.

Item ponit Guido, quod dictus comes fecit ad se venire dominam Beatricem. Que cum exisset, dixit eidem quod, nisi redderet eidem dictum castrum, duceret eam apud Tholosam; et ipsam detenuit tamdiu violenter usquequo habuit dictum castrum. — Ad hec respondens dominus episcopus cognovit dictam dominam fuisse vocatam a prefato comite majore, et venit ad eum sponte, et exivit extra barium; et cognovit quod eidem dixit dictus comes, quod duceret eam apud Tholosam, nisi redderet ei capud castri, et quod fecit eam detineri quousque habuit capud castri.

Item ponit, quod dictus comes tenuit eandem captam in ecclesia per noctem. — Negavit; et fecit eam custodiri quia nolebat ei reddere capud castri.

Item ponit, quod fecit eam manulevari C marchis, si exiret de ecclesia. — Negavit.

---

(1) Cart.: *eum*.

Item ponit quod, cum ipsa nollet ad commonitionem ipsorum reddere dictum castrum, ipsi ducebant eam ad portam capitis castri, dicendo quod, si quis projiceret (1) lapidem, vel telum vel arma, de ea scutum facerent. — Negavit dominus episcopus.

Item ponit, quod, postquam comes predictus, vel ejus filius, habuit castrum supradictum, idem Guido, per se vel per Bertrandum Dalmacium, venit ad castrum; et fuit ei dictum ab hominibus castri, quod non intraret castrum. — Negavit de adventu Guidonis; de aliis dubitat.

Item ponit, quod semel secundo et tercio misit nuncios suos pro toto castro custodiendo, ante introitum comitis, et post; et ab hominibus castri dictum fuit eis quod non intrarent. — Ad quod respondens dominus episcopus cognovit, quod Guido misit plures armatos homines ad castrum dictum custodiendum; et cum de nocte intrare vellent, dictum fuit eis ab hominibus castri, quod non intrarent, quia dominus Guido promiserat eis quod non intromitteret aliquos homines extraneos sine voluntate ipsorum; et quia nox erat et hora suspecta; et quia dictum fuit eis, quod ipsi volebant eos barrejare mandato ipsius Guidonis.

Item ponit quod homines de Bazaluco, dum comes castrum teneret et etiam Guillelmus de Orlaco, dixerunt domino episcopo, vel alii pro eo, quod redderent ei dictum castrum, et quod reciperent ipsum. — Negavit dominus episcopus.

Item ponit quod, eadem die, vel precedente, qua castrum predictum Poncius Buada recepit, idem Guillelmus de Orlaco bajulus erat Bazaluci pro eodem comite; et quod G. Johannis de Montebazenco, qui, pro eodem Guillelmo de Orlaco, castrum tenebat, reddidit ipsum castrum Pontio Buada, et idem Pontius tenuit castrum pro domino episcopo; et, mandato ejusdem domini episcopi, reddidit castrum priori de Veiruna, pro domino archiepiscopo recipienti. — Tercio nonas septembris, cognovit dominus episcopus Pontium Buada tenuisse pro eo dictum castrum; et quod mandavit eidem quod traderet

(1) Cart.: *prohiceret*.

dictum castrum domino archiepiscopo Narbonensi ; et quod dominus archiepiscopus tradidit ipsum castrum priori de Veruna ; cetera, in positione contenta, negavit.

Ponit Guido quod R[aimundus], quondam comes Tholose major, intravit possessionnem castri de Balazuco, ipso Guidone nolente et invito, vel alii pro ipso comite, a VI annis citra. — Dominus episcopus cognovit dictum comitem intrasse possessionem dicti castri a VI annis citra, et ipsi Guidoni introitum displicuisse, cum primum scivit.

Item ponit quod, ab eo tempore quod habuit possessionem dicti castri dictus Raimundus, tam ipse quam ejus filius tenuerunt idem castrum usque ad tempus quo Pontius Buada habuit dictum castrum, ipso Guidone nolente et invito. — Ad quod respondens dominus episcopus cognovit, ut cognoverat in superiori positione, hoc excepto quod non confitetur ipsum comitem, vel ejus filium, possedisse dictum castrum, usque ad tempus quo Pontius Buada habuit dictum castrum. Cognovit dominus episcopus ad positionem partis adverse, quod, prima die qua comes, vel alius pro eo, intravit dictum castrum, ipse Guido scivit introitum.

Item ponit quod Guillelmus de Orllaco tenuit dictum castrum pro R[aimundo], filio supradicti comitis, usquequo Poncius Buada habuit possessionem ejusdem castri pro domino episcopo. — Negavit.

Item ponit quod ipse Guido amonuit dictum G. de Orllaco, per se et per nuncium suum, ut rederet ei dictum castrum et facere noluit. — Dubitabat.

Item ponit Guido quod sepe et sepius in hac villa et in consiliis amonuit dictum R[aimundum], filium condam comitis Tholose, ut rederet ei dictum castrum et facere noluit. — Cognovit : conditionem sequentem negavit, nisi sibi jurasset et ejus utilitatem procuraret.

Item ponit quod homines castri de Balazuco, quando comes major intravit barrium [ejusdem castri], habebant claves portalis majoris ipsius barrii. — Negavit.

Item ponit quod dictus comes intravit barrium cum multis hominibus armatis. — Cognovit.

Item ponit quod illi armati et homines de castro munierunt ecclesiam contra capud castri. et impugnaverunt capud castri. — Negavit.

Item ponit quod, propter vim et metum, a comite illatum familie ejusdem Guidonis, que pro eo capud castri tenebat, dictus comes vel sui intraverunt capud castri Balazuci, ipso Guidone invito et nolente. — Negavit dominus episcopus. Confitetur tamen quod, propter metum, familia Guidonis reddidit dictum castrum prefato comiti, pacto tamen interveniente superius proposito a domino episcopo.

Item ponit quod aliquem de capite castri exire non permittebant, ut cum eo loqueretur ullo modo. — Negavit

Item ponit quod totum castrum semper postea defenderunt sibi cum comite et bajulo comitis, ne ullo modo habere posset verbo et facto. — Negavit dominus episcopus.

Item ponit quod dominus episcopus facere potuit, ut castrum sibi Guidoni restitueretur secundum mandatum domini Pape. — Negavit.

Item ponit quod, post contumaciam supradictorum hominum de Balazuco, non facta emenda sibi Guidoni de dampnis et injuriis illatis predicto Guidoni, restitutione non facta castri de Balazuco supradicto Guidoni, contra mandatum domini Pape (1) homines de Balazuco absoluti fuerunt ab excommunicatione, de facto Guidone inconsulto et ignorante, et domino episcopo mandante et volente. — Negavit, addens quod bene placuit ei, et placet eorum absolutio.

Item ponit quod quidam canonicus Magalonensis, qui morabatur apud *Aixs* (2), et quidam alii canonici Magalonenses, lite pendente coram domino episcopo, procurabant ut castrum redderetur domino episcopo vel domino preposito in prejudicium ipsius Guidonis, ipso domino episcopo sciente et volente; et, eis canonicis procurantibus, fieri fecerunt redditionem. — Negavit.

---

(1) L'argumentation de Gui Chef-de-Porc nous paraît un peu faible : il urge le document pontifical, qu'on trouvera dans le *Bullaire*, t. II, p. 99.

(2) Notre-Dame d'Aix, près Balaruc.

Data est dilatio dicto Guidoni ad testes producendos. die lune. in vigilia Nativitatis Beate Marie. ante horam prandii.

Anno XXVI. crastina [die] sancti Martini. fuit dies assignata ad litigandum domino episcopo Magalonensi et domino Guidoni de Capite Porco. in causa quam simul haberent super castro de Balazuco. Ad quam diem dominus episcopus venit litigare paratus : sed dominus Guido mandavit judicibus se non posse interesse illa die, nisi post prandium. Post prandium vero cum judices interesse non possent, fuit iterum dies assignata utrique parti, scilicet dies sabbati proxime sequens. ad testes producendos. et hoc de consensu utriusque partis (1).

VI^to idus januarii. sunt testes producti a Guidone de Capite Porco contra dominum B[ernardum], Magalonensem episcopum. anno M° II^c XXVI^to.

Poncius de Verdenzone. testis [juratus]. dixit quod quando dominus Guido tenebat castrum de Balazuco. quod ipse testis stetit ibidem cum ipso Guidone per amicum ; et vidit et audivit quod dictus Guido possidebat dictum castrum in pace sine omni obstaculo.

Item dixit dictus testis se vidisse et audisse quod homines de Balazuco juraverunt dicto Guidoni fidelitatem. manutenenciam : et postea vidit quod dicti homines juraverunt domine Beatrici fidelitatem in ecclesia.

Post hec vero dixit quod dictus Guido habuit colloquium cum hominibus de Balazuco. et peciit consilium ab eis utrum iret loqui cum comite. quem dicebat sibi hoc mandasse ; et de concilio eorumdem ivit ad dictum comitem : et tunc dixit eis quod in custodia et fide eorum relinquebat uxorem, et filios, et castrum.

Dixit eciam quod, in absentia dicti Guidonis, homines dicti pecierunt claves barrii a domina Beatrice. uxore dicti Guido-

(1) Ici finit le texte du Registre B.

nis ; que dictas claves eis tradidit, admonens eos, per juramenta, que prestiterant, quod dictas claves et barrium fideliter custodirent ad salutem dicti Guidonis.

Dixit eciam quod homines de Balazuco miserunt pro hominibus de Porciano, et munierunt barrium et ecclesiam ; et de ecclesia expugnaverunt capud castri, nec permittebant aliquem intrare in capud castri, vel inde exire.

Vidit eciam quod dicta domina Beatrix mandavit dicto Guidoni, ut mitteret ei aliquos servientes, ad muniendum dictum capud castri ; qui dictus Guido misit ei quosdam servientes armatos, ad muniendum dictum capud castri dicti ; qui erant XII, prout dicebatur ; quos non permiserunt intrare homines dicti barrii ; ymo obstiterunt eos violenter.

Dixit eciam quod, ante adventum comitis, dictus comes misit ibi duos nuncios G. de Vicenobrio et bajulum de Lupiano, mandans dicte domine quod redderet ei dictum castrum in pace, quia comes proposuerat ei facere violenciam nisi faceret ; et ipsa respondit quod mitteret nuncium dicto Guidoni, et staret super hoc [ad] ejus voluntatem. Et interim dictus comes venit, vexillis extensis ; et homines de Balazuco viderunt, apperuerunt portas, et dederunt dicto comiti liberum aditum. Postea dictus comes vocavit dictam dominam ; et ante portam ecclesie peciit ab ea ut redderet ei castrum dictum ; et ipsa respondit quod notificaret prius marito suo et faceret voluntatem ipsius mariti sui ; et tunc dictus comes fecit eam capi a militibus suis, et fecit eam custodiri a militibus in ecclesia ; et fecit pugnare castrum predictum in tantum quod murum castri perfoderunt ; et in sero dictus comes jacuit Porcianum. Et in castrum revertens, dictus comes peciit ab ea ut redderet dictum castrum ; et ipsa respondit quod nondum venerat nuncius. Et tunc dictus comes fecit expugnari dictum castrum, et fecit dictam Beatricem duci ante portam castri, et comminatus fuit dictus comes dicte domine quod, nisi redderet, quod faceret eam ligari et ibidem cremaretur. Postea vero dicta domina, videns violenciam sibi factam, intravit dicta domina dictum castrum, et Bremundus Aldeguerii cum duobus aliis, et posuerunt vexillum dicti comitis in portam capitis

castri. Et tunc domina reposuit omnes res dicti castri in camera, et munierunt castrum comes et sui.

Item dixit quod, antequam aperiretur porta capitis dicti castri, J. de Orlaco dixit dicte domine quod redderet dictum castrum tali pacto, quod res, quas habet in dicto castro, remanerent ei salve : quod et fecit de concilio dicti Jo.

Item dixit quod comes et homines de Balazuco fuerunt excommunicati per ecclesias Montispessulani propter factum castri.

Interrogatus de tempore, dixit quod V anni erunt in vigilia beati Sebastiani proxime venturi, quod fuit redditum dictum castrum.

Interrogatus de personis, dixit quod supradicti fuerunt et plures alii.

Interrogatus pro parte adversa, dixit quod servientes, quos misit dictus Guido pro muniendo dicto castro, venerunt de nocte.

Item interrogatus, dixit quod vidit et audivit quod dictus Guido promisit hominibus de Balazuco quod non intromitterent, in municione capitis castri, aliquem hominem extraneum, suspectum, vel aliquem de quo posset malum venire dicto castro vel hominibus. Et hec promissio fuit facta ante adventum dictorum servientium et comitis.

Item interrogatus, dixit quod dicta domina, de voluntate sua, exiit ad dictos nuncios prefati comitis, et quod G. de Vicenobrio dixit dicte domine quod reverteretur ad capud dicti castri; et quod dicta domina potuisset, si voluisset, reverti ad capud dicti castri.

Interrogatus dixit quod usque ad L armati poterunt esse tunc cum comite dicto.

Interrogatus dixit quod homines qui erant in munitione capitis dicti castri, quando comes venit, projecerunt lapides et jacula ; et propter illam [proj]itionem, quam faciebant homines capitis castri, dictus comes noluit ibi remanere, et illa nocte ivit jacere apud Porcianum.

Interrogatus dixit quod IIII^or^ et V homines de Porciano venerunt ad munitionem dicti barrii, et de pluribus nescit.

Interrogatus dixit quod, quando predicta fuerunt, dictus testis stabat conductus cum dicto Guidone, sed modo stat cum P. Luciano.

R. de Foissaco, testis juratus, dixit quod ipse audivit excommunicari multociens, in ecclesia Beate Marie, homines de Balazuco et comitem, quia abstulerant castrum de Balazuco Guidoni de Capite Porco.

Enricus Barba, testis juratus, dixit quod dominus Guido reliquit ipsi testi et domine Beatrici capud castri de Balazuco; et, cum recessit a dicto castro, constituit eum ibi loco sui, et dixit hominibus dicti castri et familie sue quod facerent pro ipso teste et pro dicta domina, sicud pro se ipso (1); et testis audivit et vidit quedam signa inter homines de Balazuco, que non erant bona ad opus sui vel castri. Et una die vidit IIIIor de dictis hominibus, armatis ibi cum scutis et lanceis, ante capud dicti castri, et clamaverunt : *Tholosa;* et aliter non impugnaverunt. Et dixit eis quod non erat bonum quod ibi ipsi essent armati ; et ipsi responderunt ei : *nichil fecistis quod non revertatur adhuc super capud vestrum.*

Et de adventu servientium, missorum per dominum Guidonem, et de prohibitione eis facta ingressus per homines de Balazuco, [dixit] idem quod proximus, hoc adjecto quia ipse dixit quod, dum ipse tunc moneret homines de Balazuco ut aperirent dictis servientibus, responderunt ei quod non facerent, quia dominus Guido prohibuerat eis ne aliquem hominem extraneum reciperent in absencia sui : et tunc ipse testis dixit ipsis hominibus : *verum est, nisi de consensu meo.*

Dixit etiam quod, una die, dum comes faceret transitum ante Balazucum, homines de Balazuco occurrerunt dicto comiti in via ; et vidit quod tunc venit ad castrum de Balazuco G. de Vicenobrio ; et homines apperuerunt ei portas. Et vocavit dictam dominam ; et ipsa, contra consilium ipsius testis, exiit loqui cum dicto G.

---

1 Cart.: *ipsa*.

Et de ingressu comitis in barrium et deductione (1) dicte domine ante portam capitis dicti castri, et de minis dicte Beatrici (2) illatis, et de expugnacione dicti castri, et de reddicione, [dixit] idem quod proximus, hoc adjecto quod dicit se projecisse lapides super domos barii, antequam comes vel sui inciperent expugnare dictum castrum.

Dixit quod, ante adventum comitis, homines de Balazuco tenebant ipsum obsessum, sicud aliquis potest esse obsessus.

Item dixit quod, de licencia ipsius testis, remanserunt in claustro [B.] Aldeguerii et J. de Orllaco, quia aliter nolebant ibi remanere propter lapides quos projiciebant cum mascogiis; et quia dictus testis minabatur eis quod non remanerent ibi in pace per totam noctem.

Item dixit quod dictum capud castri reddidit timore mortis sue persone, quia timebat quod illi, qui erant infra castrum vel extra, interficerent ipsum; et expressit, et quod, cum balistis et jaculis, fuit dictum castrum fortiter impugnatum; et ipse testis similiter se deffendit cum eisdem armis.

Dixit etiam quod R. Sabbaterii et alii homines de Balazuco tenebant claves dicti barrii; et in isto comedio, quod est inter Natale et carnisprivium, erunt V anni quod predicta fuerunt; et dixit quod, in impugnatione dicti castri, erant multi homines armati cum comite.

Item dixit quod dicti IIII^or habuerant rixam cum hominibus munitionis dicti capitis castri, antequam venirent cum armis, vel clamarent: *Tholosa*.

P. de Terradas, testis juratus, dixit quod, in festo Penthecosten proxime preterito, recepit litteras a J. de Orllaco, pro quo et cujus filio, scilicet G., tenebat castrum de Balazuco; in quibus continebatur quod ipse testis redderet dictum castrum Poncio Buada, recepturo pro domino B[ernardo], episcopo Magalonensi. Qui, visis litteris, reddidit dictum castrum prefato Poncio; et incontinenti fuit ibi clamatum signum pro

(1) Cart.: *dnacione* surmonté d'un trait = *dominacione*.

(2) Cart.: *Beatricis*.

domino B[ernardo], Magalonensi episcopo. Et dixit [quod], per II annos, tenuerat dictum castrum pro dicto J. et G. filio ejus; et interfuerunt redditioni quam fecit Poncius Buada G. Joh[annis], qui habebat eandem potestatem quam [ipse] in dicto castro. Postea adjecit quod ipse stetit major bajulus pro J. et G. predictis, per II annos, dicti castri : sed, ipsa die qua fuit redditum ipsum castrum, propter infirmitatem qua G. de Rodes detinebatur, dictus G. J. erat bajulus pro G. de Orllaco, et non ipse testis.

P. de Guiraldis, testis juratus, dixit idem quod R. de Foissaco : et hoc plus, quod ille, qui excommunicabat eos, dicebat quod ex mandato domini episcopi, qui super hoc mandatum habuerat a domino Papa, hoc faciebat.

Dixit etiam quod dictam excommunicationem audivit fieri in ecclesia Beati Michaelis (1).

Dixit etiam quod fama est in villa Montispessulani, comitem Tholose et homines castri de Balazuco abstulisse dictum castrum de Balazuco a prefato Guidone.

Item dixit quod ipse fuit coram domino archiepiscopo (2) cum domino Guidone de Capite Porco : et idem Guido peciit a domino archiepiscopo quod faceret ei reddi dictum castrum a domino comite ; et idem archiepiscopus dixit ei quod faceret ei dari M solidos a dicto comite, et quod differet a dicta peticione usque in subsequens Natale Domini ; et quod dictum comitem (3) nolebat absolvi usquequo dictum castrum ei restitueret ; et hec fuerunt in augusto preterito erunt duo anni.

---

(1) Quelle est cette église ? Grémian ? Mujolan ? N'y aurait-il pas plutôt une faute du scribe ? L'original aurait porté seulement *M.*, au lieu de *Michaelis* : il faudrait lire *Marie*. Ce serait alors Notre-Dame des Tables, ainsi que l'affirment plusieurs témoins, et que le témoin semble l'indiquer dans le paragraphe suivant.

(2) Cette démarche fut faite par Gui Chef-de-Porc avec quelques amis. Voir plus loin le récit de cette entrevue fait par plusieurs témoins, en particulier par Guillaume Christol, le futur évêque.

(3) Cart.: *dictus comes*.

in concilio celebrato (1) a domino Ar[naldo], tunc archiepiscopo, in domo milicie Templi.

Bertrandus Cordorerius, testis juratus, dixit quod ipse, pro Guidone de Capite Porco, venit, de nocte, ad castrum de Balazuco; et, volens intrare cum quibusdam aliis, non potuit, quia homines de Balazuco noluerunt ei portas aperire. Et tunc domina Beatrix exivit ad quamdam fenestram dicti castri, cum pluribus candelis ardentibus in manu, dicens hominibus de Balazuco, monens eos per sacramentum quod permitterent eos intrare, quia homines erant de Montepessulano; et ipsi responderunt quod non facerent, quia dominus Guido eis inhibuerat, ne aliquos extraneos intrare permitterent; et tunc domina dixit dictis hominibus, quod saltim reciperent eos in dicto barrio, *et retineatis arma ipsorum, et perpetretis eis comestionem;* et quod ipsa traderet eis nepotem suum pro securitate; quod facere noluerunt. Et sunt in hoc comedio V anni; et erant cum ipsa J. de Biterri, et alii de quibus non recordatur.

J. de Biterri, testis juratus, dixit idem quod proximus, hoc excepto quod non audivit homines de Balazuco respondentes, dictum Guidonem inhibuisse eis quod homines extraneos non reciperent.

De tempore, idem.

De personis, dixit quod Bertrandus Cordurerius, et R. Oliverius, J. Concessa, J. Ligator, J. Molinerius, et quidam nepos Beatricis (2), et nulli alii interfuerunt.

Item interrogatus pro parte adversa, dixit quod illuc venerant ipse et alii, mercede conventa X denariorum unicuique singulis diebus et cibo (3).

R. Oliverius, testis juratus, dixit idem per omnia quod proximus.

---

(1) Allusion à la deuxième conférence de Montpellier, en 1224.

(2) Cart.: *Brinio.*

(3) Cart.: *cibum.*

J. Bocherius, testis juratus, dixit idem quod proximus, hoc excepto quod ipse vel alii non erant ibi mercede (1) conventa, sed in causimento dicti Guidonis; et quod, cum ipsi venerunt, dicti homines clamaverunt: *ad arma;* et ascenderunt per muros, et fecerunt signa, et dixerunt quod suam pendesineriem querebant ibi; et interfuerunt ibi J. de Biterri, R. Oliverius, et quidam alii: postea dixit quod X erant, et non plures.

G. de Caneto, testis juratus, dixit idem quod Bertrandus Cordurerius per omnia.

G. de Lauda, testis juratus, dixit quod ipse vidit et audivit Guidonem de Capite Porco habentem et tenentem castrum de Bazaluco, sicud dominum rei sue. Et vidit quod comes venit ad dictum castrum; et domina Beatrix descendit de capite castri Basaluci cum comite. Et, cum vellet reverti in capite castri, comes accepit eam per manum, et non permisit eam redire. Et postea comes impugnavit capud castri, et munivit ecclesiam, et minatus fuit quod faceret ignem ante portam dicti castri, et quod ibi projiceret dominam Beatricem. Et vidit G. Rainardi qui erat in capite castri: et tunc dicta domina dixit illis qui erant majores in dicto capite castri, quod aperirent portam dicti castri; et, tali violencia ducti, redidderunt castrum. Et dixit quod dicti homines [de] Balazuco non permittebant aliquem intrare, vel inde exire.

De tempore, dixit idem quod proximus; et venerunt cum dicto comite a XXV armatis (2) usque ad XXX[ta].

Item dixit quod dicta domina Beatrix mitebat quasdam litteras domino Guidoni per quemdam dyaconum; et homines de Balazuco ceperunt dictum dyaconum, et miserunt eum in ecclesia; et postea ille, qui appellatur Talon, asportavit illas litteras coram illis qui erant infra castrum, et dixit eis quod non portarentur dicte littere.

Interrogatus, dixit quod non vidit aufferri dictas litteras,

(1) Cart.: *merceda*.
(2) Cart.: *armis*.

nec scit quod littere essent eis ostense per dictum Talon, ille quas mittebat dicta Beatrix.

De tempore, idem quod proximus.

Deodatus Manent, testis juratus, dixit quod ipse vidit et audivit dictum Guidonem de Capite Porco habentem, tenentem, possidentem castrum de Balazuco, sicud dominum ; et vidit, de duabus vicibus usque ad III, quod homines de Bazaluco juraverunt fidelitatem domino Guidoni salvandi et custodiendi dictum castrum.

Item postea vidit quod homines de Bazaluco juraverunt fidelitatem in ecclesia Sancti Mauricii (1) domine Beatrici ; et postea vidit quod, in vigilia Epiphanie Domini proxime preterita fuerunt V anni, quod comes Tholose, qui modo preest, misit ad dominum Guidonem de Capite Porco, ut iret loqui cum ipso. Qui Guido respondit quod non faceret, quia quidam inimici sui erant cum ipso comite, et non mitteret se in *passe* (2) ipsorum. Et postea vidit quod dictus comes misit ad dictum Guidonem fratrem suum Bertrandum ; qui Bertrandus peciit a dicto Guidone ut conduceret eum usque ad portam castri ; et quod Bertrandus dixit dicto Guidoni ut redderet dictum castrum ; qui Guido respondit quod non faceret, quia suum erat.

Item dixit quod postmodum comes dictus misit ad dictum Guidonem magistrum G. de Avinione et Poncium Astoaldum, qui dixerunt ei quod veniret ad dictum comitem ; et ipse Guido respondit quod non iret absque consilio hominum de Balazuco ; et postmodum de consilio eorum ivit ad prefatum comitem, et reliquit uxorem, et filios, et castrum in custodia dictorum hominum de Badaluco.

Item dixit se vidisse quod homines de Baladuco pecierunt

(1) Saint-Maurice de Balaruc.

(2) Ce mot est certainement roman. Il n'a aucun lien avec le mot latin *pax*. Les témoins déposaient en langue romane : témoin ce passage et autres ; le notaire traduisait en latin.

claves dicti castri a domina Beatrice; que domina Beatrix tradidit eis claves, tali pacto quod dicta Beatrix posset retrahere dictas claves quando vellet.

Item dixit quod dicta Beatrix mitebat feminam quandam, que vocabatur Guillelma, apud Montempessulanum; et dicti homines non permiserunt eam habire, dicentes quod dictus Guido inhibuerat eis quod non permitterent aliquem intrare vel exire.

Item dixit quod dicta Beatrix mittebat domino Guidoni quasdam litteras per quemdam nepotem prioris de Aquis: et dicti homines de Baladuco abstulerunt ei litteras, et aperierunt eas, et fecerunt eas legi; et Talon, ostendens eis litteras, dixit: *bene est opus quod non sit ibi aliquod malum; tamen non ibunt*.

Item dixit quod, singulis noctibus, homines de Baladuco faciebant signa hominibus de Porciano, ut venirent; et veniebant, et, singulis noctibus, ibi jacebant, ne illi, qui erant in capud castri, exirent; et cum hoc dicta domina Beatrix bis vel ter vidisset, misit pro clavibus, ut eas sibi redderent, qui noluerunt eas reddere.

De missione facta a dicto Guidone serviencium, et de responsione facta ipsis servientibus per homines de Baladuco et de prohibicione ingressus, et de hora noctis, idem quod proximus.

Item dixit quod, ante adventum comitis, dicti homines de Baladuco impugnaverunt capud castri predicti, veniendo, scutis amplexis et cum lanceis, ad portam capitis castri.

Item dixit quod comes, pater istius comitis, misit ad dictam Beatricem Poncium de Vicenobrio et R. Sabbaterii, qui vocaverunt eam, dicentes, ut iret locutum cum dicto comite patre. Et interim venit dictus comes; et dicta Beatrix exiit ad eum, qui peciit ab ea ut redderet ei dictum castrum. Que respondit quod non poterat, quia dictus Guido relinquerat ipsum eis qui erant infra capud castri; et, cum domina vellet redire ad capud castri, homines de Baladuco dixerunt dicto comiti, clamantes quod ipsi sequerentur cum mulieribus et filiis, si vellet recuperare dictum castrum. Et tunc comes fecit retineri dictam dominam, volentem intrare capud dicti castri; et fecit eam

mitti in domo ecclesie, et commendavit eam Bermundo Aldegerio et cuidam alii. Et tunc J. de Orllaco manulevavit eam C marchis, et inclusit eam in camera prioris. In vespere dictus comes impugnavit dictum castrum, et ipsi se deffenderunt viriliter cum balistis et cum lapidibus de (*blanc de 2 cent.*); et comes, pro timore illorum qui erant in capite castri, recessit et jacuit apud castrum de Porciano. Et vidit quod in crastinum dictus comes rediit.

De minis illatis dicte domine, et de adduccione dicte domine ante portam dicti castri, et redditione dicti castri, et de munitione ecclesie, dixit idem quod proximus, hoc addito quod dixit se audivisse dictam dominam dicentem illis qui erant in capite castri, tale pactum se fecisse cum dicto comite, ut persone et res, que erant in capite castri dicti, erant salve.

Dixit etiam quod, quando dicta domina exiit, dixit nunciis qui vocabant eam ex parte comitis, quod libenter exiret ad dictum comitem, quia non credebat esse decepta, ubi compater suus esset. Et exiit.

Item dixit quod Bermundus Aldaguerius intravit se intro, de mandato comitis, capud castri dicti, et fecit ibi (*blanc de 3 cent.*) comitis, nec offendit in aliquo personas vel res que erant in capite dicti castri; et tunc ipse testis, et alii qui erant in capite castri, exierunt in barrium, et viderunt murum barbacane perforatum.

Item dixit quod audivit, per ecclesias Montispessulani, excommunicari comitem dictum et homines de Baladuco, quia abstulerant ei castrum de Baladuco; et dicta excommunicatio fiebat ex mandato domini Pape et domini episcopi, ut dicebant excommunicatores.

Item dixit famam esse quod comes et homines de Baladuco abstulerunt dictum castrum prefato Guidoni.

Interrogatus pro parte adversa, dixit quod non vidit auferri dictas litteras nepoti dicti prioris, sed hoc audivit dici a dicto nepote, propter hoc plorante et lacrimante, dicte Beatrici.

Interrogatus qualiter scit quod predicta signa fierent pro eo quod venirent homines de Porciano ad dictum castrum, dixit quod, singulis noctibus, homines de Porciano veniebant

ad castrum de Baladuco, et non alii; et credit quod pro malo venirent.

Interrogatus qualiter scit, quod homines de Porciano venirent ad hoc ut homines castri non exirent, respondit quod vidit quod homines de Baladuco sepe prohibebant eos exire de capite dicti castri.

Interrogatus qualiter scit quod homines de Baladuco nollent reddere dictas claves dicte Beatrici, dixit quod dicta Beatrix exiit ad petendum dictas claves hominibus de capite dicti castri; et, cum rediit, retulit eisdem hominibus quod homines de Baladuco nolebant reddere dictas claves.

Interrogatus dixit quod illi qui venerunt ad impugnandum capud dicti castri ante adventum comitis, erant III vel IIII^or; et veniebant propter rixam quam prius habebant cum nepote G. Rainardi, qui G. erat infra capud dicti castri.

De tempore, [dixit idem quod] secundus.

R. de Villamanha, testis juratus, dixit quod ipse vidit et audivit Guidonem de Capite Porco habentem et tenentem castrum de Baladuco, ut dominum; et quod comes misit quemdam nuncium domine Beatrici, G. de Salvanicis, qui dixit ei ut redderet castrum dicto comiti.

Item de adventu comitis dixit, et de impugnatione dicti castri, et minis illatis domine Beatrici, et adductione dicte domine ante portam castri, et de reddicione ipsius castri, idem quod dixit Manent, hoc addito quod dixit se vidisse et audisse quod homines capitis dicti castri ita viriliter obstiterunt dicto comiti, quod ejicerent eum de barrio dicti castri in sero quando comes venit.

De excommunicatione, facta in ecclesia Beate Marie et Beati Firmini, dixit idem quod R. de Foissaco de excommunicacione facta in ecclesia Beate Marie.

Interrogatus dixit quod tunc stabat cum dicto Guidone, mercede conventa, sed modo non stat.

De tempore, idem quod alii.

Item fuit assignata dies ad probandum dicto Guidoni, crastina die post Conversionem Santi Pauli.

Anno M° II° XXVI°, VIII° kalendas februarii, testes producti a Guidone de Capite Porco contra dominum B[ernardum], Magalonensem episcopum.

R. Jor[danus], testis juratus, dixit quod Guido de Capite Porco et domina Beatrix impetraverunt (1) ipsum testem, ut iret apud Balasuccum: et ivit per (*blanc de 6 cent.*) de hominibus et de comite; et, prout dicebatur, donaverat dictum castrum P. de Mesoa. Et I die comes R[aimundus] juvenis fecit ibi transitum ante castrum; et Bertrandus, frater ipsius, intravit dictum castrum, et dixit domino Guidoni, qui ibi erat, quod comes volebat dictum castrum sibi reddi. Et ipse respondit quod ei non redderet, quia pater suus donaverat illud sibi, et sciebat quid inde facere debebat ei. Et ipso querente: *quid*, respondit quod: *albergam*. Et dixit tunc dictus Bertrandus dicto Guidoni: *faciatis nunc ergo sibi albergam:* et ipse G[uido] respondit: *non faciam, quia non debeo facere hic*. Et tunc dictus Bertrandus recessit, et comes. Et postea, alia die, comes, pater R[aimundi] juvenis, venit ad dictum castrum; et homines ipsius castri apperuerunt ei portas et intravit. Qui homines dicti habuerant dictas claves et receperant a dicta domina Beatrice; et, illa die, ipse testis et alii, qui erant infra dictum castrum, projecerunt dicto comiti, et hiis qui cum eo erant, carrellos, et ipsi, eis; et recessit dictus comes, et venit illa nocte apud Porcianum; et crastina reddiit, et homines de Porciano et de aliis terris venerunt similiter, signis extensis, et similiter projecerunt eis jacula, et ipsi, eis; et ceperunt dictam dominam, et duo ducebant eam.

Postea dixit quod dicti homines, qui habebant claves a domina predicta, ut redderent eas sibi singulis noctibus, cum eis portas noluerunt eas sibi reddere, nisi una nocte; et postea cum domina vellet destinare nuncios dicto Guidoni, homines predicti non permiserunt exire de castro quandam mulierem, que mittebatur ad ipsum G[uidonem], nomine Guillelmam. Et alii nuncio, scilicet dyacono de *Aixs*, abstulerunt quasdam

(1) Cart.: *Beatrix ad emptorem ipsum.*

litteras : et postea ostenderunt eas sibi testi, qui erat in muro dicti castri, dicentes : *vide litteras ; non portabuntur.*

Item dixit quod dicti homines ceperunt arma, putantes quod illi qui erant infra castrum, facerent contra eos.

Item dixit quod postea vidit quod J. de Orllaco juvenis, et magister P. Rainaldi, et R. Duranti, et quidam alii venerunt ad portam castri, et homines ipsius castri non permiserunt eos intrare.

Dixit etiam quod dictus Guido misit servientes ad dictum castrum, et non permiserunt eos intrare, cum hoc dicti servientes peciissent quodam sero : et, die crastina in mane, et sunt V anni quod hoc fuit, et ipse testis et alii arivaverunt se sepe infra capud dicti castri pro timore hominum de Baladuco ; et pro hoc et pro timore hominum de Baladuco fuit captum dictum castrum (1) ; et quia volebant ligare dictam dominam ad quandam portam cum uxore G. Rainaldi ; et domina, que erat marrita et irata, rogavit Eudricum ut redderet capud castri ; et homines dicti castri trahebant panem et vinum inimicorum illorum qui erant infra capud castri, scilicet P. de Mesoa, et Aimerico et eorum militibus ; et erant cum eo Euricus Barba et Deodatus Manenti, G. Rainaldi, et III mulieres, et quidam alii.

Requisitus quis introduxit dictum Bertrandum, fratrem dicti comitis, dixit quod Talon.

Interrogatus pro alia parte, quot homines de Porciano venerunt ad castrum de Baladuco, respondit quod eos non numeravit, sed dicit quod X vel plus venerunt, qui intraverunt in barrium ; sed homines de aliis terris non fuerunt prope castrum, nisi quia fuerunt ultra Avenam, nec transierunt dictam Avenam quod ipse videret.

Interrogatus si scit quod dictus Guido, cum recessit a castro de Baladuco, inhibuisset hominibus ne aliquem permitterent intrare, vel ex castro aliquem exire, respondit quod ita audivit dici et ita intelligi esse verum ; sed ipse hoc non audivit.

Item requisitus, respondit quod dictus Guido dixit sibi et

(1) Cart.: *crastrum.*

aliis qui erant in capite castri quod, si opus erat, acciperent de pane et vino hominum de Baladuco, et quod superesset, effunderent.

Item interrogatus, dixit quod, post verba que dictus Bertrandus habuerat cum dicto Guidone, illa eadem nocte que erat vigilia Ephiphanie Dominice, dicta domina Beatrix misit apud Frontinianum ipsi comiti juveni quamdam gruem, et unam plenam aviolam nectaris.

Interrogatus si vidit aufferri dictas litteras dicto dyacono, dixit quod non; sed ita audivit ab ipso dyacono, Beatrici dicente quod sotularem suum discalciaverunt ei.

Item requisitus, dixit quod dictam dominam vidit loquentem, extra portam dicti castri prope barbacanam, cum G. de Vicenobrio, et cum scutifero quodam; et intelligit quod ipsa descendisset ad eos gratis, et sua voluntate; et stetit ibi tantum, quousque venit comes; et potuisset reddiisse dictum castrum, si voluisset.

Requisitus quot erant cum comite, quando intravit dictum castrum et fuit ei redditum, respondit se nescire pro certo, quia non numeravit eos; scit bene quod erant L et plures.

Item requisitus, respondit quod, quando dictus Guido recessit a dicto castro de Baladuco, dixit hominibus quod comes miserat pro ipso; et ipse testis vidit ibi magistrum G. de Avinione, et P. Saisset, et P. Rainaldi, et R. Duranti sartorem, cum quibus dictus Guido recessit; et hec verba proxime dicta dixit se audisse dici a prefata domina Beatrice; sed ipse testis non interfuit, quando dictus Guido ea dixit.

Item dixit quod dicta domina Beatrix est consanguinea secunda matris condam ipsius testis.

G. Pebrerius, testis juratus, dixit se vidisse multociens quod in ecclesia Sancti Guillelmi excommunicabantur comes et homines de Balasuco, pro injustitia quam faciebant Guidoni de Capite Porco.

B. Ma Anhana, testis juratus, dixit quod, cum ipse fuisset, una die, apud Baladucum pro bestiis emendis, G. de Vicenobrio

fecit ad se exire dictam dominam Beatricem, uxorem domini Guidonis; et ipse, et qui cum eo erant, pecierunt ab ea castrum; et, ipsa reddere nolente, G. Sabbaterii exivit foris, et fecit venire comitem; et dicta domina exivit versus eum in cimiterio; et tunc comes peciit ab ea ut redderet ei castrum; et ipsa dixit quod non redderet quia non poterat; et fecit eam capi et mitti in quadam domo juxta ecclesiam; et audivit dici a quibusdam hominibus, quod volebant eam ducere apud Tholosam; sed hoc non audivit a comite.

Item dixit se vidisse quosdam homines ascendere super ecclesiam contra capud castri, paratos cum balistis projicere carrellos, sed ipse non vidit aliquem projicere.

Interrogatus de tempore, respondit se nescire; sed postea dixit quod hoc fuit in comedio quod est inter Natale Domini et carniprivium.

Interrogatus quot erant super ecclesiam, dixit quod erant plures quam duo.

Requisitus dixit quod X et plures venerunt cum comite dicto ad dictum castrum, et ibi ipse; et vidit ibi homines de Porciano, qui veniebant ibi.

Interrogatus qualiter scit quod G. de Sabbaterii faceret venire dictum comitem, dixit quod audivit dici. Dixit eciam quod ipse fuit L vicibus et pluribus in dicto castro pro emendis bestiis, postquam G. de Orllaco tenuit dictum castrum.

Testes supradicti, et eciam infrascripti producti a Guidone de Capite Porco contra dominum Bernardum[1], Magalonensem episcopum, recepti fuerunt, salvis integre dicto domino episcopo omnibus exceptionibus, quas objicere posset in personis et dictis testimoniis. Quam protestationem dictus dominus episcopus fecit, antequam testes, producti contra ipsum a dicto Guidone de Capite Porco, deponerent.

R. Molinerii de Porciano, testis juratus, dixit se vidisse et audisse Guidonem de Capite Porco habere et tenere castrum de Balazuco, et comitem R[aimundum], patrem comitis juvenis, venisse ad dictum castrum; et, in dicto castro, tunc esse

dominam Beatricem, uxorem Guidonis de Capite Porco, et quosdam juvenes de villa ista, et G. Rainaldi. Et comes dixit quod sibi redderetur castrum; et dicta Beatrix dixit quod permitteret eam intrare in capite castri, et haberet consilium: et quidam miles, quem audivit nominari Bt. de Monasterio, dixit quod non permitteret eam intrare in capud castri; ymo expugnaverunt capud castri, et in loco, in quo fieret pugna, facerent afferi hanc, et ibi eam trudillari.

Item dixit quod dictus comes, quando petebat sibi reddi castrum (*blanc de 1 cent.*), dixit sepe et sepius dicte domine et circumstantibus, quod prefatus Guido habebat dictum castrum ab eodem comite in commandam; et, post predicta, dictus testis dixit se recessisse; et nichil amplius scit; et dixit quod in hoc comedio fuerunt V anni; et dixit quod, post festum Sancti Vincencii, per I diem vel per duos fuit.

Interrogatus si dicta domina exiit coacta ad comitem, dixit, quod ita exivit quod dictus comes petebat eam exire, et quod redderet dictum castrum, quia Guido predictus habebat ab eo in commandam; nec fiebat ibi aliqua pugna.

Interrogatus dixit se audisse millesies et plus, quod castrum de Baladuco est de comitatu et dominatione comitatus Melgorii, et credit hoc famam esse; et hoc ita audivit sepius.

P. Lauterius de Porciano, testis juratus, dixit nichil se scire de captione castri de Baladuco.

Interrogatus pro adversa parte, dixit se audisse dici, et credit ita esse, scilicet castrum de Baladuco esse de comitatu Melgorii; et vidit P. Bermundi, fratrem B. de Andusia, nunc monachum Mansiade (1), habuisse et tenuisse dictum castrum pro comitatu Melgorii; quem comitatum habebat et tenebat ratione uxoris sue comitisse Melgorii; et dixit quod XL anni sunt et amplius, quod hoc vidit.

Brunnus de Sancto Flore, testis juratus, dixit quod Bartholomeus, capellanus condam Sancti Firmini, et Gr., qui adhuc

(1) Cart.: *Mansi ade.*

vivit, excommunicaverunt comitem dictum et homines de Baladuco pro injusticia et a (*blanc de 2 cent.*), quam faciebant Guidoni de Capite Porco, castri de Baladuco ; et hanc eandem excommunicationem audivit fieri in ecclesia Beate Marie et Sancti Mathei.

Item dixit famam esse in Montepessulano, et in confinio, castrum de Baladuco fuisse ablatum Guidoni de Capite Porco et sue familie.

Item dixit quod in consilio, quod fuit celebratum in domo milicie Templi, comes faciebat ei (1) loqui quod daret ei M solidos, et quod redderet ei Juviniacum cum suis pertinentiis, et castrum de Baladuco in festo Pasce proxime venturo ; et hoc volebat facere dictus comes, si dictus Guido vellet mandare apud Romam, quod non conquerebatur de eo ; et hec fuerunt, quando castrum Melgorii fuit restitutum domino B[ernardo] Magalonensi episcopo, et a tempore dicti concilii quod celebravit dominus Ar[naldus], condam archiepiscopus Narbonensis, in augusto proxime preterito fuerunt II anni.

B. Fredoli de Lupiano, testis juratus, dixit se vidisse et audisse Guidonem de Capite Porco, habentem et tenentem castrum de Baladuco ; et quod comes R[aimundus] venit ad dictum castrum ; et homines Baladuci tradiderunt ei barrium ; et dictus comes cum militibus suis, et hominibus de Baladuco et aliis hominibus de terra, expugnavit dictum castrum ; et dixit quod, in carniprivio proxime instanti, erunt V anni.

Interrogatus qualiter scit quod homines Baladuci tradidissent barrium dicto comiti, dixit quod eidem intranti apperuerunt portas.

Interrogatus si vidit portas aperire, dixit quod non : quia pedes erat, et inter ultimos, adeo quod non poterat hec videre.

Interrogatus quod per adempre G. Sabbateri, bajuli dicti comitis in castro de Lupiano, venerat ad dictum locum, et dixit quod dictus G. Sabbaterii cum ipso et cum aliis, quos secum habebat, invenerunt dictum comitem circa locum qui

(1) C'est-à-dire Gui Chef-de-Porc.

dicitur *Bolgador;* et dixit dictus G. Sabbaterii prefato comiti quod veniret ad Baladuco, quia statim sibi redderetur; et comes, licet non haberet in proposito illuc veniendi, tamen, ad verbum dicti G., venit ad dictum castrum.

De tempore, dixit quod V anni sunt.

G. de Rodares, testis juratus, dixit se vidisse et audisse quod in hoc comedio sunt V anni, quod homines de Baladuco reddiderunt comiti barrium, et idem comes pugnavit dictum castrum, et cepit illud per vim.

Item dixit quod Bremundus Aldeguerius, et multi alii barones, et etiam Rostagnus de Poscheriis interfuerunt ibi; qui dictus Rostagnus albergavit ibi dictum comitem apud Sanctum Vincentium in illa nocte.

Interrogatus dixit se vidisse et audisse portas barrii esse enguanadas, ita quod non (1) poterat exire et intrare; et in adventu comitis vidit eas desencadenari et aperiri portas tanquam domino.

Interrogatus dixit quod homines de Baladuco apperuerunt dictas portas; sed nescit qui sunt illi qui apperuerunt dictas portas.

Interrogatus dixit quod dictus comes ad minus habebat ibi secum L armatos.

Interrogatus quam violenciam vidit fieri in captione dicti castri, dixit quod fecerunt dominam Beatricem (*blanc de 2 cent.*) de dicto castro, et non permiserunt postmodum eam redire; et fecerunt afferri quendam bancum ad pedem muri, et minati fuerunt quod ligarent eam ad bancum dictum, et mitterent eam ubi fieret pugna; et, si aliqui de capite castri vulnerarent aliquem de sociis comitis dicti, quod interficerent eam. Et, hoc timore ipsa ducta, ipsa dixit hominibus dicti castri, quod redderent dictum castrum prefato comiti; et dixit quod duo milites custodierunt per totam noctem dictam dominam in ecclesia.

Dixit eciam quod, ante redditionem dicti castri comiti pe-

---

1 Cart.: *homo.*

tenti sibi reddi dictum castrum a dicta domina, ipsa respondit quod non redderet ei, quia dominus suus Guido habebat dictum castrum pignori suppositum ab ipso comite, et magis valenciam ipsius castri dederat idem comes filiolo suo.

Item dixit quod, in reddicione dicti castri, dictus comes jussit reddi dicte domine boves et alias res quas habebat in dicto castro.

Interrogatus dixit quod gratis exivit, sed per violenciam retenta fuit.

Ar. Dolzan de Porciano, testis juratus, dixit quod ipse erat in capite castri de Baladuco ; et vidit et audivit quod comes venit ad dictum castrum, et fuerunt ei aperte porte dicti barrii ; sed non vidit qui eas apperuit. Et uxor de Mecier (1), cum hoc audivit, dixit sibi et aliis qui erant in capite castri : *non timeatis, quia ego ibo loqui cum comite compatre meo : et non credo quod faciat michi malum, vel aufferat michi castrum.*

Dixit eciam quod domina dicta exiit ad dictum comitem, et fuit retenta ab eodem per totam noctem. Et comes jacuit illa nocte apud Porcianum cum Rostagno de Poscheriis, et in crastinum rediit idem comes ad Badalucum, et peciit sibi reddi castrum : et quod quidam qui venerant cum dicto comite, loquebantur cum illis qui erant infra capud castri, dicentes eis quod redderent dictum castrum, dicentes quod, nisi redderent, mortui inde exirent, et quod eciam adducerent coram eis dominam predictam suam, et quod clavellarent eam super unam postem, et viderent si interficerent eam. Et post hoc dicta domina venit cum J. de Orllaco ad portam dicti castri, et fuit locuta cum Eurico quod redderet dictum castrum prefato comiti. Et post hoc Euricus, qui preerat sibi et aliis qui erant in dicto castro, dixit quod dicta domina volebat dictum castrum reddi dicto comiti ; et fuit loqutum ante dic-

---

(1) Nom de Gui Chef-de-Porc, ainsi appelé par un autre témoin : il s'appellait aussi Grunier (*de Grunerio*). — Voir son testament, ci-après : acte du 23 janvier 1235 (n. s. 1236).

tum comitem et ipsam dominam quod persone eorum et res ipsius domine essent salve ; et ita fuit redditum dictum castrum.

Interrogatus dixit quod, eo tempore quo ipse erat in munitione dicti castri, homines de Porciano erant excommunicati, et castrum suppositum ecclesiastico interdicto ; tamen dixit quod ipse, ante dictam excommunicacionem et interdictum, (*sic*).

Interrogatus dixit se audisse dici a pluribus quod domina uxor Guidonis dicti (*blanc de 3 cent.*) comitis juvenis, quando jacuit apud Frontinianum, et ibat causa recuperandi castrum de Melgorio.

Interrogatus si scit quod dictus Guido fecisset pactum cum hominibus de Baladuco de non introducendo homines extraneos in dictum castrum, et quod eciam homines de Baladuco essent in munitione capitis dicti castri, dixit quod nescit ; tamen audivit a pluribus hominibus de Baladuco, et in hoc comedio sunt circa V anni.

Interrogatus dixit quod dictus Guido misit quosdam homines illis qui erant infra capud castri, quos homines de Baladuco non permiserunt intrare.

P. Berengarius de Porciano, testis juratus, dixit se audisse quod in ecclesia excommunicabantur comes et homines de Baladuco pro *la tort* quod faciebant Guidoni de Capite Porco.

Item dixit se audisse quod comes dixit Rostagno de Poscheriis, ut haberet sibi paratos homines mane ad pugnam.

Item dixit se audisse dici, quod comes cepit uxorem dicti Guidonis, et peciit ab ea ut redderet ei castrum.

Item audivit dici quod minatus fuit ei quod ligaret eam ad postem, nisi redderet ei castrum ; et audivit dici quod una nocte fecit comes eam custodiri a G. de Vicenobrio et J. de Orllaco, prout ipse testis audivit dici, firmavit eam pro XI libris, et incontinenti dixit pro XI (1) marchis ; et dixit quod bene sunt IIIIor anni vel V.

1) Cart.: o *libris*... o *marchis*.

Item dixit se stare nunc, et stetisse alia vice, cum dicto Guidone pro verqueira : et in isto comedio fuit aliquod tempus quod non stetit cum ipso Guidone.

S. Cordurerii de Porciano, testis juratus, dixit quod ipse erat apud Baladucum : et, dum comes loqueretur illis qui erant in capud castri ut redderent se, ipsa lacrimabatur : et dixit comes : *capiatis illam retullam* (blanc de 2 cent.). *et ligate eam ad postem, et ponite eam ad pugnam.*

Requisitus de tempore, dixit quod, in comedio quod est inter Natale Domini et carniprivium, erunt V anni.

Requisitus dixit quod ipse testis erat ibi mandato comitis, et causa juvandi dictum comitem, et pro valencia ipsius comitis, sed choactus.

P. de Cortils de Juviniaco, testis juratus, dixit quod capellanus de Juviniaco excommunicavit comitem et homines de Baladuco, pro violencia quam faciebant Guidoni de Capite Porco de castro ; et hoc fuit ante messes preteritas.

Poncius Balbus de Juviniaco, testis juratus, dixit idem quod proximus ; sed ubi dixit alius per *violenciam,* iste dixit per *desivesturam.*

Interrogatus de tempore, quod multociens hoc audivit a IIII^or annis citra.

R. de Olivo de Juviniaco, testis juratus, dixit idem quod P. de Cortils, et audivit hoc a duobus annis citra.

Adalasia, testis jurata, dixit quod ipsa stetit apud Baladucum cum Guidone de Capite Porco, et vidit ipsum habere et tenere dictum castrum pro suo et *sens contrast* : et vidit quod ipse fecit ibi edificare cameram et stabulum, et plantari vineam et fieri furnum et mollendinum ; et audivit in ecclesia de Montepessulano et apud Villamnovam excommunicari comitem et homines de Baladuco, quia aufferebant ei castrum.

Requisita de tempore, dixit quod V anni sunt in hoc come-

dio, quod castrum fuit redditum, et domina fuit multum minata (1).

Postea dixit quod ipsa non erat apud Baladucum, quando dictum castrum fuit ablatum, et bene stetit cum dicto Guidone per X annos, et tunc stabat.

Requisita si modo stat cum dicto Guidone, dixit quod stat, quando vult ; et, quando vult, non stat.

Anno M° II° XXVI°, V kalendas marcii, veniens G. Tropassens coram B. de Regordava, tenente locum R. de Salzeto et suimet in causa, ipsis duobus commissa a dicto P[etro], archiepiscopo Narbonensi, dicit se esse procuratorem domini Guidonis de Capite Porco ad testes producendos die predicta. Super quo etiam produxit quasdam litteras, sigillo ipsius Guidonis pendenti munitas, que incipiunt post Incarnationem *ego Guido*, et finiuntur *si opus fuerit*, et presentavit testes infrascriptos qui fuerunt recepti, salvo jure per omnia domini Magalonensis episcopi, quia, ante receptionem, fuit protestatus ipsos recipi non debere, eo quod IIIIor dilaciones date erant ad probandum preter presentem diem ; super quo dicebat se testes produxisse. Et salvo in predictis jure suo, et eciam in aliis exceptionibus suis, predicti testes fuerunt recepti, ut hos testes infrascriptos recepit dictus B. de Regordava, utraque parte consenciente, quod dictus Bn. de Regordava possit in hoc tenere locum sui ipsius et ipsius R. de Salzeto.

R. Durantus sartor, testis juratus, dixit quod ipse audivit in ecclesia Beate Marie de Tabulis, quod comes et homines de Baladuco excommunicabantur, specialiter, pro injusticia quam faciebant domino Guidoni de castro de Baladuco, quod aufferebant ei ; et vidit extingui candelas. Et est annus quod hoc audivit, et sunt II anni quod hoc audivit, sed hoc non fuit factum a festo Penthecosten proximo preterito citra.

(1) Cart.: *mirata*.

Johannes de Montebaseno, testis juratus, dixit quod ipse, in festo Penthecosten proxime preterito, tenebat castrum de Baladuco pro G. de Orllaco. Et, ipsa die Penthecosten, venit ad ipsum Campanneta, qui solet portare balistam, et est arquerius G. de Orllaco, dicens ei quod rex Francie venerat apud Avinionem, et quod, die crastina, esset apud Montempessulanum, et quod G. de Orllaco mandabat sibi testi, quod redderet dictum castrum Po. Buada pro domino B[ernardo], episcopo Magalonensi, quia ex quo rex veniebat, non erat consilium retinendi. Et eadem die post prandium, venit Po. Buada et peciit ab ipso teste reddi sibi castrum dictum pro dicto domino B[ernardo], episcopo Magalonensi: et ipse testis dixit ei, quod ad hoc debebantur sibi pro custodia X sextaria bladi et XXV solidi et vestes; et Poncius Buada dixit ipsi testi quod, reddito ei castro, [si] dominus episcopus nollet reddere, quod ipse redderet: et hoc promisit per fidem plevitam, dando ei osculum pacis. Et antequam hec verba dicerentur, ipse testis fecerat dictum Poncium vocari, qui descenderat ibi in plano, et apperuit ei portellum castri, et intravit solus: et postea ipse testis fecit intrare dictum castrum III homines de Baladuco, scilicet R. Sabbaterii, Poncium Rotberti, G. Rotbaudi: et coram istis tribus fuerunt hec verba inter ipsum testem et Poncium Buada: et antequam isti III intrarent, erat ipse testis se (*mot illisible*) infra dictum castrum. Et postea Poncius Buada et ipse testis iverunt ad ecclesiam, et fuerunt ibi convocati homines de Baladuco: et Poncius Buada tunc peciit ab ipso teste ut absolveret homines de Baladuco de juramento quod fecerant dicto G. de Orllaco pro comite R[aimundo], et tunc ipse testis dixit: *absoluti sunt pro posse quod ibi habeo.*

Vidit postea excommunicari homines de Baladuco et comitem dictum, quia aufferebant dictum castrum Guidoni de Capite Porco.

Requisitus qualiter scit quod Campaneta veniret de mandato dicti G. de Orllaco ad ipsum testem, dixit quod ipse testis venerat prius ad Montempessulanum, et locutus fuerat

cum G. de Orllaco super hoc quod ipse Campaneta ibat et redibat cum ipso G. de Orllaco.

Item requisitus dixit quod ipse G. de Orllaco fecerat portare bladum suum (*blanc 1 cent.*) II *caupols*, et balistas, et armamenta per II dies vel per III, antequam predicta fierent; et, in vigilia dicti festi Penthecosten, fecerat adduci per terram boves et anseres et alia sua animalia, et non fuerat dictus G. de Orllaco in dicto castro per VIII dies precedentes dictum festum Penthecosten.

R. Lavauderius, testis juratus, dixit quod ipse fuerat in ecclesia in die dominica, et audivit excommunicari homines de Baladuco et comitem R[aimundum], pro injuria quam faciebant Guidoni de Capite Porco de castro de Baladuco.

Requisitus quantum temporis, quod hoc audivit, dixit se nescire.

R. Sabbaterii de Porciano, testis juratus, dixit se vidisse Guidonem de Capite Porco tenere castrum de Balasuco, et quod comes, pater istius comitis R[aimundi], venit ad dictum castrum, et peciit ab illis qui erant infra castrum, quod facerent exire uxorem ipsius Guidonis. Et exiit. Et tunc quesierunt ab ea quod redderet ei castrum ; et ipsa respondit quod non poterat, quia pro domino suo haberet, et quod haberet verba sua cum ipso. Et ipse comes fecit eam tunc retineri, et non permisit eam redire. Et hoc fuit quadam die in vespere, quia crastina die mane fecit ipsos homines ire ad pugnam ; et dixit quod dicta domina ligaretur ad postem, et poneretur ad locum ubi fieret pugna, et quod traheret ibi qui trahere vellet ; sed non vidit projici (1) aliquem carrellum ad pugnam.

Item dixit se audisse dici a gente quod domina Beatrix fecerat compositionem cum dicto comite, quod comes redebat ei homines et res suas, et quod sic redebat dicto comiti castrum ; et dixit quod in hoc comedio proxime preterito fuerunt V anni, prout sibi videtur.

(1) Cart.: *prohici.*

G. Vincencii de Montebaseno, testis juratus, dixit quod, in festo Penthecosten proxime preterito, ipse erat in castro de Baladuco cum bajulo qui erat de castro ipsius testis, et tenebat castrum pro (1) G. de Orllaco; qui G. de Orlaco, prout ipse testis audivit dici, tenebat illud pro comite Raymundo. Et, illa die predicta, venit nuncius ex parte dicti G. de Orllaco ad G. Johannem bajulum, dicens ei, ex parte dicti G. de Orllaco, quod redderet dictum castrum Poncio Buada pro domino episcopo Magalonensi; quod et fecit.

De personis requisitus, dixit quod hiis fuerunt homines de Baladuco, scilicet P. de Rodas, G. Rotbaudi, et Copolaire, et plures alii.

Interrogatus dixit quod, ante redditionem dictam dicti castri, G. de Or[llaco] fecerat inde portari et extrahi bladum, et arma, et res alias suas. Dixit etiam quod G. de Or[llaco] fuerat ad dictum castrum *non avia mol* (*blanc de 1 cent.*), quando predicta fuerunt; sed nescit per quot dies.

Guillelma Grossa de Montebasenco, testis jurata, dixit, de mandato quod fecit G. de Or[llaco] G. Johanni de reddendo dicto castro Poncio Buada pro domino episcopo, dixit idem quod proximus.

Dixit eciam quod ipsa erat *serventa* in dicto castro tunc temporis; et de die dixit idem; sed quod redderetur dictum castrum, non dixit.

Item dixit quod, quando audivit quod castrum redderetur, ipsa recessit.

Interrogata de personis, idem dixit quod proximus.

P. Vallauques de Porciano, testis juratus, dixit se vidisse et audisse quod dominus Guido tenebat castrum de Baladuco; et postea comes, pater istius, venit ad dictum castrum cum pluribus hominibus armatis, militibus et peditibus; et fecit dominam exire, ut audivit dici; et duo ducebant eam, qui erant milites, ut sibi videtur; et, ipsa nolente reddere

1 Cart.: *quod*.

dictum castrum ad peticionem dicti comitis, dixit comes: *capite vetulam, et ligate eam ad portam*. Et in hoc comedio preterito sunt V anni.

S. Garnerii de Porciano, testis juratus, dixit idem quod proximus: et plus dixit quod comes dixit: *ite ad bellum.*

Requisitus de tempore, dixit se nescire; sed, ut sibi videtur, sunt circa V anni.

P. Lausa de Porciano, testis juratus, dixit quod comes exibat de Porciano; et venit ad castrum de Baladuco, et fecit exire dominam, et peciit ab ea castrum; et, ipsa nolente reddere castrum, dixit comes: *ego dico vobis in veritate quod, nisi reddideritis michi castrum, ego faciam vos lapidari ad portam;* et vidit quod expugnabant castrum.

De tempore, dixit idem quod P. Vallauques.

Firminus de Porciano, testis juratus, dixit idem quod Raymundus Sabbaterii.

Dixit preterea quod vidit balestarios in ecclesia, et quod comes fecit albergare *sa cavalgada* apud Baladucum.

Dixit preterea, et propter dictum quod fecerat comes de ipsa ponenda ad postem, ipsa domina adobavit cum comite, ita quod recuperavit homines suos salvos et securos, et quod redderet castrum.

De tempore, dixit idem quod proximus.

Interrogatus quot balistarios vidit in ecclesia, dixit quod duos; et quod comes venit ad dictum castrum.

B. Davena de Porciano, testis juratus, dixit idem quod Raymundus Sabbaterii; et plus dixit quod comes dixit dicte domine hec verba: *bailas li torosa; trasparet que mon castell li bailei, et non lam vol redre.*

Plus dixit quod vidit projici(1) carrellos in pugna; sed ubi alius dixit quod comes vocavit eam *dominam*, vocavit eam *damam*.

(1) Cart.: *prohici*.

De tempore, idem quod proximus.

Item dixit quod comes venit ad dictum castrum cum *caralgada*, et quod traucaverunt I barbacanam.

Durantus Furnerius, testis juratus, dixit se vidisse Messerium tenentem castrum; et quod comes venit ad castrum cum *caralgada*; et, de minis dicte domine a dicto comite, dixit idem quod duo proximi.

Protestatur episcopus testes alios non debere recipi a parte domini Guidonis, eo quod legitimum et canonicum numerum testium, scilicet XL et amplius, dicit esse productum, et quia effrenata multitudo testium est repellenda; dicit protestando testes plures non esse admittendos; et, salvo jure suo in ista exceptione et aliis, testes infrascripti fuerunt recepti.

R. de Cavairaco, testis juratus, dixit se audisse multociens in ecclesia Beate Marie de Tabulis excommunicari a capellanis comitem Tholosanum et homines de Baiaduco, quia aufferebant castrum de Baladuco domino Guidoni de Capite Porco.

Item requisitus si aliud sciebat de facto, dixit quod fama est et erat quod comes *forset* castrum de Baladuco domine Beatrici predicte (1)

De excommunicatione, audivit multociens a V annis citra.

Item dixit se multociens audisse dici, quod dominus episcopus receperat mandatum ut excommunicaret dictum comitem et homines de Baladuco, *per la torta* (2) quam faciebant dicto Guidoni de dicto castro; et credit super hoc [se] vidisse litteras, sed non dicit pro certo.

R. Carisham, testis juratus, dixit quod dominus Guido est amicus ipsius; et vocavit ipsum, et Baudacum, et G. Manenci.

(1) Cart.: *predicta*.
(2) Cart.: *tauta*.

et P. Guitardum, qui mortui sunt, dicens eis quod volebat ire ad dominum episcopum, et petere ab ipso castrum suum. Et venit, et ipsi similiter venerunt, et coram pluribus canonicis qui erant ibi, et, presente domino Ar., diacono Sancti Firmini, ut sibi videtur, peciit dictus Guido a domino episcopo sibi reddi castrum suum de Baladuco. Et dominus episcopus respondit ei, quia ipse non comendaverat sibi dictum castrum: nec ipse dominus tenebat illud; et ideo non redderet ei, quia ipse dominus episcopus invenerat dictum castrum vacuum; et hoc fuit a festo Penthecosten citra, sed nescit diem certam.

Ar. de Baudaco, testis juratus, dixit quod dominus Guido, in presencia sui testis, et domini Berengarii de Cerveria, et plurium aliorum, peciit dictum castrum de Baladuco a domino episcopo sibi reddi; et dominus episcopus respondit quod ipse non habebat castrum ab eo, et quod habebat jus in castro, et quod faceret inde sibi rationem et quod non redderet illud sibi; et hoc fuit a festo Penthecosten citra.

Item dixit dominus episcopus tunc, quod dictum castrum invenerat vacuum. — Vicarius curie Montispessulani venit ad aulam domini episcopi, et dixit, coram B. de Regordava qui erat ibi, pro Raymundo de Salzeto et pro se ipso, dicens quod curia compulerat eos testes quos poterat a die martis citra; et quia non poterat omnes compulisse, petebat sibi dari diem ad compellendum.

Requisitus ad peticionem episcopi, quis de curia mandaverat hec verba dici, dixit quod J. Vacca.

(Reg. F, fol. 61 v°).

CCCCLXX. — 18 mars 1226 (n. s. 1227)

Contrepropositions de l'évêque de Maguelone. Audition des témoins.

Anno M° II

Anno M° II^c XXVI°, XV° kalendas aprilis, ponit dominus episcopus quod G. de Orllaco, ante festum Penthecosten proxime preteritum, dimiserat et derelinquerat bajuliam castri

de Balazuco, et inde omnes res suas extraxerat et asportari fecerat. — Ad quod respondens dominus Guido de Capite Porco negavit dictum G. tunc bajuliam dereliquisse ; de a[b]straccione et asportatione rerum dixit se dubitare. Postea III° X° kalendas aprilis, dominus G[uido] negavit dictum G. omnes res suas extraxisse ; sed de quibusdam confessus fuit.

Item ponit dominus episcopus quod, in die Penthecosten prefato, possessio castri de Balazuco erat vacua, tam a comite R[aimundo] quam a domino Guidone : ita quod comes et dominus G[uido] carebant possessione dicti castri. — Negavit dominus Guido quod comes careret possessione, cognoscendo se ipsum carere possessione, sed habebat actionem de possessione.

Item ponit [dominus episcopus] quod, antequam dominus Ludovicus, rex Francie, hoc anno ante Penthecosten intraret provinciam Narbonensem, R[aimundus], qui dicitur comes Tholose, dereliquit possessiones quas tenebat in episcopatu Magalonensi, vel alius pro eo. — Dubitat [Guido] ; postea negavit III° decimo kalendas aprilis (1).

Item ponit dominus episcopus quod, ante dictum festum Penthecosten, comes R[aimundus] cum exercitu suo recessit de partibus istis de toto episcopatu Nemausensi, et Magalonensi, et Agathensi, metu regis Francie fugiendo. — Dubitat : negavit dominus G[uido] III° decimo kalendas aprilis.

Item ponit dominus episcopus quod, antequam R[aimundus] comes, filius Constancie, pater illius Raymundi, intraret castrum de Baladuco, tempore quo dominus Guido dixit ipsum invasisse dictum castrum, domina Beatrix, uxor domini Guidonis, misit ad ipsum comitem nuncium ut veniret ad dictum castrum, et ibi esset cum ea invitatus. — Negavit.

---

(1) Tout ce qu'affirme ici Bernard de Mèze, sur la conduite de Raimond VII, n'est pas très exact : de là la négation de son adversaire. L'évêque n'ignore pas que le comté de Melgueil lui fut restitué en août 1224, et qu'il n'eut pas besoin de Louis VIII, en 1226, pour rentrer en sa possession, excepté pour Balaruc et quelques localités de moindre importance (Voir *Bullaire*, t. II, pp. 92 et suiv.).

Item ponit quod ipsa mandavit, et quod, si veniret, faceret voluntatem suam de dicto castro. — Negavit.

Item ponit [episcopus] quod dictus comes, ante ingressum suum, mandavit per G. de Vicenobrio, quod dictum castrum de Baladuco redderet sibi; et tunc domina Beatrix exiens de capite castri, deferens claves barrii dicti castri in manu sua, et tradens cuidam viro, precepit ut porte portalis barrii aperirentur dicto G. de Vicenobrio. — De portatione clavium negavit [Guido]; de mandato, dubitavit. Postea XIII° kalendas aprilis negavit de mandato.

Item ponit [episcopus] quod, portis barrii apertis de mandato ipsius domine, G. de Vicenobrio intravit et locutus fuit cum dicta domina Beatrice, ut redderet dictum castrum prefato comiti. — Quod dictus G[uido] negavit.

Item ponit [episcopus] quod G. de Vicenobrio intravit barrium de Baladuco, et peciit a dicta domina quod redderet dictum castrum prefato comiti, quia ipse comes ei mandabat. — Dubitat; postea XIII° kalendas aprilis, dominus Guido cognovit; sed non confitetur comitem mandasse.

Item ponit [episcopus] quod, domina Beatrice existente extra capud castri in barris, et ea dicente quod non redderet castrum tunc sine consilio domini sui Guidonis, ipse G. de Vicenobrio dixit eidem domine quod, si nolebat reddere dictum castrum prefato comiti, quod ipsa regrederetur in capud castri. — Dubitat; postea XIII° kalendas aprilis, dominus G[uido] negavit. Item protestatur quod ipsa noluit reddere post dicta verba.

Item ponit [episcopus] quod tam diu ipsa remansit in barrio quousque venit [comes Tholose], et intravit dictum barrium inventis portis barrii apertis. — Dubitat; postea XIII° kalendas aprilis, dominus Guido cognovit, sed dicit quod detenta violenter. — Quam detentionem episcopus negavit.

Item [ponit dominus episcopus] quod dominus G[uido] promisit hominibus de Balasuco sub sacramento, quod esset cum eis in dicto castro; et si audiret adventum comitis venientis ex parte Biterris, ipse exiret ei obviam usque ad *Clap de Malariella*; et si audiret adventum ejusdem venientis ex

parte Montispessulani, exiret ei obviam usque ad Giganum. — Negavit Guido. Item protestatur quod, audito adventu dicti comitis, ipse dominus Guido hoc non complevit, ymo recessit. — Item protestatur dominus episcopus quod, antequam dominus rex Francie intraret archiepiscopatum Narbonensem, dictus R[aimundus], nominatus comes, a[u]ffugerat a partibus istis ultra comitatum Melgorii et episcopatum Magalonensem, et (*blanc de 3 cent.*) ultra Biterrim.

Ponit dominus episcopus quod Guido de Capite Porco convenit cum hominibus de Baladuco, quod duo ex eis manerent in capite castri ad custodiam de die, et alii duo de nocte; et quod nullum extraneum intromitteret (1) sine consilio eorumdem; et hoc promisit eis et juravit. — Negavit dominus Guido.

Item ponit [dominus episcopus] quod idem Guido infregit dictis hominibus prefatam conventionem.

Item ponit [dominus episcopus] quod, quando idem Guido recessit a dicto castro, dixit hominibus, in capite castri manentibus, quod ipse ad custodiam capitis castri mitteret homines armatos; quos, cum viderent venientes, reciperent; et, cum ipsis venientibus armati, insurgerent in homines de barrio, et barrium barregarent. — Negavit dominus Guido.

Item ponit [dominus episcopus] quod dictus [Guido] postmodum misit homines extraneos armatos ad dictum castrum de Baladuco, qui de nocte temptaverunt intrare. — Cognovit G[uido] se misisse homines de Montepessulano, qui voluerunt intrare; sed homines de Baladuco non permiserunt; sed, an voluerunt intrare de nocte (2), dubitat.

Item ponit [dominus episcopus] dictum G[uidonem] misisse R[aimundo], comiti juveni, (*blanc de 2 cent.*) sua scilicet quamdam gruem, et pigmentum, et quedam alia; et hoc fecit eo tempore quo dictus comes abstulit castrum Melgorii ipsi episcopo Magalonensi.

Item ponit [dominus episcopus] quod dictus comes, tunc

(1) Cart.: *intromitterent.*
(2) Cart.: *notte.*

temporis, circa illud tempus quando dictus G[uido] recessit a castro de Balazuco, misit ad ipsum G[uidonem], ut veniret ad eum : quod et ipse G[uido] fecit. — Quod dictus G[uido] cognovit se venisse, pro mandato quod dictus comes ei fecerat, antequam recederet a castro de Balazuco.

Item ponit [dominus episcopus] quod notificatum fuit hominibus de Balazuco, quod dictus G[uido] mitteret homines armatos ad barregandum dictum barrium. — Negavit [Guido].

Item ponit quod dicta Beatrix dixit Taloni, quod iret invitare comitem ex parte sua, quondam R[aimundum], transeuntem per stratam publicam ; et eadem die dictus comes intravit Balasucum. — Dubitat ; postea XI° kalendas aprilis, repetitis protestationibus suis, quibus dicebat se non teneri respondere, negavit.

Item ponit quod ipsa B[eatrix] mandavit domino comiti per G. Sabbaterium, quod veniret ad eam, et ipsa faceret de dicto castro quod ipse comes vellet ; et eadem die dictus comes intravit dictum castrum. — Negavit, facta dicta protestatione.

Item ponit quod eadem Beatrix dixit eodem tempore : *bene placet michi, si comes venerit ad nos*. Negavit, facta dicta protestatione.

Item ponit ipsam B[eatricem] dixisse eadem die : *ego invitabo compatrem meum comitem, cum venerit ad nos*. — Dubitat ; postea XI kalendas aprilis, facta dicta protestatione, negavit.

Item (1) ponit eandem B[eatricem] eodem tempore dixisse : *ego faciam pigmentum*.

Item ponit quod G. de Orllaco mandavit G. Jo. suprascripto, in die Penthecosten prefati anni, quod desereret castrum de Baladuco. — XI° kalendas aprilis, facta protestatione predicta, negavit ; sed dixit G. de Orllaco mandasse G. Jo., ut traderet dictum castrum Poncio Buada mandato domini episcopi.

Item ponit quod G. Jo. deseruit dictum castrum. — Respondit eodem modo sicud in proxima positione. — Protestatur

(1) Au bas du folio 71 r°, il y a un renvoi qui n'est pas indiqué dans le texte. Nous l'insérons ici, d'après le sens.

dominus episcopus Magalonensis, quod familie dicti G[uidonis], que pro ipso castrum de Baladuco tenebat, non fuit talis ac tantus metus, qui posset et debeat cadere in constanciam persone (1), quando castrum dimiserunt et reddiderunt comiti memorato.

Item ponit quod dictus comes dixit circumstantibus, dum esset in barrio de Baladuco : *ego recedam hodie a loco isto, quia negociosus sum, et oportet me recedere.* — Dubitat ; postea, facta predicta protestacione, cognovit, XI kalendas aprilis.

Item ponit quod, quando dictus comes venit, intravit cum (*blanc de 2 cent.*) sociis LX, et sine pluribus erat, quando dictum castrum fuit ei redditum. — Dubitat ; postea XI kalendas aprilis, facta dicta protestacione, negavit, dicens quod L erant cum eo.

Item ponit quod dictus comes recessit a dicto castro, metu illorum qui erant in capite castri, projicieneium lapides et carrellos contra comitem (2) et socios suos. — Dubitat ; postea, XI° kalendas aprilis, facta primâ dicta protestacione, negavit dictus (3) G[uido].

Item [ponit] quod quidam de sociis comitis remanserunt in dicto castro, de voluntate et permissione custodiencium capud castri. — Dubitat ; postea, XI° kalendas aprilis, facta dicta prima protestacione, negavit. Convenit tamen quod quidam remanserunt. — Et protestatur dictus episcopus quod aliter non erant ausi remanere.

Item ponit quod conventum fuit inter dictum comitem et dictam dominam, quod ipsa libere et secure exiret et recederet a dicto castro cum hominibus suis et rebus quas ibi habebat, et quod dimitteret castrum sibi. — Dubitat ; postea, facta dicta protestacione, XI° kalendas aprilis, negavit dicens quod, postquam dictus comes habuit castrum dictum, dixit domine Beatrici (4) quod extraheret res suas. — Produxit pro vero dominus episcopus, ad ponendum et probandum, quoddam

(1) Cart.: *in constancie personam.*
(2) Cart.: *episcopum.*
(3) Cart.: *dictis.*
(4) Cart.: *Beatrice.*

instrumentum, sine die et consule, quod incipit: *In nomine Domini*, et finitur: *cor mundum crea in me Deus;* et est bullatum bulla plumbea R[aimundi], condam patris istius R[aimundi]. — Ad quod dixit dominus G[uido] se non teneri respondere, et produccionem istius instrumenti non debere recipi, quia tangebat questionem proprietatis, et quedam alia.

Cum nos, P. Lamberti, ante interlocutoriam ferendam super premissis, ad cautelam duxerimus dominum archiepiscopum consulendum, et vellemus procedere in causa pocessorii judicii castri de Baladuco, actum fuit coram nobis de consensu parcium, quod dominus episcopus proponeret, in eadem causa, si quod habeat; et quod proponat, ita quod non fiat ei prejudicium ex eo quando audiatur super retentione pocessionis de amparato et aliarum rerum, quas proxime peciit in libello, secundum tenorem commissionis a domino archiepiscopo nobis facte juxta formam juris.

Item ponit dominus episcopus quod R[aimundus], condam comes Tholose, pater istius R[aimundi], decessit antequam dictus episcopus intraret vacuam possessionem dicti castri de Baladuco. — Cognovit G[uido], dicens comitem decessisse, et quod intravit, post mortem ejus, dictus episcopus possessionem dicti castri, sed non vacuam.

Item ponit dominus episcopus se fuisse absentem, in festo Penthecosten proxime preterito fuit annus, ante dictum festum per aliquot dies ab isto episcopatu: et in ipso festo et post, continue per VIII dies, a toto isto episcopatu, et a tota ista provincia. — Quod altera pars cognovit.

Item ponit dominus episcopus famam esse publicam quod dictus R[aimundus], filius superstes, ante dictum festum Penthecosten, quod fuit hoc proxime preterito Penthecosten fuit annus, derelinquerat totam terram istam, metu regis Francie venientis contra ipsum. — Quod altera pars negavit. Item protestatur quod idem R[aimundus] superstes tenebat,

ante dictum festum, in partibus istis, longe forciora, castra et villas, [inter] quas esset vel sit castrum de Baladuco.

Dominus episcopus peciit diem ad ponendum et probandum negata, posita seu protestata, et ad producendos testes adverse partis, dicens quosdam ex ipsis esse excommunicatos et quosdam esse perjuros, fures et adulteros, et quosdam domesticos et familiares ipsius G[uidonis], et quosdam sinistre fame et prave oppinionis: et est assignata dies veneris post festum Assumptionis Beate Marie.

Item eadem die (1) est assignata utrique parti ad audiendam interlocutoriam super peticionem pocessionis de Juviniaco et aliarum rerum, quas petit dominus episcopus, et ad procedendum in ea peticione, quantum de jure poterit procedi.

Protestatur dominus Guido testes domini episcopi ad reprobandum testes ipsius (2) G[uidonis] non esse recipiendos, nisi servata sollempnitate juris.

Protestatur dominus episcopus G[uidonem] de Capite Porco non probasse violenciam vel dejeccionem castri de Baladuco, neque per legitimas probationes, neque per confessionem suam, neque per famam, neque per testes.

Protestatur dominus episcopus se nullam violenciam fecisse dicto G[uidoni] super castrum de Baladuco, neque aliquem alium, a quo ipse habeat causam.

Item protestatur dominus episcopus se habere causam possidendi castrum de Baladuco, et alia pertinencia ad comitatum Melgorii sive Montisferrandi, a Sede Apostolica, ex concessione domini Pape facta predecessori suo et sibi.

Item protestatur dominus episcopus interrogationes, et pocessiones, et exceptiones, a se factas, tenuisse et voluisse tenere et valere de jure.

Item protestatur dominus episcopus G[uidonem] predictum teneri sibi respondere in presenti, cum quousque conclusum fueri de facto, tam a se quam a dicto G[uidone].

(1) Cart.: *dies*.
(2) Cart.: *reprobandum et ipsius*.

Item protestatur quod ea que a se sunt proposita, tenet de jure.

Item quod ipse non est judex dicti G[uidonis] in presenti causa, sed dominus archiepiscopus.

Item quod ipse dominus episcopus non offendit dictum Guidonem, manifeste vel occulte, super dicto castro.

Item protestatur quod dominus G[uido] tenetur ei respondere quod pocessio et proprietas castri de Baladuco, jure et concessione domini Pape, pertinet ad ipsum.

R. Deodati, testis juratus, dixit quod dominus Guido de Capite Porco misit pro majori parte homines castri de Baladuco, et peciit ab eis sacramentum fidelitatis ; quo prestito, dominus G[uido] juravit eis quod salvaret et custodiret, et quod non recederet ab eis ad mortem vel ad vitam ; et quod non intromitteret (1) homines extraneos in dictum castrum sine consilio eorum.

Item dixit, quod ita convenerunt dominus G[uido] et homines dicti castri, quod ipse custodirent ei castrum de Baladuco pro posse suo : et instituerunt IIII^or homines in ipsum castrum, qui, per vices (2), custodirent dictum castrum : et quod postea dominus Guido recepit homines quosdam, qui venerant armati in quadam barcha ; et quod ipse tunc exivit, visis hominibus armatis quos receperat dominus G[uido] ; tamen dominus G[uido] dixit ipsi tunc, quod non exiret castrum, et quod custodiret, sicut consueverat.

Item dixit quod postmodum, infra VIII dies, venerunt ad dictum castrum magister G. de Avinione, magister P. Rainaldi, et P. Saisseti ; et dominus G[uido] recepit eos et exivit cum eis sine consilio hominum castri.

Item dixit, quod homines armati extranei voluerunt dictum castrum de nocte intrare, et homines ejusdem castri prohibuerunt, quia timebant eo quod dominus G[uido] exierat de

---

(1) Cart.: *intromitterent.*

(2) Cart.: *vicos.*

castro : et audivit a dictis hominibus armatis, quod dominus G[uido] vel amici ejus miserant eos.

Item dixit quod, dicto tempore cum comes Tholose major de Provincia veniret, G. de Vicenobrio, et G. Sabbaterii de Lupiano, et Berengarius Dalmacius de Monte Arnaldo venerunt ad portam barrii dicti castri, et dixerunt hominibus, qui erant ibi, quod irent ad dictam Beatricem, quia volebant loqui cum ea : et ipse testis et R. Sabbaterii juvenis iverunt ad eam, et dixerunt ei quod G. de Vicenobrio erat ad portam barrii, qui volebat loqui cum ea. Et tunc domina Beatrix exivit cum clavibus por[talis] barrii, et tradidit eas Raimundo Sabbaterio juveni, ut apperiret portam barrii G. de Vicenobrio et sociis ejus. Et vidit quod G. de Vicenobrio et socii ejus intraverunt barrium, et dictus G. de Vicenobrio traxit dominam Beatricem seorsum. Et, ipsis loquentibus, comes venit usque ad portam ecclesie, et, cum fuit ad portam, requisivit a dicta Beatrice quod redderet ei capud castri ; et ipsa dixit quod non poterat, et quod domina B[eatrix] dixit dicto comiti quod descenderet, et iret locutum cum ipso in ecclesia. Et tunc comes dixit : *loquamur extra*.

Interrogatus de tempore, dixit quod fuerunt V anni elapsi in hoc comedio proxime preterito, quod est inter Natale et carniprivium.

Requisitus pro parte adversa, dixit quod vidit dominum G[uidonem] tenere et possidere per V annos.

Item requisitus, dixit quod, eo tempore quo dictus comes venit ad portam ecclesie, ut supradictum est, dominus G[uido] tenebat castrum predictum.

Item requisitus, dixit quod dictus comes tunc venit ad dictum castrum cum L sociis.

Item requisitus, dixit quod homines, qui erant in capite castri, projiciebant lapides in socios comitis, et quod socii ipsius comitis traxerunt de peselleiras portam aigueriam : et, in sequenti die, vidit quosdam socios ipsius comitis defferentes capellos ferreos (1) in capitibus et alia arma.

1) Cart.: Reg. F : *capellas ferreas* ; Reg. B : *cappellos ferreos*.

Item respondit quod quidam archerius munivit pignaculum ecclesie, sive clocarium, cum quadam poste, ad expugnandum capud castri.

Item requisitus dixit se vidisse quaddam foramen in barbachana dicti castri; quod foramen non erat ibi ante adventum comitis.

Item requisitus, dixit quod ipse testis fuit unus ex eis qui juraverunt fidelitatem domino G[uidoni]; et quod antea juraverat ipse, et alii de castro.

Item requisitus, dixit quod, quamdiu dictus comes tenuit dictum castrum, homines ipsius castri steterunt excommunicati.

Item requisitus, dixit quod G. de Orllaco tenuit dictum castrum pro comite, et quod G. J. fuit, per aliquot tempus, bajulus ipsius G. [de Orllaco] in dicto castro.

P. de Maismona, Paulus, P. Andreas, B. Guifredus, Durantus Rotberti, B. Molinerius, P. Carobassa, hos testes produxit dominus episcopus super premissis, et specialiter P. Maismova (1), B. Molinerii, P. Andream, ad probandum quod comes major veniret ad castrum de Balazuco de mandato domine B[eatricis], uxoris domini G[uidonis].

P. Dalmacius, dyaconus, testis juratus, dixit se vidisse et audisse quod dominus G[uido] fecit jurare homines de Baladuco, fidelitatem et membra sibi et suis, et custodiam sui ipsius, et uxoris sue, et familie sue, et dominii castri. Et vidit quod G. Rotbaldi surrexit, et recepit sacramentum pro se et aliis, scilicet quod dictus Guido esset eis fidelis, et justus, ut dominus, et quod de dicto castro non exiret, quamdiu negocia illa durarent (*blanc de 1 cent.*) timore comitis, et quod homines extraneos non intromitteret in dictum castrum sine consilio hominum de Baladuco; et quod juravit eis vitam et membra; et fuit actum de consilio ipsius Guidonis et hominum de

(1) Fin Reg. B, fol. 160 v°.

Baladuco, quod IIIIor homines ipsius castri custodirent ipsum dictum castrum de die, et IIIIor de nocte.

Et vidit quod quidam homines, a VII usque ad VIIII, qui venerunt in quadam barcha cum armaturis, intraverunt in capud castri; et, dum illi homines de Baladuco, qui custodiebant castrum, ivissent comestum, et redeuntes, videntes predictos homines qui venerant cum armaturis, dixerunt quod de cetero non starent ibi, quia dominus G[uido] intromiserat homines extraneos. Et vidit quod magister G. de Avinione, et P. Raina[l]di, et P. Saisseti, intraverunt capud castri, et comederunt intus; sed audivit a magistro G. de Avinione, quod ipse G[uido] exivit cum eis de castro dicto, sine consilio hominum ejusdem castri.

Item vidit quod G. de Vicenobrio venit ad portale barrii dicti castri cum G. Sabbaterio de Lupiano, et quesivit dictus G. de Vicenobrio a R. Sabbaterio juvene, an dictus G[uido] esset infra capud castri, vel quis pro eo; et respondit quod domina Beatrix, uxor dicti G[uidonis], erat ibi pro ipso; et dictus G. de Vicenobrio dixit prefato R. Sabbaterii, quod iret ad eam, et veniret loqui cum ea. Et quod Raimundus Sabbaterii significavit ei predicta, et domina B[eatrix] tradidit claves portallis barrii dicto Raymundo Sabbaterii, dicens quod aperiret portam barrii dicto G. de Vicenobrio. [Qui] introivit et locutus fuit cum domina B[eatrice] seorsum; et, dum loquerentur, comes Tholose major intravit, et venit usque ad portam ecclesie. Et tunc dixit dictus comes prefate B[eatrici], ut redderet ei capud castri; et ipsa respondit quod non faceret, quia dominus Guido non erat ibi, et quia ipsa iret, et mitteret ad dictum Guidonem, et faceret quod ipse vellet.

Item vidit quod domina B[eatrix] dixit prefato comiti quod descenderet et loqueretur cum eo; et ipse comes dixit eidem B[eatrici]: *extra loquamur*. Et cum domina exiisset, dictus comes quesivit a dicto G. de Vicenobrio si exierat in guidaguio ipsius G. de Vicenobrio; et ipse G. dixit quod non pecierat guidagium; et tunc comes dixit: *capiatis et custodiatis eam*. Et tunc Bt. de Monasterio cepit et custodivit eam, donec J. de Orllaco juvenis manulevavit eam; et, per totam noctem,

ipsa B[eatrix] jacuit in domibus ecclesie cum quibusdam monialibus; et, die sequenti in mane, comes venit de Porciano, et peciit a dicta B[eatrice] sibi reddi castrum : et ipsa dixit quod non faceret. Et tunc duo homines armati, qui venerant cum comite, ceperunt eam a dextris et a sinistris, dicentes quod, omnibus modis, necesse habebat reddere dictum castrum. Et tunc ipsa respexit ad capud castri, et jussit aperiri portas castri : quibus portis apertis, intraverunt plures dictum castrum. Et tunc dicta domina, sine impedimento comitis et suorum, extraxit omnes res suas de dicto castro, et vinum, quod ibi erat, vendidit VI libras Raimundo de Salvanhanicis, qui remansit ibi bajulus pro comite.

Item quod, furto quondam perpetrato apud Montembasenum, ut dicebat ipse testis, audivit a quibusdam quod res furtive erant infra capud castri ; et ipse testis cum aliis tanto tempore vigilavit, ut posset comprehendere fures, donec viv (*blanc de 2 cent.*) P. de Rodis extrahentem res de dicto castro, que dicebantur subrepte ; et tunc P. de Rodis confessus fuit ipsi testi, et G. de Gordano, et P. Malcas, quod ipse et G. (1) Vincencii res predictas subripuerant.

Interrogatus pro parte adversa, quomodo scit quod dictus Guido exisset dictum castrum sine consilio hominum ejusdem castri, respondit quia, dum dictus Guido exiret, ipse testis erat, cum pluribus aliis de castro, super portale barrii : nec audivit quod a se teste vel ab aliis peteret consilium dictus Guido exeundi ; et hoc idem ipse testis audivit ab aliis, qui tunc temporis non erant ibi, quod dictus Guido exiverat sine consilio eorum.

Item interrogatus dixit quod comes venit, cum L vel LX sociis, ad dictum castrum, quorum quidam erant armati, quidam non.

Item requisitus pro adversa parte, dixit quod, antequam

(1) Le prénom de ce Vincent est douteux : tantôt c'est un *G* tantôt un *S*. Nous suivons le *Cartulaire* et donnons les deux lettres, suivant les cas. Il figure d'ailleurs comme témoin dans l'acte précédent.

aperirentur porte castri, vidit expugnari castrum, sic quod audivit et vidit usque ad IIIIor *carrells* fuerunt projecti ad capud castri.

Interrogatus de foramine barbachane, dixit idem quod Raymundus Deodati.

Interrogatus de tempore, dixit idem quod proximus.

Item requisitus, dixit quod audivit a sacerdote castri de Baladuco, quod episcopus miserat litteras hominibus de castro, quod venirent responsuri coram eo domino Guidoni.

Item requisitus, dixit quod audivit dici, quod episcopus excommunicabat homines dicti castri, quia nolebant venire coram eo, responsuri domino Gui[doni].

Item requisitus, dixit quod, ante adventum dicti comitis, ipse testis vidit dictum Gui[donem] tenere dictum castrum per VIIII annos.

Item interrogatus, dixit quod audivit a G. de Orllaco et bajulo dicti G. [de Orllaco], quod ipse G[uido] tenebat dictum castrum pro dicto comite; et hoc idem audivit ab hominibus dicti castri.

Interrogatus quis esset bajulus pro dicto G. de Orllaco in dicto castro, dixit quod Ganerius, et post, G. Jo., secundum quod ipsi dicebant et homines castri.

Item dixit quod, ante festum Penthecosten proxime preteritum fuit annus, G. Jo. erat bajulus in dicto castro pro G. de Orllaco.

Dalmacius de Baladuco, testis juratus, dixit idem quod proximus, de sacramento fidelitatis, prestito ab hominibus de Baladuco G[uidoni], et de sacramento prestito ab ipso G[uidone] prefatis hominibus, et de non intromittendis extraneis hominibus sine eorum consilio. Et eciam plus dixit quod tam ipse quam alii testes castri, ante predictum juramentum, juraverant eidem G[uidoni] bis fidelitatem; et idem, de IIIIor hominibus institutis ad custodiam castri.

Item dixit quod homines extranei armati intraverunt capud castri; et quod G[uido] erat intus, et vidit quod illi homines armati remanserunt in capud castri pro custodia.

Item dixit dictum G[uidonem] jurasse, quod non recederet ab hominibus castri de Baladuco.

Item dixit quod magister Gu. de Avinione, et P. Saisseti, et P. Rainaldi venerunt ad castrum : et dominus Guido exivit cum eis sine consilio hominum dicti castri.

Requisitus quomodo scit quod Guido exivisset sine consilio hominum, respondit quod ipse testis erat presens cum multis aliis, dum dictus Guido exiret ; nec audivit quod peteret licenciam ab ipsis exeundi.

Item dixit quod, cum Bt., frater comitis, insultum fecisset apud Gigianum, et homines castri dicti timerent, pecierunt (1) a dicta domina Beatrice, que erat infra capud castri (*blanc de 2 cent.*) reciperet eos, si esset eis necesse ; et tunc dixerunt qui erant cum ea, scilicet Olricus, quod bene deffenderent se, quia capud castri non intrarent. Et quod modum ipse testis et sacerdos dicti castri iverunt ad dictum G[uidonem], qui erat apud Villamnovam, et conquesti fuerunt eidem G[uidoni] de domina B[eatrice], et de aliis qui erant in capite castri ; et tunc Guido dictus respondit quod ipse diligeret homines castri, et nolebat quod ipsi intrarent capud castri, et exirent quandocumque vellent : et quod ipse mitteret litteras ad dominam Beatricem, quod permitteret eos intrare.

Item quod homines castri prohibuerunt quosdam pro domino Guidone ne intrarent, quia timebant, eo quod audierant a quibusdam, quod ipse Guido volebat barrigiare quosdam de villa.

Item dixit quod, crastina die post festum sancti Antonii, comes Tholose major venit ad dictum castrum : et domina B[eatrix] fuit ibi, et dixit hominibus qui erant in capite castri, quod aperirent : et, apertis portis, intraverunt homines comitis, et levaverunt vexillum comitis in capite castri.

Interrogatus de tempore, quo comes venit, dixit idem quod proximus.

Requisitus pro adversa parte, dixit quod, ante adventum

(1) Cart.: *peciarunt*.

comitis, de quo mentio facta est proxime, vidit dominum Gui[donem] tenentem castrum dictum.

Item requisitus, dixit quod, ante festum proxime Penthecosten preteritum fuit annus, quod G. de Orllaco tenebat dictum castrum.

Item requisitus, dixit quod, ipso festo Penthecosten quod fuit in hoc festo Penthecosten fuit annus, G. Jo. erat bajulus in dicto castro pro dicto G. de Orllaco.

Item dixit quod homines castri de Baladuco steterunt excommunicati, ab adventu comitis usque quo dictus [episcopus] recepit dictum castrum.

P. Jo. de Baladuco, testis juratus, dixit idem quod P. Dalmacius, de sacramento ab hominibus de Baladuco Gui[doni] de Capite Porco, et ab ipso Guidone ipsis hominibus; et quod non recederet ab eis quamdiu durarent negocia terrarum; et quod non intromitteret homines extraneos sine consilio eorum; et idem, de IIII^or^ hominibus constitutis ad custodiam castri; et idem dixit de ingressu hominum cum armaturis quod Dalmacius; et idem dixit de exitu domini Guidonis cum magistro G. de Avinione et aliis, quod Dalmacius, et (*blanc de 1 cent.*) comitis reddidit; idem dixit de adventu G. de Vicenobrio ad portale barrii quod P. Dalmacius, usque ad verbum illud : *extra loquamur*.

Item dixit quod comes Tholose major rediit in die sequenti, et domina B[eatrix] reddidit ei capud castri.

De tempore, idem quod proximus.

Requisitus pro parte adversa, dixit quod comes venit ad dictum castrum cum exercitu suo; et erant quidam armati, quidam non.

De foramine barbacane, idem quod R. Deodati.

Item dixit quod, ante adventum dicti comitis, dictus Guido tenuerat dictum castrum ad VIII annos; et tunc tenebat quando dictum castrum fuit redditum dicto comiti.

Item dixit se vidisse quod G. de Orllaco tenuit dictum castrum pro comite, et G. Jo. pro G. de Orllaco.

Item dixit quod homines de Baladuco steterunt excommunicati, quamdiu comes vel alius pro eo tenuit dictum castrum.

G. Ratbaldi de Baladuco, testis juratus, dixit idem quod P. Dalmacius, de sacramento prestito Guidoni ab hominibus castri de Baladuco, et ab ipso Guidone dictis hominibus; et de non intromittendis hominibus extraneis sine consilio eorum; et idem, de IIIIor hominibus institutis ad custodiam castri.

Item dixit se vidisse quod, cum quidam homines venissent in quadam barcha, et intrassent capud castri cum armaturis, dominus G[uido] significavit hoc hominibus ipsius castri, quod homines, qui venerant armati, erant propinqui et consanguinei B[eatricis], uxoris sue, et quod retinerent eos pro custodia castri, si placeret eis; et responderunt quod bene placebat eis.

De tempore, idem quod alii.

Requisitus, dixit se vidisse quod G. de Orlaco tenuit dictum castrum pro comite, et G. Jo. pro G. de Orllaco.

Item dixit quod, in festo Penthecosten quod fuit in hoc proxime preterito festo Penthecosten fuit annus, G. Jo. tenebat castrum predictum pro G. de Orllaco.

Item dixit quod, in dicto festo Penthecosten, Poncius Buada intravit capud castri, et invenit dictum G. Jo.

Item dixit quod dominus Guido tenuit dictum castrum per X annos, antequam comes aufferret, vel recuperaret dictum castrum.

Item dixit se vidisse quod sacerdos dicti castri excommunicavit homines de Baladuco, mandato domini episcopi, pro querela quam dictus Guido faciebat de eis.

Item dixit quod homines de Baladuco steterunt excommunicati ab eo tempore quo comes recuperavit dictum castrum, usque quo dominus episcopus recuperavit dictum castrum, tam pro facto comitis quam pro querela domini Guidonis.

P. Rotberti de Baladuco, testis juratus, dixit idem quod P. Dalmacius de sacramento, a domino Guidone et ab hominibus prestito ad invicem; et quod non recederet ab eis, neque

intromitteret homines extraneos, vel privatos, sine consilio eorum : idem, de IIIIor hominibus institutis ad custodiam castri : et idem, de hominibus qui venerant in barcha : et adjecit quod dominus Guido commisit, fidei eorum, uxorem suam et familiam et ipsum castrum.

Item dixit quod, postquam homines armati intraverant capud castri, homines de Baladuco, instituti ad custodiam, recesserunt ; et deinceps dictus Guido custodivit capud castri absque eis.

Item dixit quod dominus Guido quesivit ab eis, quod dicti homines, qui venerant in dicta barcha, remanerent pro custodia, responderunt quod essent in voluntate domini G[uidonis].

Et idem dixit de recessu, vel exitu dicti Guidonis, et eandem causam reddidit quam P. Dalmacius ; de prohibitione ingressus quorumdam hominum, qui venerant de nocte pro custodia castri, et de mandato domini G[uidonis], ut dicebant, et de redditione cause, idem quod Dalmacius de Baladuco.

Item dixit se vidisse quod domina B[eatrix] reddidit capud castri de Baladuco comiti majori.

De tempore, idem quod alii.

Requisitus, dixit quod, ante prestitum sacramentum, ipse testis et homines de Baladuco juraverunt bis fidelitatem domino Guidoni.

Item requisitus, dixit quod, antequam dictum castrum esset redditum comiti, ipse G[uido] tenuit dictum castrum per VII annos et amplius : et quod, tempore redditionis quam dicit factam fuisse a domina B[eatrice], ipse G. tenebat dictum castrum.

Item dixit quod, ab eo tempore quo comiti fuit redditum dictum castrum, steterunt excommunicati homines de Baladuco, quousque dominus episcopus recepit dictum castrum.

De foramine barbacane, dixit idem quod Raymundus Deodati.

Item dixit quod dictus comes venit ad dictum castrum cum L sociis et plus, et erant quidam armati, quidam non.

Item dixit se vidisse quod G. de Orllaco tenebat dictum

castrum pro comite, et G. J. pro dicto G. de Orllaco ; et quod, in festo Penthecosten proxime preterito fuit annus, quod G. J. tenuit dictum castrum pro G. de Orllaco.

Item dixit quod Poncius Buada intravit capud castri, et invenit ibi G. Johannem.

Raymundus Sabbaterii senior, testis juratus, dixit idem quod P. Dalmacius de sacramento, prestito ab hominibus de Baladuco et ab ipso G[uidone] ad invicem ; et plus, quod homines ipsi juraverunt uxori ipsius Guidoni et filiis suis ; et idem, de IIII^or hominibus institutis ad custodiam castri ; et idem dixit de hominibus armatis qui venerant in quadam barcha, et intraverunt capud castri ; et adjecit quod exinde homines de Baladuco, instituti pro custodia castri, recesserunt.

Item dixit quod homines de Baladuco prohibuerunt intrare quosdam homines armatos, qui venerant ad castrum pro custodia ejusdem, et de mandato domini Guidonis, secundum quod dicebant.

Item dixit se vidisse quod comes, existens infra barrium ante portam ecclesie, peciit a domina Beatrice quod redderet sibi dictum castrum. Et domina B[eatrix] dixit comiti quod permitteret eam habere consilium a domino Guidone ; et ipse comes dixit quod non faceret, et tunc domina B[eatrix] rogavit comitem quod descenderet et loqueretur cum eo ; et ipse comes : *extra loquamur.*

Item dixit se vidisse quod, in sequenti die in mane, comes fecit clamare quod irent ad pugnandum capud castri ; sed non vidit expugnari castrum. Et quod domina B[eatrix] fecit aperiri portas capitis castri, et intraverunt homines comitis, et domina extraxit de dicto castro res suas.

Interrogatus de tempore, dixit quod hec fuerunt V anni sunt transacti et plus.

Requisitus, dixit quod, ante dictum adventum dicti comitis et redditionem sibi factam, dominus Guido tenuerat dictum castrum per XII annos, et tunc temporis tenebat, quando castrum fuit redditum comiti.

Item dixit quod dictus comes venit ad dictum castrum cum IIc bestiis seu equitaturis, et erant quidam armati.

De foramine barbacane, dixit idem quod R. Deodati.

Item dixit se vidisse quod G. de Orllaco tenuit dictum castrum pro comite, et G. J. tenuit pro G. de Orllaco.

Item dixit quod homines castri de Baladuco steterunt excommunicati bene per III annos.

Duodecimo kalendas septembris, B. Molinerius de Baladuco, testis juratus, dixit se vidisse et audisse quod dominus Guido tenebat castrum de Baladuco ; et, convocatis hominibus dicti castri, fecit eos jurare sacramentum fidelitatis, et dominus Guido juravit eis quod et esset fidelis et bonus dominus, et quod non recederet ab eis, et quod non intromitteret homines extraneos in capite castri.

Idem dixit quod P. Dalmacius, de IIIIor hominibus institutis ad custodiam.

Item vidit quod dictus Guido recessit et cum G. de Avinione et P. Saisset, et postea non fuit in castro ; quod ipse vidit.

Item dixit quod quidam miles, G. de Vicenobrio, venit ad portam barbacane capitis castri, et fuit ibi locutus cum domina B[eatrice], uxore domini Guidonis ; et dixit eidem domine quod comes mandabat ei, quod redderet ei castrum ex parte comitis, et quod ipse teneret castrum pro ipso comite. Et tunc domina B[eatrix] dixit : *veniat comes, et conveniam cum eo*. Et G. de Vicenobrio dixit G. Sabbaterio : *vade ad comitem, et dic ei quod domina B*[*eatrix*] *conveniat cum eo ad voluntatem suam.*

Item dixit quod vidit comitem et suos intrare capud castri, et levare signum suum in capite castri, et quod domina B[eatrix] extraxit inde omnes res suas.

De tempore, dixit quod fuerunt V anni, crastina die post festum sancti Antonii proxime preteritum.

Et dixit quod, ante prestitum predictum sacramentum, ipse testis et alii juraverunt ei fidelitatem, quandocumque ipse Guido pecierat.

Item requisitus pro adversa parte, dixit quod audivit dictum

Guidonem tenentem dictum castrum per V annos et plus, ante tempus illud quo comes recuperavit dictum castrum : et adjecit quod, tempore dicti prefati sacramenti, dominus G[uido] comisit fidei hominum dicti castri uxorem suam, et familiam, et filios, et capud castri.

Et dixit quod comes venit ad dictum castrum, et intravit barbacanam barrium cum L sociis et plus, et quod scutifferi defferebant arma.

Item dixit quod cum domina B[eatrix] exisset, extra in barrium, ad loquendum cum comite, ipse comes mandavit militibus quod custodirent [illam].

De foramine barbacane, dixit idem quod R. Deodati.

Item dixit quod vidit homines armatos, venientes ex parte domini Guidonis pro custodia ; et intraverunt capud castri ante adventum comitis.

Item dixit quod, alia vice, venerunt homines armati ad portam barrii, ex parte domini G[uidonis], ut dicebant ; et [quod] homines castri prohibuerunt eos ingredi.

Item dixit quod G. de Orllaco tenuit dictum castrum pro comite, et G. Jo. pro G. de Orllaco.

Item dixit quod G. Jo. tenebat dictum castrum tunc temporis, quando Poncius Buada intravit ipsum castrum pro domino episcopo.

P. Andreas de Baladuco, testis juratus, dixit se vidisse quod G. de Vicenobrio venit ad portale barrii ; et domina B[eatrix] attulit claves barrii, et tradidit eas R. Sabbaterio et R. Deodato, et jussit aperiri portam barrii G. de Vicenobrio. Quo portale aperto, intravit ipse G. de Vicenobrio, et fuit locutus cum domina B[eatrice] : et dixit quod comes mandabat ei, ut redderet ei castrum ; et domina B[eatrix] dixit quod non habebat potestatem reddendi. Et tunc dictus G. de Vicenobrio dixit : *comes veniet :* et domina B[eatrix] dixit : *veniat comes, et ego conveniam cum ipso ad voluntatem suam*. Et tunc G. de Vicenobrio dixit G. Sabbaterii : *vade pro comite*. Et quod iterum dictus G. de Vicenobrio dixit, quod redderet ei dictum castrum, et quod extraheret omnes res suas. Et post hoc venit

comes major, et dixit domine Beatrici (1) quod redderet ei capud castri, et levaret ibi unum prensomentum; et domina dixit quod non poterat. Et quod, cum domina B[eatrix] exiisset extra barrium ad loquendum cum comite, jussit eam bene custodiri a militibus.

De tempore, dixit idem quod P. Dalmacius.

Item requisitus pro adversa parte, dixit quod vidit dictum Guidonem tenentem dictum castrum per V annos.

Item dixit quod G. de Orllaco tenuit dictum castrum pro comite, et G. J. pro G. de Orllaco.

P. de Mammona de Baladuco, testis juratus, dixit idem quod P. Dalmacius, de sacramento prestito hinc inde; et quod remaneret cum eis, et quod non intromitteret homines extraneos in capud castri sine consilio eorum.

Et idem dixit de IIII^or hominibus institutis ad custodiam castri.

Post hoc, homines extranei armati intraverunt capud castri, sed non vidit eos intrare; tamen vidit eos armatos in capite castri, et exinde recesserunt homines de Baladuco instituti pro custodia.

Item dixit se vidisse quod dominus G[uido] exivit de castro, cum magistro G. de Avinione et cum P. Saisseti.

Item dixit idem per omnia, quod P. Andreas usque ad paragraffum illud quod incipit (*sic*).

Item requisitus de prohibitione ingressus hominum armatorum, qui venerant de nocte, dixit idem quod B. Ma (*blanc de 1 cent.*); et adjecit tamen quia dictum erat quod dominus Guido volebat munire capud castri et eos barrigiare.

Item dixit quod, in sequenti die in mane, domina Beatrix ita convenit cum comite, quod intromisit ipsum in capud castri, et quod jussit eidem capud castri aperiri, et quod ipsa B[eatrix] extraxit omnes res suas.

De tempore, dixit [idem] quod P. Dalmacii.

Item dixit quod dominus Guido, [dum] exiret castrum,

(1) Cart.: *Beatrice*.

dixit hominibus de Baladuco ut se haberent sicud probi homines, quia ipse rediret infra breve tempus.

Item requisitus pro adversa parte, dixit quod vidit armari milites comitis, et clamare : *expugnemus capud castri* ; et quod quidam archerius ascendit super cloclerium ecclesie, et attulit ibi quamdam postem, et projecit a III *carrels* usque ad IIII^or ad capud.

Item dixit se vidisse quod duo milites armati ducebant dominam B[eatricem] usque ad pontem barbacane, et dicebant quod ponerent eam ad ictum eorum qui erant in capite castri.

Item dixit quod, ante adventum dicti comitis, dominus Guido tenuit dictum castrum per V annos, et quod, tempore adventus dicti comitis, tenebat.

Item dixit quod homines de Baladuco steterunt excommunicati tanto tempore, quanto comes tenuit dictum castrum.

Item dixit quod G. de Orllaco tenebat dictum castrum pro comite, et G. Jo. pro dicto G. de Orllaco.

Item dixit quod, in ipso festo Penthecosten quod fuit in hoc proxime preterito Penthecosten fuit annus, G. Jo. tenuit dictum castrum ; et, eodem die, vidit signum domini episcopi Magalonensis in capite dicti castri.

P. Carabassa de Baladuco, testis juratus, dixit idem quod P. Dalmacius, de sacramento hinc inde prestito, et quod non recederet ab eis, et de intromittendis hominibus extraneis in capite castri sine consilio eorum, et idem dixit de IIII^or hominibus institutis ad custodiam castri.

Item dixit quod postmodum, infra paucum tempus, vidit in capite castri homines extraneos armatos ab VIII usque ad VIIII (1) ; et exinde recesserunt homines de Baladuco instituti pro custodia castri ; et post, infra paucos dies, dominus Guido dereliquit eos, et exivit cum magistro G. de Avinione et P. Saisseti, retenta in capite castri familia sua.

---

(1) Cart.: *VIIIII*.

Interrogatus qualiter dereliquit, dixit quod vidit ipsum exeuntem, et postea non rediit.

Et idem dixit quod P. de Mammona, de prohibitione quorumdam hominum de nocte cum armis, et de redditione castri.

Item dixit quod comes venit ad castrum de Baladuco, et dixit domine Beatrici, quod redderet ei capud castri; et ipsa dixit quod non poterat; et cum exisset extra barrium ad loquendum cum comite, comes jussit eam bene custodiri.

Item dixit quod domina B[eatrix] fecit aperire portam capitis castri, et comes et sui intraverunt capud castri, et levaverunt ibi vexillum suum, et ipsa B[eatrix] extraxit inde omnes res suas.

De tempore, dixit idem quod P. Dalmacius.

Item dixit quod comes venit ad dictum castrum bene cum XXX sociis.

Item dixit quod, post adventum domini comitis, homines de Baladuco steterunt excommunicati per IIII^or annos.

Item dixit quod, in adventu domini comitis, et ante, dictus comes tenuit dictum castrum per VI annos.

Item dixit quod G. de Orllaco tenebat castrum de Baladuco pro comite, et G. Jo. pro G. de Orllaco.

Item dixit quod, in festo Penthecosten quod fuit annus, G. Jo. tenebat dictum castrum.

B. Gutfredi de Baladuco, testis juratus, dixit idem quod P. Dalmacius de sacramento hinc inde prestito, et quod non recederet ab eis, et de intromittendis hominibus extraneis in capite castri, et de IIII^or hominibus institutis pro custodia castri.

Item dixit quod vidit homines extraneos armatos in capite castri, et quod vidit eos venientes.

Item dixit quod dominus Guido postmodum exivit de dicto castro.

De prohibicione ingressus hominum venientium de nocte cum armis, dixit idem [quod] P. de Maismona et eandem causam reddidit.

De tempore, dixit idem quod P. Dalmacius, et adjecit quod, ante prestitum sacramentum, ipse testis et alii de Baladuco juraverunt fidelitatem domino G[uidoni].

Item dixit se vidisse quod dominus Guido tenuerit dictum castrum per XII annos, et dixit quod homines de Baladuco steterunt excommunicati, quamdiu comes tenuit dictum castrum.

Item dixit quod G. de Orllaco tenuit dictum castrum pro comite, et G. Jo. pro G. de Orllaco.

Item dixit quod vidit, in festo Penthecosten quod fuit in hoc proxime preterito Penthecosten fuit annus, signum domini Magalonensis episcopi in capite castri.

Durantus Rotberti de Baladuco, testis juratus, dixit idem quod P. Dalmacius, de sacramento hinc inde prestito, et quod non recederet ab eis, et quod non intromitteret homines extraneos, et de IIIIor hominibus institutis ad custodiam castri.

Item dixit quod, postmodum infra III dies, vidit in capite castri extraneos homines armatos ab VIII usque ad VIIII, et quod exinde homines instituti descenderunt de capite castri.

Item dixit se vidisse quod domina B[eatrix] venit, cum militibus comitis majoris, ad portam barbacane capitis castri, et fecit aperiri, et quod milites intraverunt, et reddiderunt res suas domine B[eatrici].

De tempore, dixit idem quod P. Dalmacius, et adjecit quod ipse testis et alii de Baladuco juraverunt fidelitatem domino G[uidoni] ante dictum prestitum sacramentum.

Item requisitus pro adversa parte, dixit quod, in adventu dicti comitis, et ante, tenuit dictus Guido dictum castrum per XII annos ; et dixit quod comes venit ad dictum castrum cum L sociis et plus ; et quidam defferebant arma.

Item dixit quod G. de Orllaco tenuit castrum pro comite, et G. Jo. pro G. de Orllaco.

Item dixit se vidisse quod, in festo Penthecosten in mane quod fuit proxime preterito Penthecosten fuit annus, G. Jo. tenebat dictum castrum.

Paulus de Baladuco, testis juratus, dixit quod ipse vidit quamdam barcham venientem cum hominibus armatis: et quod postea vidit ipsos homines armat[os in] capite: et quod ipse stetit, una die ante, in custodia castri de Baladuco pro domino Guidone et pro hominibus de Baladuco; et postea vidit G. de Vicenobrio loquentum cum domina B[eatrice], uxore domini Guidonis, ad portam barbacane capitis castri. Et interim comes major intravit per portam barrii: et, cum vidisset dominam B[eatricem], peciit ab ea sibi reddi caput castri dicti; et ipsa dixit quod non poterat.

Item dixit se vidisse, quod Bt. de Monasterio peciit a comite qua ratione Guido tenuerat dictum castrum; et comes respondit: quod ipse miserat dictum G[uidonem] ad Romam, et cum crederet immittere (1) pro utilitate sua, misit pro dampno suo: et quod dictus Guido susceperat mutuo illuc V milia solidorum: et pro illis tradiderat dicto Guidoni predictum castrum; et quod ipse Guido tenuerat dictum castrum per XIII annos. Et vidit quod, cum domina B[eatrix] exiisset extra portam barrii ad loquendum cum comite, ipse comes jussit eam custodiri.

De tempore, dixit idem quod P. Dalmacius.

Item dixit quod, in adventu dicti comitis, tenebat Guido dictum castrum, et tenuerat ante per XIII annos.

Item requisitus dixit quod ipse testis et alii de Baladuco antea juraverant fidelitatem domino Guidoni.

Item dixit quod comes venit ad dictum castrum cum L sociis, et quidam erant armati.

Item dixit se vidisse quod G. de Orllaco tenebat dictum castrum pro comite, et G. J. pro G. de Orllaco.

Item dixit quod homines de Baladuco steterunt excommunicati per III annos.

Nomina testium: P. de Podio Abone, Deodatus Burgada canonicus, Jacobus de Cocullo (2). Hos testes produxit episcopus

(1) Cart.: *immitteret*.

(2) Cart.: *Caciano*. Ce personnage ne peut être que Jacques de Coculles, qui dépose ci-après.

ad reprobandos testes domini Guidonis, scilicet G. Jo., de Rodas, et G. Vincencii, de furto, et injuriis, de adulteriis, de excommunicatione multiplici, de infamia aborsus. Prior de Montebaseno, P. Beth. sacerdos, S. de Sancto Juliano sacerdos, J. de Guiza clericus, G. de Gordone, Guillelma Grossa.

G. de Gordone, testis juratus, dixit quod P. de Rodas et G. Vincencii fecerunt quoddam furtum in castro de Montebaseno, subripiendo res de domo de *na* Grossa et filiarum suarum, et detulerunt res furtivas in capite castri de Baladuco. Et cum P. de Rodas extraheret res predictas de capite castri, ipse testis cepit dictum P.; et tunc idem P. fuit ei confessus, quod ipse P. de Rodas et S. Vincencii subripuerunt res illas. Interrogatus de causa sciente, dixit quia P. de Rodas fuit ei confessus, et quia audivit dici a R. Capolaire, quod predicti adzemparaverunt eum ad dictum furtum perpetrandum, et ipse R. noluit ire ; sed cum furto perpetrato, ut ipse dicebat, commendaverunt ei res furtivas.

De tempore confessionis facte, dixit quod est annus transactus et plus.

Guillelma Grossa, testis jurata, dixit quod res fuerunt subrepte de domo sua, et, ut dicebatur, P. de Rodas, et G. Vincencii, et Ranat fecerunt illud, ut dicebatur. Predicti confitebantur predicta coram gentibus ; sed dicebatur quod per malvolensa fecerant.

Jacobus de Cocullo, prior de Montebasenco, testis juratus, dixit se vidisse quod S. de Sancto Juliano, tunc temporis capellanus ecclesie de Montebasenco, excommunicavit G. Johannem, eo quod nolebat prestare decimam molendini, et apensa fuit carta excommunicacionis ejusdem supra (1) portam ecclesie ; et quod postea, petita reconsiliacione, ante ipsam impertratam, satisfecit in predicta decima, et juravit stare mandatis Ecclesie. Et predictus capellanus dedit in mandatis

(1) Cart.: *ejusdem et supra.*

dicto G J. (1), quod de cetero non resisteret in danda decima dicti molendini, vel alia; et postmodum, obtenta reconsiliacione, vidit quod ipse G. Jo. noluit prestare decimam molendini; et propter hoc vidit ipsum excommunicari a sacerdote dicte ecclesie.

De tempore prime excommunicacionis, dixit quod sunt VI annis et plus; et de tempore secunde excommunicacionis, fuerunt II anni in carniprivio proxime preterito; et quod ipse testis mandavit fieri ambas excommunicaciones.

Item dixit famam fuisse et esse quod G. Jo. jacebat cum uxore de Lescura.

Item dixit famam fuisse et esse in dicto castro, quod dictus G. Jo. jacebat cum uxore G. Bidocii de Montebazenco, qui ejus erat consanguineus in secundo gradu.

Item dixit famam esse in dicto castro, quod G. Jo. faciebat colligi herbas ab uxore G. Bidocii, ut ipsa faceret aborsum; sed dicebat G. Jo. quod illas herbas faciebat colligi ad opus aque sue quia paciebatur malum in camba.

Item dixit se vidisse quod G. Jo. juravit pacem, et erat paciarius castri de Montebazenco; et postremum vidit ipsum G. Jo. morantem in castro de Baladuco, et in servicio comitis, quando ipse testis excommunicaverat cum servitoribus suis omnibus; et quod ipse testis excommunicavit homines de Baladuco pro violencia comitis.

Item pro furto quodam perpetrato apud Montembazencum, mulier Grossa, que dicebat sibi factum, conquesta fuit ipsi testi qui erat prior; et ipse fecit excommunicari illos qui fecerant furtum, et dixit famam esse in toto castro de Montebazenco, quod P. de Rodas et G. Vincencii fecerant furtum illud.

Item dixit se vidisse quod B. de Podio Abone, bajulus castri de Montebazenco, ivit ad castrum de Baladuco, et peciit a G. Jo., bajulo de Baladuco, reddi S. Vincencii propter furtum predictum, quod dicebatur ab eo factum.

(1) Cart.: *G. P.*

Deodatus de Burgada, canonicus Magalonensis, testis juratus, dixit idem quod Jacobus de Cocullo (1) de prima excommunicacione; de secunda audivit dici quod fama erat. Et dixit idem de juramento pacis facto a G. Jo. et quod paciarius fuit, et quod postea, sumpto sacramento, stetit in castro de Baladuco in valencia comitis, qui comes cum fautoribus suis et dictum castrum de Baladuco erant excommunicati.

Item dixit se vidisse quod S. Vincencii juravit pacem in castro de Montebazenco, et solvit compensum; et quod, sumpto dicto sacramento, ipse (2), secundum quod dicebatur ab hominibus dicti castri, stetit apud Baladucum in valencia comitis, qui erat excommunicatus cum fautoribus suis.

Item dixit se audisse, et famam esse in castro de Montebazenco, quod G. Vincencii et P. de Rodas subripuerant res de domo Grosse; et detulerunt apud Baladucum in posse G. Jo., bajuli tunc dicti castri.

Item dixit famam esse in dicto castro, quod S. Vincencii dedit certam peccunie quantitatem, ut permitteret dictum S. redire in castro de Montebazenco, de quo erat faiditus (3) propter dictum furtum, quod ab eo factum dicebatur, et a P. de Rodas; et quod ipse S. Vincencius, ut dicebatur, reddidit res furtivas.

Item dixit quod, dum ipse testis staret in castro de Montebazenco, audivit G. de Scura, conquerentem de G. Jo., et dicentem quia jacebat cum uxore sua; pro cetero dixit quod dictus Jo. tunc habebat uxorem.

Item dixit se vidisse quod uxor G. Jo. et socrus suus venerunt ad ecclesiam, et conquerebantur de G. Jo., dicentes quod ipse expellebat uxorem propriam de domo, et intromittebat uxorem G. de Scura, et cum ea comedebat de die ac nocte.

Item dixit famam fuisse diu in castro de Montebazenco, et adhuc esse, quod dictus G. Jo. jacuit multo tempore cum

---

(1) Cart.: *bajulus de Caciano*. Ce témoin n'existe pas : ce doit être le même que Jacques de Cogulles.

(2) Cart.: *sacramento ipso sed secundum*.

(3) Cart.: *sindicus*.

uxore G. de Scura, et cum uxore P. Christofori, et cum uxore S. de Rodares, filii consanguinee germane ipsius G. Jo., et cum quadam vidua, que fuit uxor G. Bidocii, qui erat filius consanguinei sui germani.

Item dixit famam esse et se audisse quod dictus G. Jo. ivit ad Beatam Mariam de Podio (1) cum uxore dicta quondam G. Bidocii : et, ut audivit dici a sociis eorum, quod nudus cum nuda jacebat, et seorsum longe ab aliis.

Item dixit se audisse, et famam esse in castro de Montebazenco, et in castris vicinis, quod dictus G. tanto tempore jacuit cum uxore G. Bidocii, quod bis impregnavit eam, et quod faciebat ei colligi herbas quasdam, que vocantur *marcevols*, et reponi in ventre mulieris ; propter quod bis fecit aborsum, ut dicebatur.

Item dixit se audisse, et famam esse in dicto castro, quod domina Vassadella tenuit dictam uxorem G. Bidocii captam propter dictam infamiam ; et ostendit illam probis mulieribus, que dixerunt ei quod vere fuit pregnans et fecit aborsum.

Item dixit se vidisse piscatores Magalonenses, narrantes de G. Jo. esse quod armatus abstulit eis pisces.

Item dixit se audisse, et famam esse per clericos de Montebazenco, quod illi qui fecerunt dictum furtum, fuerunt excommunicati pro eodem furto.

Post hec, idem testis, cum ipse et partes recessissent a presencia judicis causa comedendi, rediit ante comestionem suam incontinenti, dicens, in virtute prefati juramenti (2), quod ipse non fuerat locutus cum parte vel aliquibus de parte ; et adjecit testimonio suo, post comestionem judicis et sui ipsius et parcium, se vidisse quod dictus G. Jo., tunc temporis bajulus castri de Montebazenco, traxit R. Rocha, subdiaconum ecclesie de Montebazenco, de domo ipsius ecclesie et violenter, frangendo portam ipsius domus cum securi, et duxit eum in turri de Montebazenco.

---

(1) Le Puy en Velay.
(2) Cart.: *juramento*.

De tempore quo traxit clericum, dixit quod sunt VI anni transacti et plus.

Interrogatus qualiter dictus Jo. traxit dictum clericum, respondit quia, ut audivit et dicebatur, dictus clericus fuit inventus cum uxore G. Martini ; sed dubitatur quod defraudulenter amici mulieris miserant pro dicto clerico.

P. de Podio Abone, testis juratus, dixit se vidisse quod, tempore quo dominus rex Francie erat circa Avinionem cum exercitu suo, G. Jo. de Montebazenco accessit ad magistrum Bt., de ordine Predicatorum, qui erat primarius domini cardinalis ; et peciit reconciliari, quia stabat in castro de Baladuco in valencia comitis, quod castrum et homines erant excommunicati, et, ut ipse testis audivit a sacerdotibus qui faciebant excommunicacionem in ecclesiis, pro querela domini Guidonis ; et antequam dictus Jo. absolveretur, G. Jo. juravit stare mandatis Ecclesie ; et dictus magister Bt. dedit G. Jo. in mandatis, quod tanto tempore sequeretur crozadam ad servicium, de quanto tempore fecerat in Baladuco : et sic obtinuit absolutionem.

Item dedit ei in mandatis ut veniret coram domino Magalonensi [episcopo], et acciperet penitenciam ab ipso ; neque vidit dictum G. Jo. sequentem crozadam, sicud preceptum fuit ei ; ymo vidit dictum G. Jo. in dicto castro per VIII dies, et quandocumque per plures ab eo tempore erit.

Item dixit se audisse per famam idem quod proximus, de traxione et duccione clerici.

Item dixit se vidisse quod G. de Lescura venit ad Bt. de Montelauro, procuratorem domine Vassadelle, et conquestus fuit de G. Jo., quia invenerat eum super ventrem uxoris sue G. de Lescura ; et pro cetero dixit quod G. Jo. habebat uxorem.

Item dixit se audisse excommunicari multociens, in ecclesia de Montebazenco, G. Jo., quia aufferebat decimam molendini.

Item dixit se audisse, et famam esse, quod G. Jo. fuit absolutus de dicta excommunicacione, prestito sacramento quod staret mandatis Ecclesie ; et fuit ei dictum in mandatis, secundum quod audivit per famam, quod de cetero non

aufferret decimam. Postmodum audivit dictum (1) G. Jo. excommunicari in dicta ecclesia, quia aufferebat decimam; et audivit per famam quod ipse G. Jo. reconciliatus fuit.

Et idem dixit per omnia quod Deodatus de Burgada, super eo quod dictus G. Jo. ivit cum uxore G. Bidocii ad Beatam Mariam de Podio.

Item dixit se audisse per famam quod, post mortem G. Bidocii qui erat filius consanguinei germani ipsius G. Jo., uxor ipsius Bidocii condam dereliquit soc[rum] suum, et comedebat et jacebat in domo G. Jo.; et dixit famam esse quod G. Jo. impregnavit eam, et faciebat colligi herbas que vocantur *marcevols*, et poni super ventrem dicte mulieris ut faceret aborsum.

Item dixit famam esse in dicto castro, quod G. Jo. jacebat cum uxore S. de Rodares, qui erat filius consanguinee germane ipsius G. Jo.

Item dixit quod, furto quodam perpetrato in castro de Monbazenco, ipse audivit per famam quod S. Vincencii fuit confessus domine Vassadelle se fecisse illud furtum; et vidit quod dictus S. Vincencii exivit castrum de Montebazenco, quia diffamatus erat de illo furto, et vidit quosdam rogantes dominam Vassadellam pro S. Vincencio, ut posset redire in dictum castrum; et audivit quod S. Vincencii dederat certam peccunie quantitatem domine Vassadelle, ut posset redire in dictum castrum.

Item audivit per famam quod res, que dicebantur subrepte, fuerunt invente penes P. de Rodas.

P. Bartholomeus sacerdos, testis juratus, dixit se audisse dici, cum primo venisset ad ecclesiam de Montebazenco pro capellano, quod G. Jo. fuerat excommunicatus, quia decimam mollendini aufferebat; et reconsiliatus fuit, prestito sacramento quod de cetero non aufferret decimam. Post hec idem testis, tunc capellanus dicte ecclesie de Montebazenco, excommunicavit dictum G. Jo., quia aufferebat decimam. Iterum

(1) Cart.: *dictus*.

ipse reconciliavit eum a dicta excommunicacione, satisfacto prius ab eo in decima, et prestito juramento quod de cetero non aufferret decimam. Audivit tamen dici a clericis dicte ecclesie quod prius juraverat et dejuraverat; et hoc eciam audivit a sacerdote S. de Sancto Juliano, qui eum excommunicaverat.

Item dixit quod, cum ipse staret in dicto castro, G. Jo. erat infamatus, quia jaceret cum uxore G. Bidocii, qui erat filius consanguinei sui germani.

Item dixit famam esse, cum ipse staret in castro de Montebazenco, quod, anno preterito quo tempore testis venit ad castrum de Montebazenco, G. Jo. impregnaverat (1) uxorem quondam G. Bidocii, et in domo sua propria idem G. Jo. (2) fecit colligi herbas, et cum illis saissare ventrem mulieris ut faceret aborsum.

Item dixit famam esse, eo tempore quo ipse testis morabatur in dicto castro, quod dictus G. Jo., qui tunc habebat uxorem et adhuc habet, jacuerat et habuerat rem cum duabus feminabus conjugatis, scilicet cum uxore G. de Scura et cum uxore S. de Rodares.

Item dixit quod, ipso existente capellano ecclesie de Montebazenco, cum mulier, Grossa nomine, conquesta fuerit sibi super quodam furto, quod dicebat sibi fuisse factum, ipse excommunicavit fures et consencientes.

Item dixit se audisse dici quod res, que dicebantur subrepte, erant in castro de Baladuco in posse G. Jo.; et S. Vincencii, qui morabatur cum dicto G. Jo., furatus fuerat res illas, ut dicebatur, cum quibusdam aliis.

Item dixit se vidisse quod S. Vincencii stetit faiditus de castro de Montebazenco propter illud furtum, quod dicebatur ab eo commissum; postmodum ipse testis, ad preces amicorum ipsius S. Vincencii, et amici ejus rogaverunt dominam Vassadellam ut permitteret dictum S. redire ad dictum castrum, et quod parceret ei, quia de cetero non faceret hujus-

---

(1) Cart.: *interrogaverat.*

(2) Cart. porte en note : *et famam esse quod G. Jo. fuit absolutus.*

modi offensam. Et audivit dici quod dictus S. Vincencii dederat domine Vassadelle certam peccunie quantitatem pro redditu suo.

Interrogatus de tempore quo ipse venit ad Montembazencum, dixit quod fuerunt II anni in synodo proxime preterita post festum sancti Michaelis.

Item dixit quod ipse excommunicavit sepius homines de Baladuco, quia aufferebant castrum de Baladuco domino Guidoni.

S. de Sancto Juliano sacerdos, testis juratus, dixit se vidisse et audisse, cum esset capellanus ecclesie de Montebazenco, quod G. Jo. nolebat solvere decimam mollendini; et, cum ipse testis admonuisset dictum G. Jo. de solvenda decima, ipse testis excommunicavit dictum G. Jo. de Montebazenco; postmodum absolvit eum, soluta prius ab eo decima, et prestito juramento quod staret mandatis Ecclesie. Et ipse testis dedit ei in mandatis quod de cetero non aufferret decimam neque alia jura Ecclesie. Post hoc audivit dici, et fama est in dicto castro, quod dictus G. Jo. fuit iterum excommunicatus, quia aufferebat decimam dicti molendini; et dixit se audisse quod dictus G. Jo. fuit absolutus de secunda excommunicatione.

Testis instituit dictum G. Jo. paciarium castri de Montebazenco, et ipse juravit secundum quod alii juraverunt paciarii.

Item dixit se audisse dici, et fama est in castro de Montebazenco, quod dictus G. Jo. stetit postea in castro de Baladuco in valencia comitis.

Item dixit se audisse dici, et fama est in ipso castro, quod ipse G. Jo., habens uxorem, jacet et habet rem cum feminabus conjugatis, scilicet cum uxore G. de Scura, et cum uxore S. de Rodares, et cum Guillelma Grossa, et cum quadam vidua, uxore condam G. Bidocii, qui fuit filius consanguinei sui germani.

Requisitus pro adversa parte, dixit se vidisse et audisse excommunicari per ecclesias homines de Baladuco et comitem.

pro injuria quam faciebant de castro de Baladuco domino Guidoni.

Item requisitus, dixit quod sepius vidit in ecclesia G. Jo., et ipse intrat ecclesiam sicud ceteri parrochiani.

Johannes de Guoza clericus, testis juratus, dixit se vidisse quod G. Jo. extraxit violenter R. Rocha subdiaconum de claustro ecclesie de Montebazenco, et quod misit eum in turrim de Montebazenco.

Item dixit se audisse dici, et famam esse in castro de Montebazenco quod G. Jo. fuerat excommunicatus, quia aufferebat decimam mollendini.

Item dixit se vidisse quod alia vice fuit excommunicatus, quia aufferebat decimam, et post vidit eum reconciliari.

Item dixit se audisse dici, et famam esse in castro de Montebazenco, quod G. Jo. jacebat cum uxore G. de Seura, et cum uxore S. de Rodares, et cum uxore condam G. Bidocii, qui erat consanguineus suus.

Item audivit dici, et fama erat in dicto castro, quod S. Vincencii subripuit res Grosse mulieris : et quod S. Vincencii fuit faiditus de dicto castro propter furtum, quod dicebatur ab eo commissum.

Item dixit quod ipse audivit excommunicari, per ecclesias, illos qui subripuerant res dicte Grosse.

Interrogatus de tempore, dixit quod II anni sunt transacti et plus.

Requisitus, dixit quod ipse vidit dictum G. Jo. intrare ecclesiam, sicud ceteros parrochianos.

Item dominus episcopus produxit hos testes infrascriptos super capitulis premissis, excepta reprobatione testium adverse partis, scilicet Bartholomeum Hat, B. Deodati, J. Bonastre, P. Gauterii, Durantus Pastor.

Bartholomeus Hat de Baladuco, testis juratus, dixit idem

quod P. Dalmacius, usque ad paragraffum quod incipit : *item vidit* (1) *quod G. de Vicenobrio.*

Item dixit se vidisse G. de Vicenobrio, ante portam ecclesie cum domina B[eatrice] loquentem: et quod ipse G. de Vicenobrio peciit a dicta B[eatrice] capud castri pro comite, et ipsa B[eatrix] respondit quod non poterat. G. de Vicenobrio dixit quod comes veniret: et venit comes et invenit portas barrii apertas, et peciit capud castri a domina B[eatrice]: et ipsa respondit quod non poterat reddere.

Requisitus pro adversa parte, dixit quod dominus Guido tenebat dictum castrum in adventu dicti comitis, et ante tenuerat per VIII annos vel VIIII.

Item requisitus, dixit quod dictus comes venit ad dictum castrum cum XXX sociis et plus; et erant quidam armati.

Item dixit quod ipse vidit et audivit, quod comes dixit G. de Vicenobrio et Bt. de Monasterio, quod custodirent eam dominam B[eatricem].

Item requisitus, dixit quod homines de Baladuco steterunt excommunicati per II annos.

Item vidit quod G. de Orllaco tenebat dictum castrum pro comite et [G. Jo. pro ipso] G. de Orllaco.

B. Deodati de Baladuco, testis juratus, dixit idem quod P. Dalmacius, usque ad paragraffum quod incipit : *item vidit quod G. de Vicenobrio.*

Item dixit quod vidit G. de Vicenobrio, loquentem cum domina Beatrice ante portam barbacane capitis castri, et comitem venientem usque ad portam ecclesie, et peciit a dicta B[eatrice] sibi reddi caput castri; et ipsa dixit quod ipsa non poterat reddere.

De tempore, dixit idem quod P. Dalmacius.

Item dixit [quod] in adventu dicti comitis, dominus Guido tenebat dictum castrum, et antea tenuerat per XII annos.

Item vidit quod G. de Orllaco tenebat [castrum] de Baladuco pro comite, et G. Jo. pro ipso G. de Orllaco.

---

(1) Cart.: *intercludit.*

Item vidit quod, in festo Penthecosten quod fuit in hoc proxime preterito Penthecosten fuit annus, G. Jo. tenebat dictum castrum: et quod, ea die, episcopus Magalonensis reservavit dictum castrum: et quod vidit in capite castri vexillum domini episcopi.

J. Bonastre de Baladuco, testis juratus, dixit idem quod P. Dalmacius, usque ad paragraffum quod incipit: *item vidit quod G. de Vicenobrio.*

Item dixit quod G. de Vicenobrio venit ad portale barrii dicti castri: et domina B[eatrix] fecit ei aperiri portale, et intravit, et peciit sibi reddi dictum castrum pro comite; et ipsa dixit quod non poterat. Tandem comes venit, et hoc idem peciit a domina B[eatrice], et ipsa respondit eodem modo.

Item vidit quod, in adventu dicti comitis, dominus G[uido] tenebat dictum castrum, et antea tenuerat per XIII annos.

Item dixit quod homines de Baladuco steterunt excommunicati, quamdiu comes tenuit dictum castrum.

Item vidit quod G. de Orllaco tenebat dictum castrum pro comite, et G. Jo. pro G. de Orllaco.

Item vidit quod, in festo Penthecosten quod fuit in hoc proxime preterito Penthecosten fuit annus, G. Jo. tenebat dictum castrum; et, ea die, vidit vexillum domini episcopi in capite castri.

P. Gauterii de Baladuco, testis juratus, dixit idem quod P. Dalmacius, usque ad paragraffum quod incipit: *item vidit quod G. de Vicenobrio*, excepto quod dicit: non vidit dominum G[uidonem] in caput castri, quia vidit ipsum exiisse de castro antea, quando vidit homines armatos in capite castri; et vidit comitem intrantem per portam barrii cum LX sociis, et erant armati.

Item vidit quod, in adventu dicti comitis, dominus tenebat dictum castrum pro comite, et G. Jo. pro G. de Orllaco.

Durantus Pastor de Baladuco, testis juratus, dixit idem

quod P. Dalmacii, usque ad paragraffum quod incipit : *item vidit quod G. de Vicenobrio*.

Item dixit quod G. de Vicenobrio venit in portale barrii dicti castri ; et, secundum quod audivit, domina B[eatrix] jussit ei aperiri ; et, cum G. de Vicenobrio intrasset, peciit a domina sibi reddi castrum ; et ipsa dixit quod non faceret.

Item dixit quod comes intravit in barrium dicti castri, et peciit ab ea sibi reddi castrum ; et ipsa dixit quod non poterat ; et vidit dominam exire extra barrium ad loquendum cum comite.

Item dixit quod comes jussit dominam B[eatricem] custodiri.

De tempore, idem dixit quod P. Dalmacius.

Item dixit pro certo quod, in adventu dicti comitis, dominus Guido tenebat dictum castrum, et tenuerat antea per VI annos.

Item dixit quod G. de Orllaco tenuit dictum castrum pro comite, et G. Jo. pro G. de Orllaco.

Tercio nonas septembris, dominus episcopus produxit testes infrascriptos, scilicet R. Sabbaterii juvenem, super ingressu comitis, et recuperatione capitis castri, et super omnibus predictis capitulis, excepta reprobatione testium et super alio, scilicet quod Poncius Buado, cum intravit capud castri de Baladuco, invenit dictum castrum vacuum et derelictum.

Et super capitulo ultimo produxit Poncium Buada, et capellanum de Baladuco, scilicet Poncium Faber, super eodem, et super reprobacione testium de Porciano ; et G. Campanas, super eo quod, cum Poncius Buada intravit capud castri, invenit illud vacuum et derelictum, et quod G. de Orllaco mandavit G. Jo., ut desereret dictum castrum.

Item dominus episcopus produxit quoddam instrumentum, scriptum per manum B. Boteti notarii, quod incipit : *post diem*, et finitur ante testes : *Facta*, ad ponendum et probandum quod testes de Porciano, producti a domino Guidone, sint perjuri.

Poncius Buada, testis juratus, dixit quod, cum ipse exiisset de Gigiano, audivit dici a quibusdam transeuntibus per stratam, quod rex Francie venerat ante Avinionem, et comes derelinquebat terram et fugiebat : et audivit dici quod G. de Orllaco mandavit G. Jo. quod recederet a castro de Baladuco, et derelinqueret illud. Et tunc ipse testis, cum quibusdam aliis, venit ad dictum castrum de Baladuco, et invenit portam capitis apertam, et intravit ; et invenit castrum vacuum et derelictum, et fecit ibi levari vexillum episcopi.

De tempore, dixit quod fuit annus in festo Penthecosten proxime preterito.

Requisitus, dixit quod, cum ipse testis intravit capud castri de Baladuco, vidit (*blanc de 3 cent.*) G. Jo., et quemdam, qui dicebatur Capolaire, cum duobus sociis.

Item requisitus, dixit quod G. Jo. steterat bajulus pro G. de Orllaco in dicto castro ; sed, cum ipse intravit, fuit demandatus, ut audivit dici.

Poncius Faber, capellanus de Baladuco, testis juratus, dixit se vidisse et audisse quod Campanhetas venit ad castrum de Baladuco, et dixit G. Jo., qui erat bajulus pro G. de Orllaco in castro de Baladuco, quod G. de Orllaco mandaverat quod derelinqueret dictum castrum, et recederet ab eo, quia plus non poterat tenere castrum, quia comes fugiebat, ut dicebatur. Post hec vidit Poncium Buada venire ad castrum de Baladuco, et invenit portam capitis castri apertam ; et vidit ibi vexillum episcopi, et clamari signum domini episcopi. Et vidit Poncium Buada intrantem caput castri.

De tempore, idem quod P. Buada.

Requisitus, dixit quod dictus G. Jo. erat infra caput castri, cum Poncius Buada intravit.

Item dixit se vidisse homines de Porciano in domo episcopi de Montepessulano, dicentes domino episcopo quod satisfecerant R. comiti in summam peccunie, quam ei juraverant ad certam (1) diem, pro qua fuerant excommunicati, eo quod

(1) Cart.: *cartam.*

non solverant, petentes reconsiliaciones; de qua sententia ipse testis, mandato domini episcopi, reconsiliavit eos in castro de Porciano.

De tempore reconsiliationis, dixit quod fuit die mercurii post festum apostolorum Petri et Pauli proxime preteritum.

Interrogatus de nominibus personarum, dixit quod ibi erant R. Molinerius, R. Sabbaterius, S. de Ortolis, G. Avinionis, Deodatus Stephani, R. Blancus, et plures alii, qui debitum asserebant se jurasse pro (1) universitate castri de Porciano.

Requisitus, dixit se vidisse litteras Guillelmi B., canonici Agathensis, in quibus continebatur quod ipse testis, et prior, et dyaconus perhiberent testimonium veritatis, cum essent requisiti, super causa que vertitur inter dominum episcopum et Guidonem de Capite Porco.

Raymundus Sabbaterius juvenis de Baladuco, testis juratus, dixit se vidisse quod homines de Baladuco juraverant domino Guidoni fidelitatem; et ipse eis juravit quod non recederet ab eis, neque induceret homines extraneos armatos in capite castri. Post hoc, vidit ab VIII usque ad VIIII homines extraneos armatos in capite castri; et quod audivit dici quod dictus Guido recesserat a dicto castro sine consilio hominum. Post hoc, idem testis vidit G. de Vicenobrio, venientem ad portale barrii de Baladuco, quod erat clausum: et dixit ipsi testi quod iret ad dominam B[eatricem], et quod veniret locutum cum ea (2). Quod cum ipse testis significaret domine B[eatrici], ipsa accepit claves portalis barrii et tradidit eas ipsi testi, jubens aperiri portale dicto G. de Vicenobrio. Qui cum intrasset, peciit a domina B[eatrice] sibi reddi capud castri pro comite; et respondens dixit quod non poterat, sed veniret comes, et ipsa faceret voluntatem suam. Et cum venisset comes, et idem petitum esset a comite, et responsum a domina B[eatrice], domina B[eatrix], cum exiisset extra barrium, comes jussit Bertrando de Monasterio quod custodiret

(1) Cart.: *et*.
(2) Cart.: *eo*

eam : et vidit quod J. de Salsano manulevavit eam pro posse ipsius B[eatricis], quia nolebat, quod ille malus homo retineret eam per totam noctem. In sequenti die, cum comes rediisset de Porciano, vidit quod duo milites ducebant dominam B[eatricem] hinc inde ad barbacanam capitis castri. Et tunc dicta domina jussit aperiri portam ; qua aperta, intravit Bermundus Adeguerii et quidam : et quod domina B[eatrix] traxit inde res suas, et debuit habere, pro vino quod habebat intus, VI libras.

De tempore, dixit idem quod P. Dalmacius.

Post hec vidit Campanhetam, qui venerat ad castrum de Baladuco, et dixit G. Jo., qui erat bajulus castri pro G. de Orllaco, quod G. de Orllaco mandabat ipsi G. Jo., quod recederet a castro, et quod derelinqueret illud quia comes fugiebat, et non poterat retinere. Post hoc, venit Poncius Buada ad castrum de Baladuco, et invenit portam capitis castri apertam, et intravit capud castri ; et ipse testis, et G. Rotbaudi cum eo ad vocem dicti Poncii, et Helesiarius, nepos Poncii Buada, levavit ibi vexillum domini episcopi, et fecit ibi clamari signum.

De tempore, dixit quod fuit annus in festo Penthecosten proxime preterito.

Interrogatus, dixit quod, ante dictum prestitum sacramentum fidelitatis, ipse testis et alii de Baladuco juraverant fidelitatem domino Guidoni.

Requisitus, dixit quod, tempore adventus comitis, dictus Guido tenebat dictum castrum, et antea tenuerat per V annos et plus.

Interrogatus, dixit quod comes major venit ad dictum castrum cum XXX sociis equitatibus, et cum C peditibus.

Item requisitus, dixit quod vidit quemdam militem cum poste, ascendentem supra ecclesiam.

Item requisitus, dixit quod dictus G. de Orllaco dicebat quod tenebat dictum castrum pro comite.

Guillelmus de Campanhas, testis juratus, dixit quod ipse ivit, mandato G. de Orllaco, ad castrum de Baladuco ; et

dixit dicto G. Jo., qui erat bajulus pro dicto G. de Orllaco in dicto castro, mandato dicti G. de Orllaco, quod recederet de castro, et desereret illud, quia comes fugiebat et non poterat retinere.

De tempore, idem quod proximus super eodem facto.

Et post paululum, vidit P. Buadam, cum III sociis intrantem capud castri; cum invenisset capud castri apertum, et G. Jo. erat intus, qui extrahebat res in quantum poterat; et quod vidit, in capud castri signum domini episcopi Magalonensis et clamari signum.

Iterum produxit dominus episcopus testes, scilicet dominam Vassadellam, et Bt. Magistrum dyaconum, et R. de Rocha dyaconum, ad reprobandos G. [Jo.] et S. Vincencii.

Item ad probandum quod cum P. Buada intravit capud castri, invenerit ipsum vacuum et derelictum, produxit J. Vincencii capellanum (*blanc de 1 cent.*) esiarium, P. de Villanova.

Domina Vassadella, testis jurata, dixit quod S. Vincencii ivit ad castrum de Baladuco, et stetit ibi cum G. Jo., qui erat ibi bajulus [pro] G. de Orllaco. Et postea S. Vincencii venit de nocte ad castrum de Montebazenco, et extraxit furtive quasdam res de domo cujusdam mulieris, ut dicebatur, et asportavit eas ad castrum de (1) Montebazenco, in posse G. Jo.; et cum dictus S. diu stetisset faiditus a castro de Montebazenco, et non esset ausus venire, quia furtum illud dicebatur commisisse, ipsa testis, ad preces amicorum dicti S., passa fuit quod dictus S. rediret ad castrum de Montebazenco; qui, cum esset in presencia ipsius testis, recognovit ipsi testi et confessus fuit, quod ipse fecerat illud furtum, et quod, mandato ipsius testis, restituit res furtivas mulieri que passa fuerat idem furtum.

Item dixit se vidisse et audisse in ecclesia de Montebazenco, quod capellanus ejusdem ecclesie excommunicavit G. Jo.

1) Cart.: *ad*.

propter decimam cujusdam mollendini quam aufferebat, ut idem capellanus dicebat; et audivit a dicto capellano, quod dictus G. Jo. antea juraverat de non aufferenda dicta decima, et dejeraverat.

Item dixit quod predicti G. Jo. et S. Vincencii juraverant pacem, ut ipsa audivit dici; et credit quo[d], juramento pacis contempto, steterunt postea in castro de Baladuco in servicio G. de Orllaco, qui tenebat castrum pro comite.

Item dixit quod G. Jo. habet uxorem; et quod fama est in castro de Montebazenco quod ipse habet rem cum conjugatis; et quod ipsa testis inhibuit dicto G. Jo. ne intraret domos quarumdam conjugatarum, de quibus fuerat infamatus; et nichilominus intravit.

De tempore recognitionis et confessionis facte a S. Vincencio [de] supradicto furto, dixit quod annus est et amplius.

Item dixit quod restituit eum ad bona, et remisit ei offensam.

De tempore recognicionis, dixit quod annus est et amplius; sed de illo pluri non recordatur.

De tempore mansionis, quam fecerunt G. Jo. et S. Vincencii in castro de Baladuco cum G. de Orllaco, dixit quod annus est et amplius.

Requisita dixit quod, in ecclesiis, audivit excommunicari comitem, pro querela quam dominus Guido faciebat de eo super castro de Baladuco et villa de Juviniaco.

Item requisita, dixit quod vidit G. Jo. dictum de dicta excommunicacione reconsiliari, et est annus et amplius.

Bt. Magister dyaconus, testis juratus, dixit se vidisse et audisse quod capellanus de Montebazenco excommunicavit G. Jo., quia aufferrebat decimam mollendini. Post modum ipse testis vidit eum reconsiliari, prestito ab eo sacramento quod staret mandatis, ne de cetero aufferret decimam mollendini, vel aliam; et quod daret illam decimam inter Natale et carniprivium.

Post hec, idem testis vidit quod dictus G. Jo. noluit solvere decimam, sicud juraverat; et quod, propter [hoc], capellanus

excommunicaverat ipsum; et vidit eum reconsiliari, prius prestito juramento.

De tempore prime excommunicacionis dixit quod sunt X anni et plus; et de prima reconsiliatione, dixit quod sunt VIIII anni et plus. De tempore excommunicacionis secunde, dixit quod annus est et amplius; et quod, eodem anno, fuit reconsiliatus infra IIII^or menses.

Item dixit se vidisse quod G. Jo. juravit pacem; et postea tenuit castrum de Baladuco, et, ut dicebatur, pro G. de Orllaco et pro comite, cum dictum castrum esset excommunicatum, et contra Ecclesiam.

Item dixit se vidisse quod dictus G. Jo., bajulus tunc temporis de Montebazenco, tenuit R. Rocha, tunc subdiaconum, capi in turri de Montebazenco.

Requisitus de causa capcionis, dixit, quia, ut dicebatur, fecerat ictum cum cultello; et, ut audivit dici, dictus G. Jo. extraxit dictum R. de domo ecclesie; et sunt de tempore capcionis V anni et plus. Et dixit quod non cantabatur in ecclesia de Montebazenco, quamdiu dictus R. stetit captus.

Requisitus, dixit quod ecclesia recepit, postquam dictus clericus exivit de capcione, dictum G. Jo. ad sacra ecclesiastica, sicut alios parrochianos; et dixit quod dictus R. stetit captus per II dies vel III.

Item requisitus, dixit quod audivit excommunicari sepius, in ecclesia de Montebazenco, homines de Baladuco, quia spoliaverant Guidonem de dicto castro de Baladuco; et sunt fere IIII^or anni, quod ipse audivit fieri predictam excommunicationem.

Item dixit famam esse in castro de Montebazenco, quod G. Jo. habebat rem cum uxore G. Bidocii, filii consanguinei sui germani.

Item dixit famam esse, in dicto castro, quod uxor dicti G. Bidocii fecerat, semel vel bis, aborsum de his quos dicebatur concepisse a G. Jo..

Et vidit et audivit quod domina Vassadella prohibuit dicto G. Jo., ne intraret domum dicte mulieris propter supradicta. Et, post predictam prohibitionem, ipse testis vidit, inter pri-

mum somnum et mediam noctem. G. Jo. exire, et intrare domum predicte mulieris, ubi erat sola. Dixit quod vidit ipsam mulierem aperire ostium domus et claudere, et G. Jo. postea intrantem et exeuntem dictam domum.

Item dixit famam esse in dicto castro, quod G. Jo., habens uxorem, habuit rem cum pluribus aliis conjugatis.

Item dixit famam fuisse in castro de Montebazenco, quod S. Vincencii subripuerat res de domo mulieris, nomine Grosse : et postmodum vidit dictum S. Vincencii, existentem in presencia domine Vassadelle, confitentem et recognoscentem dictum furtum.

Item dixit se vidisse quod S. Vincencii juravit pacem ; et postmodum, ut dicebatur et fama erat, ipse S. Vincencii stetit in castro de Baladuco cum G. Jo.; quod [castrum] de Baladuco erat excommunicatum.

Item requisitus, dixit se audisse dici et famam esse, quod comes abstulerat dictum castrum de Baladuco dicto Guidoni.

Produxit dominus episcopus dominum P. priorem Sancti Vincencii de Jonqueriis, super reprobatione testium de Porciano ; et Durantum capellanum, et P. dyaconum et Bt. Dorrols subdyaconum super eodem. Item Guillelmam Bonastram, et P. et Deodatum, filios ejus, super reprobatione G. Jo..

P. prior Sancti Vincencii de Jonqueriis, testis juratus, dixit se vidisse et audisse quod capellanus de Porciano excommunicavit, mandato domini episcopi, quosdam homines de Porciano, qui juraverant se soluturos R[aimundo] comiti, ad certam diem, certam quantitatem peccunie, et dejeraverant.

Interrogatus qualiter scit quod excommunicatio processisset mandato domini episcopi, dixit quod vidit litteras domini episcopi, in quibus continebatur mandatum in dicta excommunicacione facienda.

Item interrogatus qualiter scit quod dicti homines de Porciano jurassent R[aimundo] comiti de certa peccunie quantitate solvenda ad certam diem et dejerassent, respondit quod R[aimundus] comes pluries conquestus fuit eidem testi, et ipse vidit instrumentum debiti, in quo continebatur dictos homines

jurasse: et quia vidit litteras domini episcopi in quibus continebatur ipsos jurasse et dejerasse.

Interrogatus de quo R[aimundo] comite loquebatur, dixit quod de filio, qui moratur in carreria Sancti Guillelmi.

Interrogatus de nominibus hominum de Porciano, dixit quod erant R. Molinerius, R. Sabbaterius, B. d'*Arena*, B. Lauterii, et plures alii.

De tempore excommunicacionis, dixit quod fuit a festo Ascencionis citra: et vidit dictos homines de Porciano postmodum absolvi mandato domini episcopi, et de dicta excommunicacione reconsiliari.

De tempore excommunicacionis, dixit quod sunt II menses elapsi.

R. Rocha dyaconus, testis juratus, dixit quod ipse stabat in castro de Montebazenco: et G. Jo., qui erat bajulus dicti castri, cepit ipsum testem, tunc subdiaconum, et extraxit de domo ecclesie et misit in turrim.

Interrogatus de causa captionis, dixit quod quedam mulier mandavit eidem testi, quod veniret loquturus secum, de qua habebatur suspicio mala quod haberet rem cum ea; et, cum intrasset domum mulieris, irruerunt in eum maritus et consanguineus ejusdem mulieris, et vulneraverunt eum; et ipse fugit et intravit domum ecclesie. Inde sumpta occasione, dictus G. Jo. cepit eum, et cetera perpetravit, ut supra dixerat. Et ipse, se deffendendo, quemdam vulneravit cum cultello. Capellanus tamen de Montebazenco obtulit pro ipso teste, quod pareret juri cuilibet conquerenti coram domino episcopo, ante dictam extraxionem et capcionem; et fuit captus bene per XV dies.

Item dixit quod dictus G. Jo. nunquam satisfecit ei de predicta injuria.

De tempore, dixit quod V anni sunt et amplius.

Item dixit famam esse in castro de Montebazenco, cum ipse staret ibi, quod G. Jo. habens uxorem, habebat rem cum uxore de n Scura, que erat connata sua, ut dicebatur.

De tempore, dixit idem quod in proxime secundo capitulo.

Helesiarius de Nonta, testis juratus, qui moratur apud Gigianum, dixit quod ipse testis et J. Vincencii, tunc dyaconus, et P. de Villanova intraverunt ecclesiam castri de Baladuco; et, cum essent ante portam ecclesie, viderunt quod Poncius Buada intravit capud castri; et, convocati a dicto Poncio, invenerunt portas capitis castri apertas, et intraverunt, et invenerunt castrum derelictum, ita quod ostia intrinseca extracta erant de gaffonibus, et gaffones tracti, et *verrols*, et propugnacula lignea sive cadafalci erant destructa; et levato signo domini episcopi, clamaverunt signum ejusdem.

De tempore, dixit quod in festo Penthecosten proxime preterito fuit annus, post prandium; et quod Poncius Buada stabilivit caput castri cum sociis suis pro domino episcopo.

Interrogatus dixit quod, infra capud castri dicti, vidit G. Jo. et quosdam alios, extrahentes res de capite castri.

P. de Villanova, testis juratus, dixit idem per omnia quod Helesiarius.

Item requisitus, dixit quod vidit et audivit in ecclesia homines de Baladuco excommunicari, quia aufferebant castrum dicto Guidoni.

J. Vincencii sacerdos, testis juratus, dixit idem per omnia quod Helesiarius.

Guillelma Bonastra, testis jurata, dixit quod G. Jo., tunc bajulus castri de Baladuco, et P. de Rodas et Capolaire adduxerunt, in domum ipsius testis, Garsendam Bidociam; et dixit G. Jo. ipsi, quod pateretur eam esse in domo ipsius testis per aliquot dies; et, contemplatione domini G. Jo., dicta Guarsenda fuit in domo sua per XV dies. Et vidit quod dictus G. Jo. jacebat cum dicta Guarsenda, solus cum sola de nocte, et erat nudus ipse, sed ipsa habebat camisiam.

De tempore, dixit quod fuit annus in quadragesima proxime preterita.

Deodatus Bonastre de Baladuco, filius Guillelme Bonastre, testis juratus, dixit quod G. Jo., tunc bajulus de Baladuco,

induxit Garsendam Bidociam in domum matris ipsius testis: et jacebat intus cum ea de nocte, solus cum sola, nudus cum nuda: et dixit quod in quadragesima proxime preterita fuit annus.

P. Bonastre de Baladuco, testis juratus, dixit quod G. Jo., tunc bajulus castri de Baladuco, adduxit Guarsendam Bidociam in domum matris ipsius testis; et quod nudus jacebat, de die et nocte, cum ea (1), ipsa tamen erat induta camisia.

De tempore, dixit idem quod proximus.

P. de Columberio dyaconus, testis juratus, dixit se vidisse litteras domini episcopi, directas ad cappellanum de Porciano, quas non legit sed audivit legi, in quibus continebatur quod comitissa et filii ejus fuerant conquesti coram eo de hominibus de Porciano, eo quod jurassent se soluturos eis, ad certam diem, quantitatem peccunie, et dejerassent: et mandaverat capellano quod amoneret eos de satisfaccione, alioquin excommunicaret eos: et inde eos excommunicari, admonicione premissa, et vidit eos reconciliari infra XV dies.

Interrogatus de nominibus personarum, dixit quod R. Sabbaterius, et R. Molinerius, Bt. Lauterii, et Firminus, et P. de Lausa, et plures alii.

Item dixit quod fuit a festo Ascencionis citra.

Bt. Dorrols subdyaconus, testis juratus, dixit idem quod proximus; adjecit tamen quod legit litteras.

Idem de tempore, sed non fecit mentionem de nominibus personarum.

Durantus Furnerius sacerdos, testis juratus, dixit se vidisse et legisse litteras domini episcopi, directas ad capellanum de Porciano, in quibus continebatur forma contenta in attestationibus proxime predictis; et ipse testis, tunc tenens vicem

---

(1) Cart.: *eo.*

capellani, excommunicavit eos expressis propriis nominibus personarum.

Et de tempore, idem quod alii.

Item produxit dominus episcopus Berengarium Dalmacium, super introitu comitis R[aimundi] in barrio, et super redditione capitis castri; et G. de Sposador, super primis capitulis excepta reprobatione testium; et R. de Ranat super reprobacione P. de Rodas, et G. Jo. et S. Vincencii; et, super reprobatione eorumdem, G. B. et Guiraudum Jordani.

Berengarius Dalmacius, testis juratus, dixit quod ipse testis cum G. de Vicenobrio venit ad portale barrii de Baladuco; et cum homines de Baladuco apperuissent portam barrii, quod erat clausum, et intrasset G. de Vicenobrio, peciit castrum sibi reddi a domina B[eatrice] pro comite, dicens quod comes veniebat. Et tunc dicta B[eatrix] dixit: *veniat comes, et ego faciam voluntatem ejus.*

Post hec, cum comes venisset, dixit domine B[eatrici] quod redderet ei castrum. Et ipsa peciit sibi dari spacium, usque in die mane sequenti, quia haberet consilium domini Guidonis Claudii. Cum dicta B[eatrix] exiisset barrium, ad vocem comitis dicentis: *extra loquamur*, dictus comes dixit eidem B[eatrici], quod non recederet ab eo, donec redderet ei dictum castrum. Et die crastina, cum comes rediisset a Porciano, et iterum peciisset sibi reddi castrum a domina [Beatrice], et ipsa respondisset modo quo supra, dixit comes quod non recederet inde quousque redderet ei castrum. Tandem dicta domina B[eatrix], habito tractatu cum J. de Salsano et G. de Vicenobrio, qui partes suas interponebant pro comite, ita convenit cum eis quod redderet ei castrum et extraheret res suas. Post hec vidit ipse testis quod dicta domina reddidit capud castri, pro comite, Bermundo Aldeguier, et extraxit inde res suas; et vidit vexillum comitis levari super caput castri.

Requisitus, tamen dixit quod comes jussit custodire dominam B[eatricem], quousque redditum esset ei castrum; et

audivit dici quod J. de Salsano, Bermundus Aldeguerius manulevarunt dictam B[eatricem], promittentes quod redderent eam in mane.

Et dixit quod comes venit ad dictum castrum cum XL sociis, et erant quidam armati, et quidam non. Et audivit quod, die sequenti, cum comes rediisset de Porciano, homines comitis clamaverunt: *ad bellum*. Et vidit quod homines qui erant in capite castri, jaciebant lapides; et vidit quod quidam archerius traxit quemdam carrellum in capite castri.

Item dixit quod dominus Guido tenebat dictum castrum tempore adventus comitis, et tenuerat ante bene per IIIIor annos.

Interrogatus de tempore, dixit quod erant IIIIor vel V anni, in hoc comedio quod erat inter Natale [et] carniprivium (1) proxime venturo.

G. B. de Montebazenco, testis juratus, dixit quod ipse testis, et S. Vincencii, et quidam alii venerunt coram R. de Mesoa, priore de Veiruna, et juraverunt stare mandato prioris. Qui prior dedit in mandatis S. Vincencio, quod daret XX solidos monialibus Sancti Felicis (2), vel quod faceret unam quadragesimam sequendo crucesignatos; et nichil fecit de predictis secundum quod audivit dici.

De tempore, dixit quod fuit annus in quadragesima.

Et audivit dici quod S. Vincencii extrahebat furtive res de domo Grosse mulieris, et fama erat per totum castrum de Montebazenco.

Item dixit famam esse in castro de Montebazenco, et fuisse, quod G. Jo., habens uxorem, jacebat cum Guarsenda Bidocia, uxore filii consanguinei sui germani; et quod dicta mulier, ut dicebatur publice, semel vel bis fecerat aborsum de his quos conceperat ex dicto G. Jo. (3).

---

(1) Cart.: *erat ante Natale carniprivium.*
(2) Saint-Félix de Montceau.
(3) Cart.: *ex dicta Guarsenda.*

Et dixit se vidisse quod dictus G. Jo. tenebat, apud Baladucum in domo sua, quamdam mulierem conjugatam, filiam Grosse ; et erat fama quod jacebat cum ea et adhuc est.

Item dixit se vidisse et audisse quod G. Jo. tenebat castrum de Baladuco pro comite, et pro G. de Orllaco ; quod castrum erat excommunicatum : et ipse vidit eum excommunicari.

Item dixit quod audivit ab Adalacia Raderessa, uxore consanguinei G. J., [quod ipse G. Jo.], habens uxorem, habebat rem cum ea ; et quod fecit eam jurare quod non haberet rem cum alio, nisi cum eo : et super hiis dixit famam esse in castro de Montebazenco.

Guiraudus Jordanus de Montebazenco, testis juratus, dixit quod ipse, et G. Jo., et Guarsenda Bidocia iverunt ad Beatam Mariam de Podio ; et dictus G. Jo. jacebat cum dicta Guarsenda, nudus cum nuda, solus cum sola, uxore filii consanguinei sui germani : et quod G. Jo. habebat uxorem, et adhuc habet uxorem ; et dixit quod fuerunt III anni in hoc festo Sancte Marie de augusto transacto.

Item dixit se vidisse excommunicare G. J., quia aufferebat decimam molendini ; et postea vidit eum reconsiliari.

De tempore excommunicationis, dixit quod sunt II anni ; et, infra III septimanas a tempore dicte excommunicationis, vidit eum reconsiliari.

Item dixit famam fuisse in castro de Montebazenco, quod S. Vincencii subripuit res quasdam de domo Grosse ; et quod ipse testis vidit excommunicari fures ; et quod dictus S. erat faiditus de castro de Montebazenco, et non erat ausus intrare, quia dicebatur commisisse illud furtum ; et domina Vassadella permisit eum redire ad preces amicorum ; et ipse S. Vincencii reddidit res furtivas, ut dicebatur.

Item vidit excommunicari homines et comitem, quia aufferebant castrum domino Guidoni.

R. de Ranat de Baladuco, testis juratus, dixit se vidisse et audisse quod ipse, ad preces S. Vincencii, ivit ad castrum de Montebazenco ; et dictus S. dixit ei quod ibi erat mulier que-

dam, quam ostenderet ipse et mater sua (1), et juvaret (2) eum in subripiendis rebus suis. Quod cum nollet facere ipse testis, dictus S. et P. de Rodas intraverunt domum ipsius mulieris, et extraxerunt inde res quasdam, et asportaverunt ad castrum de Baladuco in posse G. [Jo.].

De tempore, dixit quod est annus et plus.

G. de Spasador, testis juratus, dixit quod cum comes major recuperaret terram, et dominus Guido timeret sibi, fecit jurare homines de Baladuco sibi fidelitatem : et ipse juravit eis quod salvaret eos et deffenderet pro posse, neque recederet ab eis, neque induceret homines extraneos in capud castri sine consilio eorum. Post hoc vidit VIII vel VIIII homines extraneos in capite castri. Post hoc quadam die cum rediret de stagno, audivit dici quod dominus Guido exierat.

De tempore, dixit idem quod P. Dalmacius.

Requisitus, dixit quod homines de Baladuco non permiserunt intrare quosdam homines extraneos armatos, venientes ex parte dicti Guidonis, ut dicebant, quia significatum erat eis quod dominus Guido missurus erat homines extraneos armatos, ut barrigiaret eis.

Item requisitus dixit, quod comes venit ad castrum de Baladuco bene cum XXX ; et erant quidam armati.

Item dixit se vidisse quendam archerium comitis trahere quendam carrellum in capite castri.

Item vidit quod homines armati tenebant dominam B[eatricem] ante portam ecclesie, dicentes quod nisi redderet eis castrum, facerent ei quod displiceret sibi ; et vidit quod ipsa reddidit castrum cohacta.

Et dixit quod, tempore adventus comitis, dominus Guido tenebat dictum castrum.

Anno M° II^c XXVII, XIII kalendas marcii, Michael de Morezio, procurator domini episcopi, produxit testes infrascriptos

---

(1) Cart.: *que ostenderet ipsum et matrem suam.*

(2) Cart.: *juverat.*

in causa de Baladuco, salvis exceptionibus suis dōmino Guidoni de Capite Porco in personis et dictis testium, premissa protestatione a domino episcopo quod non pareret sibi prejudicium super appellatione interposita sive proxime lata, nec prejudicium aliquod sibi fieret.

Produxit dominus episcopus pro veris aliquas litteras seu cartas, sigillo ipsius episcopi sigillatas, que incipiunt : *B. divina miseratione ;* et una finitur ante datam, *competenter ;* et altera, *compellatis ;* quas dominus Guido cognovit esse veras.

R. de Mesoa de Veruna, testis juratus, dixit quod ipse, de mandato domini archiepiscopi, gerentis vices domini cardinalis, reconsiliavit quosdam de Montebazenco, prius prestito sacramento ab eis, secundam formam Ecclesie ; inter quos erat S. Vincencii de Montebazenco, quem ipse testis fecit reconsiliari, et precepit ei, in virtute sacramenti prestiti, ut serviret negocio Jesu Christi, propriis expensis, XL diebus, et cum armis ; vel daret sibi CXX solidos in subsidium dicti negocii, et hoc debuit facere ab illa die reconsiliationis usque ad festum Penthecosten tunc proxime sequens.

De tempore reconsiliationis, dixit quod fuit annus in illo [co]medio, quod est inter dominicam Adventus Domini et festum sancti Ylarii proxime preteritum.

Et dixit quod dictus S. [Vincencii] non satisfecit ei in denariis ; cetera credit eum non fecisse.

De loco, dixit quod apud Veirunam in cimiterio ante januas.

De personis, dixit quod G. Sansa sacerdos, R. de Carnas clericus et plures alii.

G. Sansa sacerdos, testis juratus, dixit se vidisse, de reconsiliatione facta, mandato prioris de Veruna, et sacramento, et excommunicacione S. Vincencii, idem quod proximus, excepto quod dicit quod dictus S. debuit solvere XX solidos in Pasca.

Idem, de loco et personis. Et audivit conquerentem priorem de Veiruna, quia dictus S. non compleverat predicta.

R. Carnas clericus, testis juratus, dixit idem per omnia quod G. Sansa.

P. Guiralis, testis juratus, dixit quod in festo Penthecosten proxime preterito fuit annus, quod ipse et P. Buada, avunculus suus, audiverunt apud Gigianum quod castrum de Baladuco erat derelictum (*blanc de 2 cent.*), desamparatum; et statim ipse testis et dictus Poncius venerunt ad castrum de Baladuco; et invenerunt portale apertum, et intraverunt, et venerunt ad capud castri, ubi invenerunt portas apertas, et intraverunt, nemine contradicente. Invenerunt tamen in capite castri duos homines in diversis locis, et nescit qui essent: qui duo homines nichil dixerunt eis. Et invenerunt ostia fracta, et vectes ferreas et scanna. Et invenerunt ipsum capud castri vacuum et derelictum, ita quod non erat ibi panis et vinum, excepto modio aceti; et levaverunt in capud castri vexillum domini episcopi, et clamaverunt: *Magalona, Magalona pro domino episcopo*. Et supervenerunt ibi Helisiarius, frater ipsius testis, J. Vincencii dyaconi, P. de Villanova, et quidam alii; et fecerunt afferri extra cibaria et arma.

Poncius Mallos, testis juratus, dixit se vidisse quod filie Guillelme Grosse de Montebazenco conquerebentur de quibusdam rebus, quas dicebant sibi subreptas de domo sua in castro de Montebasenco; et suspicaverant quod hoc fecissent S. Vincencii et P. de Rodas. Et postmodum ipse testis et G. de Gordone invenerunt res predictas cum P. de Rodas; et ceperunt ipsum P. de Rodas et res dictas, et reduxerunt in castrum de Baladuco, et reddiderunt ipsum et res Capolaire, qui erat in dicto castro sub G. Jo. et G. de Orllaco. Et audivit dici quod S. Vincencii fuit faiditus pro hujusmodi facto a Montebasenco per mensem. Et postea vidit dictas mulieres, res predictas defferentes, et vidit quod G. de Gordone dixit Capolaire, ut custodiret dictum P. de Rodas et res.

De tempore, dixit quod fuit paulo antequam G. Jo. et G. de Orllaco amitterent dictum castrum de Baladuco.

Requisitus dixit quod G. Jo. erat ibi pro G. de Orllaco, et G. de Orllaco pro comite, secundum quod audivit.

P. Lauri sacerdos, testis juratus, dixit se vidisse quasdam litteras, quas dominus episcopus misit capellano de Porciano, in quibus continebatur quod ipse cappellanus excommunicaret homines de Porciano propter quandam pecunie summam, quam debebant R[aimundo] comiti cum sacramento ; quod sacramentum diu transgressi fuerant ; quas litteras ipse testis vidit et legit. Postea audivit dici quod capellanus excommunicaverat, in quadam die dominica, bene XL.

Interrogatus qui erant : R. Molinerii, R. Sabbaterii, B. Lauterii, Firminus, P. Lausa, B. *d'Avena*, S. Cordurerii ; et postea vidit eos stare excommunicatos per XV dies ; et postea vidit eos reconsiliari.

De missione litterarum, et excommunicatione, et reconsiliatione, dixit quod fuit hoc anno a festo Ascensionis Dominice usque ad festum sancti Petri de augusto proxime preteritum.

P. Baudilii sacerdos, testis juratus, dixit idem per omnia quod proximus ; et plus quod reconsiliavit de mandato Poncii Fabri, de Porciano capellani.

De tempore, idem.

Poncius Stephani, testis juratus, dixit se vidisse et audisse quod capellanus de Porciano, de mandato domini episcopi, excommunicavit R. Molinerii, R. Sabbaterii, B. Lauterii, Firminum, P. Lausa, B. de Avena, S. Cordurerii, et plures alios de Porciano, bene L, propter quamdam summam peccunie, quam debebant R[aimundo] comiti, cum sacramento quod transgressi fuerant, secundum quod audivit dici ; et postea vidit eos reconsiliari ; et fuit hoc anno in messibus proxime preteritis.

R. Benedicti, testis juratus, dixit idem per omnia quod proximus.

Salvator da Garela, testis juratus, dixit idem quod proximus, excepto quod non fecit mentionem de reconsiliatione.

De tempore, dixit quod fuit a festo Ascentionis usque ad festum sancti P[etri] de augusto.

.

Pars producens testes audivit, et predicti testes juraverunt de licencia domini episcopi, duodecimo kalendas marcii.

Utraque pars peciit aperiri attestationes et lecte fuerunt in presencia parcium anno Domini M° II° XXVI, idibus februarii.

Testes producti a domino B[ernardo] episcopo Magalonense contra Guidonem de Capite Porco, ad probandum quod, ante dilationes datas a judicibus delegatis, contentas in actis, dominus archiepiscopus assignavit unam dilationem dicto domino episcopo: qui testes recepti fuerunt, interpositis primo a domino Guidone rationibus infrascriptis, quibus dicebat ipsos non esse recipiendos tum propter quia dies sabbati erat, et jam erat pulsatum ad vesperas, et quia quidam ex testibus erant inimici sui, et quia, de communi jure, eciam domino archiepiscopo non esset credendum, cum dicta dilatio non reperitur in actis. Et, salvis exceptionibus hiis et aliis domino Guidoni, fuerunt recepti dicti testes.

G. Christofori, canonicus Magalonensis et prior ecclesie Sancti Marcelli, testis juratus, dixit se vidisse et audisse, quod in domo canonica (1) Sancti Firmini erat domimus archiepiscopus Narbonensis, et quod sibi assidebat B. de Regordava jurisperitus; et coram dicto domino archiepiscopo erant dominus B[ernardus], Magalonensis episcopus, et dominus Guido. Et ibi dominus episcopus ostendit sibi testi, et J. de Latis, et quibusdam aliis, querimoniam quam faciebat dictus Guido a domino episcopo Magalonensi supra ablatione quam dicebat sibi fecisse idem dominus episcopus prefato Guidoni super castro de Baladuco; et in libello respondit dominus episcopus, quedam confitendo, in quibusdam dubi-

(1) Cart.: *canonice.*

tando, et quedam negando. Et super negatis habuit dilationem dominus Guido ad suam petitionem; sed dictus testis non recordatur ad quam diem fuerit ei data dilatio ad probandum.

Item de tempore, dixit quod sibi videtur quod hec fuerunt die jovis proxima ante festum Assumptionis Beate Marie proxime preteritum.

Interrogatus de personis, dixit quod predicti fuerunt, et P. Guiraldi, et P. Codon canonici, et P. de Biterris, et quidam alii.

Interrogatus, dixit quod, super dicto libello, dedit consilium; et advocationem postmodum prestitit dicto domino episcopo.

R. de Mesoa, canonicus Magalonensis et prior de Veiruna, testis juratus, dixit se vidisse et audisse, quod, die mercurii ante Assumpcionem Beate Marie, in canonica predicta, erant dominus archiepiscopus (1) Narbonensis, assidente sibi Bn. de Regordava jurisperito; et dominus episcopus Magalonensis et dominus Guido de Capite Porco, qui conquerabatur de dicto domino episcopo super ablatione castri de Baladuco, secundum quod in libello continetur; super quam et obtulit libellum domino archiepiscopo, qui concessit deliberatorias inducias domino episcopo usque ad crastinum. Ac utraque parte in crastinum comparente coram domino archiepiscopo, dominus Guido fecit quasdam positiones, ac dominus episcopus quasdam confessus fuit, et super quibusdam dubitavit, et quasdam negavit; et super negatis peciit dominus Guido dilationem ad probandum et ad ponendum de facto; et dominus archiepiscopus asignavit domino Guidoni diem.

De personis, idem quod proximus.

Interrogatus, que dies fuerat domino Guidoni assignata, dixit quod credit, quod dies mercurii infra octabam dicte festivitatis; et dixit quod ob hoc credit quia B. de Regordava et R. de Salzeto, quibus commiserat dominus archiepiscopus dictus causam, fuerunt dicta die in domo domini episcopi;

(1) Cart.: *archidiaconus*.

et eadem die utraque parcium coram ipsos comparuit: et, domino Guidone, faciente quasdam positiones, respondit dominus episcopus quod non tenebatur respondere, quia illa dies fuerat assignata ad producendos testes.

Interrogatus dixit quod, super dicto libello, non prestitit consilium dicto domino episcopo, vel patrocinium, seu advocationem.

Interrogatus dixit se esse familiarem domini episcopi et commensalem, ubi sunt ambo in eadem villa vel castro.

Interrogatus dixit quod ipse non procuravit quod castrum redderetur domino episcopo, vel alii pro eo.

S. Codon, canonicus Magalonensis, testis juratus, dixit se vidisse et audisse, quod in dicta canonica fuit conquestus dominus Guido de Capite Porco domino archiepiscopo Narbonensi de domino B[ernardo], Magalonensi [episcopo], qui auferebat ei castrum de Baladuco; et super querimoniam obtulit libellum dicto domino archiepiscopo. Et facta fuit disputatio magna super libello, et fuit hoc die mercurii post festum sancti Laurencii: et, crastina die jovis, dominus Guido fecit quasdam positiones, quarum quasdam dominus episcopus confessus fuit, et super quibusdam peciit dilationem, et quasdam negavit.

Idem vidit quod dominus Guido peciit diem a domino archiepiscopo ad probandum negata; ut dominus archiepiscopus delegavit causam B. de Regordava presenti, et R. de Sauzeto absenti; et dominus archiepiscopus cum B. de Regordava assignavit diem domino Guidoni, videlicet in octabis diei mercurii predicti.

Dixit eciam quod, dicta die, venerunt dicti judices delegati ad domum domini episcopi, et utraque parcium comparuit coram eis: et, domino Guidone volente facere quasdam positiones, dixit dominus episcopus quod non tenebatur respondere, quia illa dies assignata fuerat ad probandum.

Vidit postea quod, de voluntate judicum, dominus episcopus sustinuit dictum Guidonem procedere in posicionibus suis.

Interrogatus, dixit se esse domesticum et familiarem domini episcopi.

Poncium Fabri capellanum, G. Sabbaterium juvenem, B. Sabbaterii seniorem, P. Dalmacii dyaconum, Durantus Rotberti, P. Andree, P. de Maimona, G. de Posatorio, J. Bonastre, P. Carabassa, B. Guiffre, R. Deodati, Bartholomei et S. majorem, B. Molinerii, J. de Rama, Ymberti, Deodatus Pastor, G. Rotbaud, Durantus Rotberti, Dalmacius, Deodatus Pastre, G. Guiffre, R. de Ranat, G. de Guordan, Poncius Maltos.

P. de Biterris, testis juratus, dixit quod, in canonica dicta, dominus Guido de Capite Porco peciit castrum de Baladuco coram domino archiepiscopo a domino Magalonensi episcopo; et ibi fuerunt facte quedam positiones a domino Guidone, et super quibusdam, negatis a domino episcopo, fuit petita dilatio a domino Guidone, et data a domino archiepiscopo.

Interrogatus qua die fuerunt facte posiciones et concessa dilatio ad probandum, dixit quod, illa die qua magister P. Rainaut peciit licenciam a domino episcopo, ut sustineret quod ipse P. manuteneret dictum Guidonem in hac causa.

Item dixit se non recordari de die assignata ad probandum.

Item interrogatus, dixit se non esse inimicum domini Guidonis, sed bene fovit P. Luciani in jure (1) suo in causis, quas P. Luciani habebat contra dominum Guidonem.

Interrogatus pro parte adversa, si dixit, coram consulibus et coram curia, dominum Guidonem usum fuisse falsis instrumentis contra J. de Latis, respondit quod, coram consulibus et consilio et curia aliis, dixit, pro P. Luciani denunciando, quod Guido de Capite Porco jurisperitus produxerat falsum instrumentum contra P. Luciani.

(Reg. F, fol. 70 v° à 81 v°).

(1) Cart.: *utre*.

CCCCLXXI. — 10 mars 1227 (n. s. 1228)

L'archevêque de Narbonne assigne un jour aux parties pour apporter par écrit leurs allégations.

Anno M° II^{c} XX° VII°, VI° idus marcii, conclusum est ab utraque parte allegacionibus de facto retento ex parte domini episcopi, quod dominus Guido tenetur eligere accionem vel causam petendi.

Dominus Guido implorat officium judicis, ratione metus illati et vis illate per metum familie sue; ratione cujus petit restitutionem possessionis castri de Baladuco, non renunciando beneficio, vel alii juri competenti, quantum in ipso est.

Ex adversa dominus episcopus implorat officium judicis ad indulgendum sibi beneficium in integrum restitutionis, ad proponendum excepcionem justi domini, que datur contra accionem quod, metus causa, non obstante interlocutoria lata a domino archiepiscopo contra ipsum dominum episcopum, in qua dicit se esse lesum ob calliditatem adversarii, et non obstante eo quod conclusum est allegationibus de facto; adversus quam conclusionem petit restitutionem quantum ad excepcionem dictam.

V idus marcii. Post proposita coram domino archiepiscopo, assignata est dies partibus ad allegandum de jure, IIII^{a} feria post octabam Resurrectionis Dominice super principali; et quod, ab hinc usque ad Pasca, vitant allegationes super dicta incidente questione; et dictum fuit quod, ea die, afferrent allegationes scriptas; et, post allegationes inibi appositas, illas in scriptis reddent.

(Reg. F, fol. 82 r°).

CCCCLXXII. — 20 octobre 1228

L'archevêque de Narbonne oblige Gui à formuler ses griefs.

Anno M° II^{c} XXVIII°, XIII° kalendas novembris, petit dominus episcopus Magalonensis compelli dominum Guidonem ad

eligendam accionem vel certam causam petendi ; et, cum dominus Guido diceret ex adverso se ad hoc non teneri, interloculus est dominus archiepiscopus dominum Guidonem debere eligere et exprimere certam causam, et specialem, et certum genus spoliationis, ex quo petit restitutionem.

Et elegit dominus Guido dicens familiam suam in expulsione (1) esse spoliatam, et ex illa causa petit restitutionem.

Eodem die injunxit dominus archiepiscopus, domino episcopo Magalonensi, ut afferat allegaciones suas in scriptis redactas, ab hinc in diem dominicam proxime venturam in sero.

(Reg. F, fol. 82 r°).

CCCCLXXIII. — 9 novembre 1228

Sentence de l'archevêque de Narbonne au sujet de Balaruc.

Controversia vertebatur inter dominum Guidonem de Capite Porco ex una parte, et dominum B[ernardum], Dei gratia Magalonensem episcopum, ex alia, sub examine domini P[etri], Dei gratia Narbonensis archiepiscopi.

Conquerebatur dictus Guido de dicto domino Magalonensi episcopo in hunc modum.

Deo et vobis domino P[etro], Dei gratia Narbonensi archiepiscopo, supplico ego Guido de Capite Porco, ut, per officium vestrum, pocessionem castri de Baladuco, cum omnibus suis obventionibus inde perceptis, quod possedi longo tempore bona fide usque tempus quó extiti spoliatus et sum a R[aimundo], filio condam [Raimundi], comitis Tholosani, et ab hominibus ejusdem castri ; quod castrum venerabilis pater dominus B[ernardus], Dei gratia episcopus Magalonensis, ac judex meus vel alius, ejus occasione, nunc tenet et detinet, michi restitui faciatis ab eodem, salvo jure pluris.

Cumque, ex parte domini episcopi, esset objectum libellum [istum] inepte et insufficienter esse compositum, et fuisset

---

(1) Cart.: *in expulsiva*.

super hoc, salvo jure suo, processum, tamen interlocutoria de hoc lata, ut dominus Guido eligeret certum genus spoliationis, quo se diceret spoliatum, elegit, cum esset de facto conclusum, et dixit familiam suam vi expulsiva esse spoliatam, et ex illa causa petebat restitucionem.

Cum igitur ad allegationes juris ventum esset, proponebat dominus Guido possessionem castri predicti sibi debere restitui, probaturus (1) pocessionem suam per confessionem episcopi et per testes utrinque productos.

Spoliacionem autem a comite factam probasse videbatur per testes plurimos, scilicet per comitis ingressum et expugnacionem castri, et vim illatam familie, et precipue per detentionem uxoris sue, que, cum sub custodia teneretur, pro detenta poterat merito judicari; super quibus omnibus testes apertissime deponebant.

Spoliationem autem ab hominibus factam se probasse dicebat, quia capud castri impugnaverunt, intrare vel exire neminem permittentes; missos eciam pro ipso Guidone, pro tocius castri custodia, non admiserunt, et comitem introduxerunt. Que omnia, tum ex confessione dicti domini episcopi, tum per testes se probare dicebat; ex quibus spoliacio manifeste probatur cum non intersit an possessor, an alius ejus nomine veniens repellatur.

Quod autem episcopus a violentis causam habuerit, se dicebat probasse per testes. Unde, secundum constitutionem Lateranensis concilii (2) tercii, perinde sibi tenetur, ac si ipsemet spoliasset; quinimo, etsi ab eis causam non haberet, facienda esset restitucio contra quemlibet possessorem, si non ex vi interdicti, vel constitucionis predicte, saltem officio judicis quod implorat in questione presenti; ad quod et jura sunt prompta, et concordant sententie magistrorum, presertim cum episcopus malam fidem habere convincatur, ex eo quod cum de mandato Sedis Apostolice excommunicaret illicitos

---

(1) Cart.: *probarerat eam.*
(2) Cart.: *consilii.*

castri detentores. et in hac re esset judex dicti domini Guidonis. ut castrum eidem restitui faceret. in se vitare debuit quod per alios fieri prohibebat.

Ex adverso. dominus episcopus respondebat quod dominus Guido in intentione sua defecerat multis modis :

Cum enim dixerat se spoliatum a Raimundo. filio quondam R[aimundi] comitis. nichil de illo probans.

Super spoliacione a patre facta. testes inducit ad quam. cum in judicium deducta non esset. se nequit extendere judicantis officium. presertim cum secundum formam peticionis. sit sententia judicis informanda.

Preterea cum constet per electionem ipsius. quod ex vi expulsiva insistat et illam non probat. merito est dictus episcopus absolvendus. cum testes utrinque producti deponant quod uxor ejus. que pro ipso erat in castro. castrum tradidit vel reddidit condam comiti Tholose. et, [si] forte probatur quod justo motu hoc fecerit. non probatur expulsio ; ymo contrarium. cum non videatur vi dejectus. qui compulsus est in possessionem inducere.

Quod vero dicit dominus Guido se probasse per testes. dominum episcopum habere causam a spoliatoribus. non est verum. cum illi testes justis excepcionibus perjurii. excommunicationis. furti. incestus (1). et adulterii sint repulsi. Cum igitur dictus episcopus nec dejecerit, neque a dejectoribus causam habuerit. sed potius vacuam possessionem invenerit, sicut per testes manifeste probasse videtur. non tenetur ad restitutionem jure canonico vel civili.

Quod nec ab hominibus sit facta spoliatio per repulsionem illorum qui. nomine dicti Guidonis. veniebant. non est verum : quia justa causa exstitit repellendi pactum. videlicet quod dictus Guido hominibus dicti castri fecerat, quod extraneos non introduceret sine consilio eorumdem.

Ad hoc pars altera replicabat quod, sive sit probata spoliacio a Raymundo patre, sive a R[aimundo] filio facta, sufficit ad intentionem fundandam : nam uterque et R[aimundus] erat et

---

(1) Cart.: *in castro.*

R[aimundus] filius, propter [quod] in intencione ambigua accipiendum est quod utilius est actori.

Circa spoliacionem autem ab hominibus factam, non obstat pactum novissime allegatum, cum illud pactum intelligi debeat rebus in eodem statu manentibus, hoc est ut ad custodiam non intromitterentur extranei, quamdiu ipsi in custodie fidem gererent: quod eos non fecisse probatur, quia castrum impugnaverunt eciam ante adventum comitis, sicut per testes evidentius est probatum.

Hiis igitur et aliis que, post litem contestatam, et juramentum calumpnie prestitum, et factum examinatum, et facti conclusionem fuerunt proposita coram nobis, diligenter inspectis, et totius cause meritis plenius intellectis, utraque parte in nostra presencia constituta, nos P[etrus], Dei gratia Narbonensis archiepiscopus, Deum habentes pre oculis, communicato consilio sapientum, condempnamus venerabilem fratrem nostrum in Christo B[ernardum], Dei gratia Magalonensem episcopum, ad restituendam plenam et integram possessionem barrii castri de Baladuco domino Guidoni de Capite Porco, salva eidem episcopo questione proprietatis in eodem barrio.

A restitutione autem capitis dicti castri, petita per eundem Guidonem, implorato judicis officio, ratione vis expulsive, familie sue illate, dictum Magalonensem episcopum absolvimus, salvis eidem Guidoni [omnibus aliis] possessoriis et petitoriis pro dicto capite castri vel ejus possessione.

A peticione autem fructuum et obventionum, a dicto episcopo perceptorum, quam dominus Guido contra episcopum faciebat, super quibus nichil est positum vel probatum, eundem episcopum Magalonensem absolvimus.

Lata (1) fuit hec sentencia anno M° II° XXVIII°, V idus novembris, apud Narbonam, in porticu prope palatium dicti domini archiepiscopi, in presentia et testimonio Rotbaldi abbatis Sancti Pauli Narbone, Raymundi de Cavanaco, Petri de Fischo jurisperiti, Petri de Cumbis jurisperiti advocati, nepotis abbatis dicti, Raimundi Brunenci, Poncii de Lunello

(1) A partir d'ici, nous suivons le Reg. A.

sacriste Magalonensis, Raymundi de Mezoa archidiaconi Magalonensis, et Duranti Gaillardi Montispessulani notarii, qui hec scripsit.

(Reg. F, fol. 82 v° et 202 v°, et reg. A, fol. 96 v°; édité par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 226).

Arrêtons-nous un instant sur cet acte, et discutons d'abord la date, ensuite le fait.

La Date : Le registre A porte celle du 9 novembre 1224; Arnaud de Verdale (édit. Germain, p. 122) fixe le jugement à 1226 : il a été suivi par Germain (*Balaruc*, p. 133) et par nous (*Bullaire de l'Eglise de Maguelone*, t. II, p. 191). Faisons observer que le manuscrit d'Arnaud de Verdale, qui est à notre disposition, donne l'année 1217. Toutes ces dates sont fausses, ainsi qu'il ressort suffisamment de tous les actes publiés antérieurement. C'est le registre F qui contient la véritable date. Germain l'a suivi, et, avec lui, il faut fixer le jugement à l'année 1228.

Le fait : Qui a gagné le procès? En réalité, c'est Gui Chef-de-Porc. Sans doute, le château de Balaruc ne lui fut pas rendu; mais l'acte suivant démontre clairement que les prétentions de Bernard de Mèze ne se bornaient pas seulement au château. L'acte de 1211 (Voir ci-dessus, t. II, p. 77) fut donc annulé en partie; mais Gui Chef-de-Porc rentra en possession de beaucoup de ses droits.

Plus tard, vers 1237, Dalfinus, fils de Gui Chef-de-Porc, s'empara du château, contrairement à la sentence de 1228, et sa mère, Béatrix, vendit le château et toutes ses possessions à Jacques d'Aragon pour 19.000 sols (Voir plus loin l'acte du 9 août 1239). Telle est la vérité sur cette affaire, d'après les pièces authentiques.

CCCCLXXIV. — 13 juin 1229

L'archevêque de Narbonne explique sa sentence au sujet de Balaruc.

In nomine Domini. Anno Nativitatis ejusdem millesimo ducentesimo vicesimo nono, idibus junii, petebat dominus Guido de Capite Porco coram magistro Deodato, subdiacono domini Pape, et magistro Guillelmo de Broia, super hoc a domino archiepiscopo delegatis, juxta formam sententie late super restitutionem barrii de Balazuco inter dominum B[ernardum], Dei gratia Magalonensem episcopum, et dominum

Guidonem, restitutionem quarumdam condaminarum, et quorumdam molendinorum, nemorum, et venacionum, et aliorum jurium extra capud castri consistentium, in districtu sive in terminio de Balazuco, que ad ipsum dicebat spectare ratione restitucionis facte sibi de barrio ; et hoc dicebat illa ratione, quia possessio barrii de Balazuco plena et integra sibi fuerat judicata per dominum archiepiscopum Narbonensem. Propter quod et quedam alia que coram dictis judicibus allegabat, dicebat sibi restitucionem faciendam non tantum barrii et eorum que continentur infra barrium, verum etiam omnium possessionum et jurium, que extra capud castri et in districtu Balazuci, sicut dictum est, consistebant.

Econtra dominus Magalonensis episcopus alegabat dicens quod, per illa verba, contenta in sententia domini archiepiscopi Narbonensis, non erat facienda restitucio, nisi eorum que infra barrium continentur; et super illis dicebat plenam et integram restitucionem eidem domino Guidoni esse factam. Alia autem omnia que extra barrium consistebant, dicebat ad se ratione capitis castri pertinere, maxime condaminas, molendina, usatica, nemora, venaciones, prata et hujusmodi talia, que dominus castri pro se colere et percipere immediate consuevit; hec pro se et multa alia allegando.

Nos predicti magister Deodatus et magister G. de Broa, delegati, auditis rationibus et allegacionibus utriusque partis, quecumque hinc inde allegata fuerunt retulimus diligenter et fideliter dicto domino archiepiscopo Narbonensi, qui, habito diligenti tractatu cum peritis et de eorum eciam consilio, restitutionem barrii de Balazuco adjudicatam domino Guidoni intellexit, et intelligit, taliter esse faciendam, ut barrium et omnia que infra barrium vel extra continentur in toto districtu de Balazuco, excepto tamen capite castri, et ingressu, et egressu ad illud, intelligantur sibi esse adjudicata quoad possessorium judicium, et ideo de facto sibi esse restituenda.

Unde nos de expresso mandato ipsius, juxta intellectum et interpretationem ejusdem domini archiepiscopi, omnia que extra caput castri de Balazuco consistunt, sive sint infra barrium, sive extra, quecumque sint, et ubicumque sint, in

districtu seu in terminio de Balazuco adjudicata dicto domino Guidoni per verba sententie dicti domini archiepiscopi quoad judicium possessorium pronunciamus ; et per hec ad restitucionem eorum que dictus dominus episcopus detinet vel possidet extra capud castri, de facto faciendam domino Guidoni, eundem dominum episcopum, de expresso mandato domini archiepiscopi, condempnamus.

Data est hec sentencia apud Bitterim, anno et die quo supra, in presencia et testimonio Johannis de Latis, Guillelmi Tropassen, Petri Medici, Petri de Terico, Alafredi Monachi prioris de Ginhaco, Guillelmi Clerici sacerdotis, Bernardi Genesii clerici et Petri Roujani publici Biterris notarii, qui, de mandato predictorum judicum delegatorum, hanc sententiam scripsit.

(Reg. F, fol. 93 v°).

Bien que nous nous réservions de corriger seulement à la fin du Tome II les fautes qu'on nous a signalées ou dont nous nous sommes aperçu, nous tenons à corriger ici la faute commise page 335 de ce Tome, ligne 5me : supprimer la note 2, et adopter la leçon du *Cartulaire*, qui, dans le cas présent, suit l'ère de Pâques, et non de l'Incarnation. Cette dernière est générale dans notre diocèse jusqu'au XIVe siècle.

CCCCLXXV. — 23 août 1231

Jacques d'Aragon confirme les privilèges accordés à Montpellier par son père et sa mère, et par lui-même.

In Dei nomine. Manifestum sit omnibus quod nos Jacobus, Dei gratia rex Aragonum et regni Majoricarum, comes Barchinone et dominus Montispessulani, attendentes et recognoscentes fidelitatem et devotionem, nobis nostrisque predecessoribus laudabiliter exhibitas a duodecim probis viris et a tota universitate Montispessulani, per nos et per omnes successores nostros, in hac presenti carta perpetuo valitura, vobis dilectis et fidelibus nostris duodecim probis viris, electis ad consulendam communitatem Montispessulani, videlicet Raimundo de Latis, Bernardo Resserio (1), Geraldo de Barca, Symoni Ricardo, Raimundo Lupo, Bernardo Amelii et Poncio Garini, stipulantibus et recipientibus pro vobis et pro consociis vestris et successoribus vestris, et pro universitate, et (2) singulis de universitate et communitate Montispessulani, et, per vos, omnibus presentibus et futuris, concedimus, laudamus, et confirmamus in perpetuum consuetudines et libertates Montispessulani, quas dominus P[etrus], quondam pater noster recordationis inclite, rex Aragonum, comes Barchinone et dominus Montispessulani, vel domina Maria, quondam mater nostra bone memorie, regina Aragonum, comitissa Barchinone et domina Montispessulani, laudaverunt et concesserunt, vel nos ipsi concessimus apud Ylerdam (3), sicut in cartis inde factis, et bulle plumbee patris nostri, vel sigilli nostri cerei munimine roboratis, plenius continetur; et alia quecumque dictus dominus pater noster vel mater nostra laudaverunt et

---

(1) Germain imprime, d'après le *Petit Thalamus*, B. Serrier (*Hist. de la commune de Montpellier*, t. I, p. 383).

(2) Cart.: *ad*.

(3) Lérida en Espagne (Voir sur cette affaire : *Bull. de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 20).

concesserunt, vel nos ipsi laudavimus et concessimus universitati Montispessulani, sicut in cartis inde factis plenius continetur: salvis vobis tam consuetudinibus et libertatibus ab antecessoribus nostris et nobis vobis concessis, quam nobis et successoribus nostris integriter, in omnibus, et per omnia, jurisdictione, dominatione ac vestra fidelitate et curie Montispessulani.

Datum Montispessulani, X kalendas septembris, anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo primo.

Signum Jacobi, Dei gratia regis Aragonum et regni Majoricarum, comitis Barchinone et domini Montispessulani.

Hujus rei testes sunt Hugo de Mataplana, Sancius de Orta, Guillelmus de Montecatis, Bernardus de Sancta Engenna, Garcia de Orta, Gaucerandus de Cartallaco, Gilabertus de Erezilis, Rodericus Gemicii. Signum Guillelmi Scribe, qui, mandato domini regis, pro Guillelmo de Sala notario suo, hanc cartam scripsit, loco, die et anno prefixis.

(Reg. A, fol. 177 r°, et Reg. D, fol. 312 r°).

Rappelons ce que nous avons dit, dans la *Revue Historique* (5e année, p. 21), au sujet de la chronologie de l'épiscopat de Jean de Montlaur. Élu en janvier 1231, soumis à une enquête (21 mai 1231), sacré évêque en 1234, il mourut en mai 1247. Pendant l'enquête, il administra le diocèse au spirituel et au temporel, ainsi qu'on le verra par la suite des actes.

CCCCLXXVI. — 29 octobre 1231

Laurent Soccellerius vend une vigne à Villeneuve sous la directe de l'évêque.

Anno Dominice Incarnationis M° II^c tricesimo primo, tercio kalendas novembris, ego Laurencius Soccellerius... vendo... tibi Bernardo de *Montaut* de Villanova, et tuis, et Marie uxori tue, ad omnes voluntates tuas... exceptis... cum consilio

semper episcopi Magalonensis, totam meam vineam carteriatam terre cum omnibus suis pertinenciis, que est in decimaria Sancti Stephani de Villanova, in terminio de Cellas; et confrontatur ex duabus partibus cum honore meo, et ex alia parte cum honore Petri Fredoli, et ex alia parte cum terminis (1) de Cellacio.

Propter hanc autem venditionem... dedisti michi, nomine precii, XXX et quinque solidos melgorienses, in quibus exceptioni non habitorum renuncio; et quod nunc et in futurum dicta quateriata plus dicto precio valere videretur, illud... dono et concedo.

Pro qua quateriata terre tu et dicta uxor tua dabitis singulis annis, nomine usatici, dicto domino episcopo IIII^or denarios melgorienses tantum.

Tradens tibi et dicte uxori tue vacuam possessionem inde apprehendendi vestra propria auctoritate; quam totam quateriatam terre... faciam te... semper habere... Pro eviccione... me et omnia bona mea tibi et tuis obligo.

Et ego Sibilda, uxor dicti Laurencii, predictam vendicionem et omnia suprascripta tibi dicto Bernardo de *Montaut*, et dicte uxori tue et vestris, laudo et confirmo, cedendo tibi et ipsi omnia jura que, nomine dotis mee, vel yppothece, vel alio modo, in dictam quartariatam terre habebam et habere debebam; que omnia et singula, dictis juribus meis renunciando, tibi et dicte uxori tue servare et nunquam contra venire promicto, et hec tibi plivo per fidem meam requisitam.

Testes sunt P. de Eravo, Guiraldus Bonpar, Bernardus Fausigena, Gitbertus de Montelauro, et Guillelmus Jordani notarius, qui rogatus a partibus hec scripsit.

(Reg. A, fol. 253 r°).

---

1 Cart.: *hymis*. La lettre *h*, qui peut aussi être *tr*, est barrée; = *herimis?* ou *terminis?* Nous préférons ce dernier: Voir quelques mots plus haut.

CCCCLXXVII. — Octobre 1232

Sentence prononcée par le bayle de Montferrand au sujet d'un pâturage sis dans la paroisse de Brissac.

Manifestum sit cunctis presentibus, clarum indubitatumque futuris controversiam diucius fuisse agitatam, in curia Montisferrandi, coram Guillelmo Hotonis, bajulo ipsius castri, inter Raimundum Atbrandum, canonicum Magalonensem [et] priorem Sancti Vincentiani (1), et Johannem Baudrans, et Johannem de Vilareto, et Johannem Americi, et Johannem Oliveu, et Rainars, et Mariam Gatau, et homines de *Anglars*, et de Resclausa, et de *Clopiac*, et de Breissaco, ex una parte; et Petrum de Manso, cum manso et (?) Valra (*tache d'humidité de 3 cent.*); que controversia talis erat :

Petebant siquidem supranominate persone quemdam locum, qui confrontatur ex una parte cum camino publico qui transit apud *Anglars* et itur apud Aganticum, et ex alia parte cum manso Cumba Loberia, et ex alia parte cum manso de Calmeta, pro patuo, dicentes illud esse patuum, sicut est confrontatum.

Petrus vero de Manso dicebat illud esse devesum suum.

Cumque super hujusmodi lis esset inter eos, predictus Raimundus Atbrandi et alii consocii sui, volentes intentionem suam fundare et confirmare, coram predicto bajulo sex testes produxerunt, scilicet Hugonem de Plantada, Johannem Baudran, Raimundum *d'Agones*, Petrum de Vilareto, Johannem de Rouveria, et quemdam alium; per quos (2) manifeste probaverunt dictum locum superius confrontatum esse patuum.

Petrus vero de Manso nullos testes vel instrumenta produxit, sed tantummodo asseverabat predictum patuum esse devesum suum.

At cum conclusum esset de facto in ipsa causa, predictus

---

(1) Cart.: *Vincentulni*. Saint-Messis, prieuré disparu, près de Cazilhac.

(2) Cart.: *pro quo*.

Guillelmus Otho, bajulus castri Montisferrandi, habito diligenti consilio et tractatu, consideratis dictis dictorum testium et fama communi; facto ab inicio sacramento de calumpnia, observatis his que in sententiis observanda sunt, locum superius confrontatum esse patuum per diffinitivam sententiam judicavit.

Lata fuit hec sententia sollempniter anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo trecesimo secundo, mense octobris, in presencia et testimonio Johannis Oliveti et Stephani fratrum, R. de Costa filii Petri Guiraldi, et plurium aliorum.

Ego Arnaldus de Lundris, Montispessulani, publicus Montispessulani notarius, hanc sententiam scripsi mandato dicti Guillelmi Hotonis bajuli; tamen quando lata sive prolata fuit sententia presens non interfui; quod mandatum fecit michi in presencia Johannis de Latis, judicis et cancellarii comitatus Melgorii sive Montisferrandi, Petri Adhemarii clerici, Raimundi Atbrandi canonici Magalonensis et prioris Sancti Vincenciani, anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo trecesimo secundo, tertio kalendas novembris.

(Reg. A, fol. 264 v°).

CCCCLXXVIII. — 3 mars 1232 (n. s. 1233)

Étienne, recteur de l'hôpital de Silve Gautier, promet obéissance à Jean de Montlaur.

Certum atque indubitatum sit... quod ego Stephanus [rector] de hospitali de *Selva Gautier*, volens et cupiens Magalonensem Ecclesiam illesam servare et jus suum custodire, recognosco... vobis, domino Johanni, preposito, et procuratori in episcopalibus Magalonensis Ecclesie, tam in spiritualibus quam in temporalibus, me fuisse institutum gubernatorem et rectorem in predicto hospitali per dominum Bernardum bone memorie, quondam episcopum Magalonensem, et per manum ipsius.

Recognosco ac confiteor me dictum hospitale gubernare et regere, sicut ab ipso ibi fui canonice institutus.

Et nos Johannes, prepositus, et procurator in episcopalibus Ecclesie Magalonensis, tam in spiritualibus quam in temporalibus, ratam habentes et firmam predictam institutionem, ipsam tibi, in quantum possumus, concedimus ; et eam de presenti confirmamus, scientes et recognoscentes te, junctis manibus, coram infrascriptis testibus, nobis obedienciam promisisse, et te et prefatum hospitale, et bona et jura ipsius hospitalis in protectione Dei et Ecclesie Magalonensis posuisse, et nos te et dictum hospitale recepisse.

Acta sunt hec anno Incarnationis Dominice millesimo ducentesimo tricesimo secundo, quinto nonas marcii, apud Montempessulanum, in domo predicti domini J ohannis] prepositi, in presencia et testimonio Poncii de Millanicis, W. *Peldieu,* prioris de Belloloco, Petri Virgilii canonici Nemausensis, et Johannis de Cocone, publici Montispessulani notarii, qui rogatus a partibus hec scripsit.

Post hec statim, confecto presente instrumento, ego Johannes de Cocone, notarius supradictus, emendavi in undecima [linea] et interlineavi *quinto nonas marcii.*

(Reg. E, fol. 225 v°)

CCCCLXXIX. — 13 novembre 1233

Jean de Montlaur, évêque de Maguelone, délègue l'archidiacre Raimond de Mèze pour approuver les règles données au monastère de Saint-Léon, fondé par Bernard d'Anglars.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, cujus una essentia, una virtus, una potestas.

Humani generis omnipotens Conditor, universorum Dominus, gerens protoplasti delictum misericorditer abolere, ut repararet populis paradisum, primum ducens filios Israel per desertum, deinde profanos per devia et inaquosa, ponens eis aspera in vias planas, et heremum pro cultura, ut eis sic

ostenderet gloriam regni sui, ob cujus talem ductum ipsi principes sunt effecti ; sic ad instar ipsorum, quum neminem vult perire, sed potius omnes cupit salvare clementer, inspiratione divina, novellam plantationem producit, eamque pullulare festinans, etiam que contraria sexui femineo decernuntur, cum prata virentia et aquorum decursus soleat appetere talis sexus, nunc alta, arida, inaquosa faciendo affectat, ut ad altiora provehi valeat in eternum, sperans rore Sancti Spiritus irrigari, qui non improperat sed dat omnibus affluenter.

Sane cum congregatio pauperum mulierum, tam virginum quam viduarum, in monte Sancti Leonis prope Montemlaurum, Magalonensis diocesis, Jhesu Christo gratis devotissime adhereret, ibidemque in solitudine, acephala (1), quodam tempore, jugiter Domino famulans extitisset, a venerabili domino Johanne de Montelauro, preposito ac vicario Ecclesie et tocius diocesis Magalonensis, una cum Bernardo *d'Anglars*, ecclesie Sancti Leonis priore, humiliter postulavit, quatinus, in ecclesia dicti montis qui fertur Sancti Leonis, constituhere monasterium dignaretur, quo jugiter Domino perpetuum obsequium prestaretur. Qui dominus prepositus, previdens proinde tantam devotionem, ac affectans eamdem totis viceribus amplectari sincere brachiis caritatis, postulationi jam dicte se devotissime inclinando, benignissime adquievit, desiderans insuper, nomine Jhesu Christi, ardenti animo exaltari.

Verum quia, pro negotiis tam episcopatus quam prepositure instantibus vehementer, accedendi personaliter ad locum prescriptum non habuit facultatem, provido et discreto viro domino R[aimundo], archidiacono Magalonensi, in cujus archidiaconatu mons predictus est situs, vices suas et locum sub hac forma comisit :

Johannes, prepositus, et procurator Ecclesie Magalonensis, viro venerabili et discreto R[aimundo], ejusdem Ecclesie archidiacono, salutem in Domino.

---

(1) Cart.: *achephala*.

Cum Bernardus *d'Anglars*, prior Sancti Leonis, et congregatio mulierum, tam virginum quam viduarum, ibidem Domino jugiter famulantium, a nobis postulaverint humiliter et devote, ut, in dicta ecclesia Sancti Leonis, ad obsequium Jhesu Christi, monasterium perpetuum statuhere dignaremur, in quo possent et deberent, sub certa regula, devotissime Domino famulari; quia, pro negotiis arduis tam prepositure quam episcopatus, hiis vacare non possimus de presenti, discretioni vestre presentibus omnino vices nostras committimus in hac parte, monentes vestram prudentiam, et in Domino deprecando, mandantes, quatinus, intuitu pietatis et numine, loco nostri, apud montem Sancti Leonis, in quo dicta ecclesia est fundata, in persona propria accedatis, et mulieres, quas ibi congregatas inveneritis, recepta prius a dicto priore et eisdem mulieribus promissione quod episcopo et Ecclesie Magalonensi perpetuo sint devote, et ei debeant obedire, tam super statu monasterii quam super regula quam affectant, et etiam super omnibus aliis, que visa vobis fuerint expedire, auctoritate nostra diligentius instruatis, et quod reformandum noveritis reformetis, ut tanti boni atque devotionis participes effici mereamur.

Damus insuper vobis plenam et integram potestatem et facultatem statuendi ibidem monasterium perpetuum, et regulam suprascriptam, et alia que ibi noveritis statuenda, atque mutandi, plantandi et evellendi, edificandi, augendi et minuendi, et exequendi penitus universa que ibi fuerint generaliter exequenda; claves insuper, vice episcopi, recipiendi, et velum ipsis monialibus imponendi; approbans, presentium auctoritate, quicquid in eadem statueritis, reformabitis, augebitis, vel minuetis, vel quolibet nomine aliter facietis, vel preceperitis observanda.

Datum apud Montempessulanum, septimo kalendas novembris.

Quarum igitur auctoritate, dominus Raimundus de Mesoa, archidiaconus suprascriptus, accersitis (1) sibi Willelmo de

(1) Cart.: *assersitis*.

Nozeto, priore Sancti Desiderii, et Johanne, priore de Albaterra, et Petro Guntardi, priore de Arsacio, et quibusdam aliis, in propria persona dictum montem ascendit : et ibidem pernoctans, provide inquirendo et perscrutando quecumque circa hujusmodi solent provide perscrutari, quia locus ille manifeste apparet fore deditus et aptus admodum contemplationi, habita diligenti circumspectione ac providentia, [de]liberatoque diligenti consilio et tractatu, facta etiam prius gratis, tam a dicto Bernardo *d'Anglars* priore, quam ab universis mulieribus, ibidem degentibus, resignatione ipsorum beneficiorum in manibus domini archidiaconi supradicti, necnon etiam traditis eidem domino archidiacono, tanquam episcopo et locum ejus tenenti, clavibus, et insuper data eidem domino archidiacono potestate, tam a dicto Bernardo *d'Anglars,* quam ab universis mulieribus suprascriptis, statuendi libere et plenarie, mutandi, plantandi, evellendi, edificandi, augendi et minuendi, hec statuit infrascripta :

In primis siquidem, tanquam episcopus et gerens vices ejus, instituit monasterium perpetuum in ecclesia Sancti Leonis predicta, et, illud solempniter statuendo, ibidem fore semper decrevit ; ac inde dictum Bernardum *d'Anglars* in fratrem dicte domus recepit, instituens insuper ipsum priorem et rectorem ipsius ecclesie et monasterii suprascripti Sancti Leonis, assignando similiter eidem ecclesiam Sancti Germani (1) ; necnon etiam illico in eodem monasterio moniales creavit, atque in sorores ejusdem recepit, scilicet Guillelmam de Soregio, Ceciliam de Monterotundo, Mariam de Lunello, Garsendam sororem ejus, Mariam de Corconna, Ermessendam Guillontam, Mariam de Montelauro, Berengariam Tabernariam, Dulcelinam Manentam, Johannetam Raynaldam, et Gaudiosam de Maisniaco ; tradens eisdem, ad obsequium Jhesu Christi, regulam beati Augustini, atque injungens eisdem et statuens eam ab ipsis ibidem perpetuo inviolabiliter observari.

(1) Saint-Germain de Fournès, aujourd'hui encore debout, avec son abside. De la voûte il ne reste que l'arc central.

Item statuit quod certus numerus dominarum, tam virginum quam viduarum, sit ibi perpetuo conclusus, scilicet decem et septem tantummodo, velatarum ; qui numerus ulterius non excedat, nisi de speciali mandato domini episcopi Magalonensis.

Item statuit quod conventus sive capitulum monasterii suprascripti, una cum procuratore vel administratore ipsius, sibi eligant priorissam claustralem, virginem, de ejusdem monasterio vel alio ejusdem professionis ; cujus electio[nem] perpetuo statuit fieri secundum formam domini Pape Innocentii tercii, cujus tenor talis est :

Quia propter diversas electionum formas, quas quidam invenire conantur, et multa impedimenta proveniunt, et magna pericula imminent ecclesiis viduatis, statuimus ut, cum electio fuerit celebranda, presentibus omnibus qui debent, et volunt, et possunt commode interesse, assumantur tres de collegio, fide digni, qui, secreto et sigillatim, vota cunctorum diligenter exquirantur, et in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto, ut, ea collatione habita, eligatur in quem omnes, vel major et sanior pars consentit ; vel saltim potestas eligendi aliquibus viris idoneis committatur, qui, vice omnium Ecclesie viduate provideant de pastore ; aliter electio facta non valeat, nisi forte communiter esset ab omnibus, quasi inspiratione divina, absque vitio celebrata. Qui vero contra prescriptas formas eligere attemptaverit, eligendi ea vice potestate privetur. Illud autem penitus interdicimus, ne quis in electionis negotio procuratorem constituat, nisi sit absens in eo loco, de quo debeat vocari, justoque impedimento detentus venire non possit, super quo, si opus fuerit, fidem faciat juramento ; et tunc, si voluerit, uni committat de ipso collegio vicem suam. Electionem quoque clandestinam penitus reprobamus, statuentes ut, quam cito electio fuerit celebrata, sollempniter publicetur.

Item statuit jam dictus dominus archidiaconus, quod predicta electa domino Magalonensi episcopo offeratur, ut confirmetur vel probetur ab eo ; cujus etiam approbatio et reprobatio, institutio et destitutio ad ipsum dominum Magalonensem episcopum spectet et pertineat perpetuo pleno jure.

Similiter statuit dominus archidiaconus suprascriptus, quod priorissa dicti monasterii et conventus, sive capitulum ejus, defuncto primitus dicto priore, ad quem nunc pertinet procuratio predictorum toto tempore vite sue, sibi procuratorem, vel administratorem, clericum vel laicum, unanimiter et concorditer eligere perpetuo teneantur, qui in temporalibus ipsis monialibus et monasterio presit ; qui etiam, singulis annis, quater, scilicet de tribus in tribus mensibus, eidem priorisse ac capitulo seu conventui rationem et computum de administratione sua veraciter reddere teneatur ; qui similiter procurator, sive administrator, domino Magalonensi episcopo presentetur, ut ab ipso domino episcopo recipiat claves, et administrationem gerendi negotia secularia monasterii suprascripti.

Item statuit quod, si dictus procurator, vel administrator male se habuerit, vel minus bene gesserit negotia monasterii suprascripti, per ipsam priorissam et capitulum seu conventum inde removeatur, scilicet de administratione predicta vel procuratione ; et ab ipsa priorissa et capitulo vel conventu, alius ab ipsis libere eligatur ad idem : qui, ut dictum est in precedenti proximo capitulo, domino episcopo similiter presentetur, qui ab ipso domino episcopo similiter recipiat administrationem.

Item statuit quod ille procurator vel administrator, qui instituetur, sive clericus sive laicus fuerit, sit frater ipsius monasterii ipso jure, ex quo instituetur ibidem in administratione vel procuratione predicta.

Insuper statuit quod dicta priorissa et monasterium teneantur perpetuo habere et tenere duos presbiteros, fratres vel conductitios, quorum alter tantum curam habeat animarum.

Adhuc statuit quod prefate decem et septem sorores dicti monasterii moniales deferant, sive portent, vela linea, alba, sine serico preter crucem rubeam, ad modum illarum de *Arboras* (1) : quod velum virgines non benedicte nullatenus

(1) Arboras : monastère de femmes fondé par les seigneurs de Lunel à proximité de cette ville, vers 1214. Ces détails nous permettent de connaître un peu Arboras.

deferant infra monasterium suprascriptum, nisi ille duntaxat que vela portabant ante istud statutum.

Statuit similiter, quod omnes predicte decem et septem domine panno albo unius pretii, scilicet de decem solidis duntaxat *la canna,* et non plus, tantummodo induantur.

Item statuit quod utantur pellibus albis duntaxat agninis.

Insuper etiam statuit quod virgines, ex quo benedicte fuerint et consecrate, non transcendant, vel exeant, terminos assignatos (1) in monte predicto Sancti Leonis, nisi tantummodo priorissa, que, causa necessitatis, inde exire, et unicam virginem benedictam, et aliam viduam velatam secum ducere possit ; que priorissa semper cum predictis duabus, et non aliter, inde exire debeat, neque possit.

Item statuit quod predicte virgines tonsuram cum flocis deferant congruam et honestam, ad modum dominarum de *Arboraz.*

Similiter statuit quod puelle non benedicte, dum exierint et fuerint extra monasterium, portent velum causa humilitatis: que inde exire nullatenus permittantur, nisi cum una de discretioribus et melioribus duabus viduis ipsius monasterii, que assidue maneat cum eadem et semper associetur ei tam in domibus parentum quam in aliis locis, die noctuque vigilando, et dormiendo, et comedendo, et jacendo in eadem domo cum ipsa, nec eam permittat cum aliquo vel aliqua ire solam, donec fuerit in monasterio jam reversa.

Item statuit quod aliqua mulier, in dicto monasterio recepta, minime possit habere vel portare velum, nisi fuerit de numero suprascripto decem et septem superius velatarum.

Item statuit quod omnes fratres, recepti in monasterio suprascripto, sive clerici sive laici fuerint, teneantur perpetuo portare vestes albas vel brunas, clausas atque rotundas ad modum mulierum. Verum laici, cum fuerint in labore, possint deferre caputia, cadrata atque longa usque ad femoralia, et cum foderint, tunicas fissas ante.

---

1 Les murs de clôture sont encore bien visibles sur le versant de la colline qui regarde Saint-Bauzille de Montmel.

Prefatus igitur prior Bernardus *d'Anglars*, et prefate mulieres superius recepte, audita et intellecta regula suprascripta, flexis genibus, junctisque manibus, ac positis infra manus domini archidiaconi suprascripti, per se et per omnes successores suos, dictam regulam sunt professi, promittentes eidem domino archidiacono, tanquam episcopo et locum domini episcopi tenenti, et facientes eidem obedientiam et debitam et devotam, se dictam regulam, necnon et prescripta statuta, ab eisdem similiter primitus diligentius intellecta, se fideliter ac inviolabiliter perpetuo in dicto monasterio tenere et observare.

Preterea eidem domino archidiacono, tamquam episcopo et ejus locum tenenti, gratis, solempni stipulatione interposita, promiserunt, quod priorissa vel conventus seu capitulum, vel procurator seu administrator dicti monasterii, vel aliquis alius pro eisdem, nunquam deinceps aliquo tempore privilegium aliquod impetrabunt ab aliqua persona, nec facient vel procurabunt ab aliquo impetrari contra Ecclesiam Magalonensem, vel membra ipsius; et, si unquam hactenus impetraverint, nullas deinde habeant vel obtineant roboris firmitates, et quod impetrato amodo non utantur; insuper firmiter promittentes, quod nunquam alio tempore se transferant, vel transfere possint, ad alium ordinem, regulam sive religionem.

Ceterum etiam, tam dictus prior, quam prefate sorores, per se et per omnes successores suos, Ecclesie Magalonensi, et dicto domino archidiacono, tamquam episcopo, gratis et devotissime obtulerunt, et promiserunt prestare annuatim in synodo Sancti Luche evangeliste, domino episcopo Magalonensi, unum obolum aureum, scilicet masmutinam, pro canone monasterii suprascripti.

Hec omnia suprascripta et singula, tam dictus prior, quam prenominate sorores dicti monasterii per stipulationem illibata tenere, et custodire, ac observare inviolabiliter promiserunt; et, tactis sacrosanctis Dei evangeliis, juraverunt per se et omnes successores suos, et insuper quod Ecclesie Magalonensi et domino ejusdem episcopo debeant perpetuo obedire.

Acta sunt hec omnia in predicta ecclesia Sancti Leonis,

idibus novembris, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo tercio, in presentia et testimonio Poncii de Soregio canonici Magalonensis, Bonafos prioris Sancte Cecilie de Tribus Lupis (1), Bernardi Girbaldi presbiteri, Boneti de Maisinaco, Johannis Tabernarii, et Petri Guntardi notarii, qui mandatus hec scripsit.

Post hec anno eodem quo supra, tercio kalendas decembris, dominus Johannes de Montelauro, jamdictus prepositus, et procurator Ecclesie et totius episcopatus Magalonensis, auditis et proinde intellectis omnibus suprascriptis, ipsa eadem omnia et singula suprascripta, qua fungitur auctoritate, laudavit et confirmavit... Insuper prefato monasterio, et dicto B[ernardo] *d'Anglars*, presenti priori, recipienti pro eo, prefatam ecclesiam Sancti Germani, tanquam prepositus et pro capitulo Magalonensi, concessit et perpetuo assignavit, sub certo tamen canone novem sestariorum bladi, duarum partium frumenti et tercie ordei, sibi perpetuo annuatim et successoribus suis prepositis Magalonensibus a dicto monasterio et priore prestando.

Acta sunt hec apud Montempessulanum in domo ipsius domini prepositi, que fuit Petri de Aquis vivis, in presentia et testimonio jam dicti domini R[aimundi] archidiaconi, B. de Muroveteri, prioris de Claperiis, P. Melgorii, procuratoris mense canonicorum Magalonensium, Bernardi Gibaldi presbiteri, B. de Sancta Cruce clerici, W. Alaman, Bernardi Radulfi munitoris, et Petri Guntardi notarii, qui mandatus hec scripsit.

(Reg. A, fol. 94 r° ; édité par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 254).

---

(1) Sainte-Cécile des Trois Loups : prieuré disparu, près de Cournonterral ; il dépendait du prieur de Saint-Firmin de Montpellier.

CCCCLXXX. — 11 août 1234

Vente d'une terre sise à Montaubérou dont l'évêque possède la moitié de la directe.

Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quarto, tercio idus augusti, ego Stephanus Perben blancherius... vendo tibi, Petro Ferrano blancherio, et tuis, ad omnes voluntates tuas... exceptis... cum consilio tamen domini Magalonensis episcopi, pro dimidia, et Hugonis de Sancto Johanne et Rostagni de Montearbedone et Johannis de Latis pro alia dimidia, scilicet quoddam planterium meum, cum omnibus suis pertinenciis et adjacenciis, quod est in parrochia de Montearbedone; et confrontatur ex una parte cum honore Bernardi Laurencii, et ex alia cum honore B., generis R. de Montearbedone, et ex alia cum honore meo, via in medio.

Pro hac quippe vendicione semper firma et stabili, scio me a te habuisse, nomine precii, septem libras Melgorii, in quibus renuncio scienter et expresse exceptioni non numerate pecunie et non soluti precii; quod plus valet... tibi et tuis dono... Et dabis inde annuatim prefatis dominis, in festo sancti Petri de augusto, sex denarios melgorienses, nomine usatici; et promitto tibi stipulanti quod dictum planterium... faciam te... habere...; et pro eviccione... obligo tibi me et omnia bona... Hec omnia tenebo.. tibi promitto fide mea plevita et requisita.

Et ego Maria, uxor dicti Stephani, predicta omnia laudo et confirmo; et, si quod jus habeo in dicto planterio ratione dotis seu hereditatis mee, tibi et tuis solvo et remitto, promittens bona fide mea plevita me contra nunquam venturam, renunciando omni juri, et expressim juri ypothecarum, et omnibus auxiliis seu beneficii[s] quibus contra predicta venire possem.

Testes sunt Nicolaus Seguini macellarius, Johannes frater ejús, Petrus Catalani, et Petrus Fulcranni notarius.

Post hec, eodem anno quo supra, quarto idus septembris, Guillelmus Pilus Dei, bajulus domini Johannis, Dei gratia Magalonensis episcopus, pro ipso domino pro dimidia, et Petrus

de Campaniis, procurator aliorum dominorum pro alia dimidia, predictam venditionem laudaverunt, et habuerunt inde pro laudimio undecim solidos Melgorii, in quibus renunciaverunt exceptioni non soluti laudimii.

Testes sunt W. Masacans corretarius, Bernardus Gaucelmi, et Petrus Fulcranni notarius, qui rogatus a partibus hec scripsit.

(Reg. E, fol. 132 v°).

CCCCLXXXI. — 15 septembre 1234

Pour satisfaire les créanciers de son frère Guillaume Aimeric, sa sœur, en qualité d'héritière, vend une partie de ses biens.

Anno Dominice Incarnationis M° CC° tricesimo IIII°, XVII kalendas octobris, cum hereditas Guillelmi Aymerici ere aliena sit gravata, ego Raimunda, uxor Petri Galterii presentis et consentientis, heres cum inventario a Guillelmo Aimerico quondam fratre mei, ad exsolvenda debita dicti Guillelmi Aymerici, in quantum bona inventa in hereditate paciuntur, instantibus creditoribus debita sua cum summa instancia sibi solvi petentibus, volens juri parere, et creditoribus, in quantum valent bona in hereditate inventa, de pecunia ex hiis bonis redacta satisfacere, et aliter (1) redegi ita commode non posset, nisi ad venditiones rerum accederem, infrascriptis pocessionibus sepe sepius a Guillelmo Johanne personata legitime preconizatis, et quod nullus emptor appareret in dictis pocessionibus emendis, qui tantum preciam offeret sicut Poncius (2) Botinus; et hoc constet omnibus hominibus de Melgorio, qui hoc scire volunt; et omni dolo et fraude remotis, et omnibus aliis exclusis et objectis, per que presens venditio in posterum posset recindi, vel revocari, seu retractari, per me et per omnem meam posteritatem vendo... tibi Pontio Botino, et tuis, et quibuscumque volueris... exceptis... salvo

(1) Cart.: *aliis*.

(2) Cart.: *Petrus*. Plus bas on lit: *Poncius*.

tamen et retento dominio, consilio, et laudimio, et usatico XVII solidorum melgoriensium et III denariorum, annuatim in festo sancti Michalis, priori ecclesie Beate Marie de Melgorio et successoribus suis, videlicet :

Duas pecias vinearum, cum terris in quibus sunt, cum omnibus suis pertinentibus, que sunt in vineto de Monterigol; quarum una confrontatur ab aquilone cum via qua itur apud Ovorium, a circio cum vinea de *na* Gamomeyra, a vento cum vinea Petri Boni oculi; altera pecia conjungitur a vento cum camino Lunelli, ab aquilone cum aquis (?) (1) Bndi Gaucelmi et fratrum suorum, a corina cum vinea Guillelmi Menatoris.

Item vendo tibi et tuis eodem modo et forma quo supra... tres pecias terrarum, cum omnibus suis adjacentibus, que sunt in territorio quod vocatur Peratium, quarum una continuatur a vento cum terra Marie de Alayranicis, a circio cum terra Petri Magistri; altera pecia jungitur a vento cum terra Geraldi Augerii, a circio cum terra Boneti de Albiniaco; tercia pecia conjungitur ab aquilone cum terra Geraldi Augerii, a vento cum terra Raimundi de Aspirano.

Item IIIIor sestaria ordei annualia et censualia, et tres denarios censuales, scilicet melgorienses, que dant Raimundus de Aspirano et frater ejus Deodatus pro quadam petia terre, que est apud Peratium, et confrontatur se a vento, et ab aquilone, et a circio cum terra Marie de Alayranicis.

Item duo sestaria frumenti censualia, que dat Johannes de Crescio pro quadam pecia terre, que tenetur a circio cum terra dicti Johannis, a corina cum via.

Item tria sestaria ordei, que dat G. de Foys pro una pecia vinee, et duo sestaria ordei censualia, que dat Michael Palerius.

Item duo sestaria ordei censualia, que dat Bndus Durantus.

Item quinque sestaria ordei censualia, que dat Guillelmus Bergonhon.

Item unum sestarium ordei censuale, quod dat R. Siffre.

Item aliud sestarium ordei censuale, quod dat Paluson.

Item tria sestaria ordei, que dat R. Dalgas.

---

1 Cart.: *aquil.*

Item unum sestarium ordei censuale, quod dat B. Pelliparius.

Item duo sestaria ordei censualia, que dat Giraldus de Blanqueria.

Item duo sestaria ordei censualia, que dat B. de Tornaco.

Item tres eiminatas ordei censuales, que dat G. de Furno.

Totus honor iste, pro quo dantur hec usatica suprascripta, confrontatur a vento cum via qua itur de Melgorio versus Hovorium, ab aquilone cum via qua itur versus Malerias.

Item unum sestarium ordei censuale, quo dat *na* Serinnaga pro quadam vinea, que terminatur a vento et a circio cum vineis quondam dicti Guillelmi Aymerici.

Item quartum fructuum, quem dat Marca, uxor Raimundi Roserii, pro quadam vinea, que tenet se a vento et a circio cum vineis quondam dicti Guillelmi Aymerici.

Item III eiminas ordei et unam terciam censualem, quas dat dictus Guillelmus de Furno, pro quadam pecia terre, que est apud Peratium, et confrontatur ab aquilone cum terra dicti Guillelmi Aymerici quondam, a circio cum terra Budi Garini.

Item unum sestarium ordei censuale, quod dat uxor Petri Boteti pro quadam vinea, que confrontatur a vento et a circio cum vineis quondam dicti Guillelmi Aymerici.

Predicta et singula, cum omnibus ad ea pertinentibus et adjacentibus, vendo... tibi dicto Poncio Botino et tuis, eodem modo et forma quo supra, et omnia jura realia, personalia vel mixta in dictis honoribus et eorum pocessoribus michi, vel dicto Guillelmo Aymerico, condam fratri meo, competentia vel competitura; et si aliqubi alia bona vel jura habebat dictus Guillelmus, frater meus, et ego, tanquam heres ipsius cum inventario, que teneamus ab ecclesia Beate Marie de Melgorio, illa tibi dicto Pontio Botino et tuis vendo...

Pro hac autem venditione... habui et recepi a te, nomine precii, precedente numeratione, quadraginta et novem libras melgorienses, quarum penes te nichil ad solvendum vel ad tradendum remansit; in quibus XLIX libris predictis exceptioni non numerate peccunie, renuncio. Et si plus dicto precio valet... illud totum... dono... renuncians omni juri, et rationi, seu consuetudini, et omni privilegio muliebri et omni beneficio

scripto... quibus... me juvare possem... per hec sancta Dei euvangelia a me corporaliter tacta, perpetuo rata, et firma, et incommota inviolabiliter observabo.

Et ego Guillelmus de Castriis, prior et procurator dicte ecclesie Beate Marie de Melgorio, prefatam venditionem, et omnia et singula suprascripta laudo, approbo, et confirmo tibi, dicto Pontio Botino et tuis: et inde habui a te et recepi, nomine laudimii et consilii, trescentos L solidos melgorienses, in quibus exceptioni non numerate peccunie et non solute renuncio; et ea habui ultra precium pretaxatum.

Testes sunt Poncius de Soregio, et G. de Marginibus canonici Magalonenses, Petrus Almeradi major, Raimundus Seguinus, Petrus Galterius, maritus dicte Raymunde venditricis, et Bndus Gaucelmi notarius, qui, mandato dictarum parcium, hec omnia scripsit.

(Reg. B, fol. 102 v°).

CCCCLXXXII. — 2 décembre 1234

Jean de Montlaur rend à Jacques Lombard le mas de Casesmales.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Presentis scripti patrocinio pateat... quod Jacobus Lombardi ad venerabilem patrem dominum Johannem de Montelauro, Dei permissione Magalonensem episcopum, conquerens, quod Raimundus Lamberti, filius quondam Guillelmi Lamberti, tunc tenens pro Magalonensi Ecclesia castrum Montisferrandi, usurpavit et eidem abstulit domum suam mansi de Casismalis, et interdixit usatica, que eidem debebantur pro mansis et dominationibus, ad ipsam domum de Casismalis, et ejus dominium pertinentibus; et quod partem usaticorum seu pensionum, propria auctoritate, predictus Raimundus ceperat, tam eumdem Jacobum quam ejus familiam afficiendo dampnis, et injuriis, et gravaminibus infinitis.

Quo audito, dominus episcopus memoratus vocavit dictum Raimundum Lamberti, et comperto, secundum verba ipsius

Raimundi Lamberti, quod hoc fecerat, quia predictus Jacobus canonem consuetum et servitium, quod pro dicto manso et mansis eidem subditis debebat solvere domino Montisferrandi, solveret recusabat, et quod pro eo quamdam quantitatem bladi habuerat de usaticis pertinentibus ad mansum de Casismalis, iniquum reputans quod memoratus Jacobus duplici dampno afficiatur, scilicet quod bladum suorum usaticorum et oleum suum idem Raimundus et castrum Montisferrandi perceperit, et ejus possessiones occupaverit, quasi per cessationnem non soluti canonis ceciderunt in commissum, cum non videatur debitum quod pro retentione fuit deductum et indempnitati consultum;

Considerans devotionem et fidelitatem Jacobi prelibati, habito consilio diligenti, voluit et concessit, ut, sicut utilius fuerit eidem Jacobo, res, que in commissum dicitur incidisse, de novo concedatur ei, et fiat nova concessio et datio, ut, sicut Guillelmus Raimundi de Casismalis, et ejus predecessores, mansum de Casismalis, cum omni integritate et jure, habent seu habuerunt et possederunt, cum usaticis et libertate, dominatione et potestate, et jure possessionis vel proprietatis, seu mixto, idem Jacobus et sui habeant et possideant imperpetuum, eo salvo, quod servitium et canonem consuetum et fidelitatem faciant et impendant eidem episcopo et successoribus suis, dominis Montisferrandi, sicut Guillelmus Raimundi de Casismalis et ejus predecessores, retroactis temporibus, facere consueverunt.

Acta sunt hec et laudata in aula domini episcopi apud Montempessulanum, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quarto, scilicet quarto nonas decembris, in presentia et testimonio Michaelis de Moresio, Magalonensis archidiaconi, Poncii de Laureto, Bernardi de Nozeto, magistri Guillelmi Regossa, canonicorum Magalonensium, Guillelmi Rotgerii, Thome Roderii, et Bernardi de Costa, notarii Montispessulani, qui, mandato partium, hec scripsit.

(Reg. E, fol. 309 v°; édité par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 241).

CCCCLXXXIII. — 2 décembre 1234

Jean de Montlaur II confirme à Jacques Lombard la possession du mas de Casesmales.

Nos Johannes de Montelauro, Dei permissione Magalonensis episcopus, comes Melgorii et Montisferrandi, considerata et conspecta fidelitate et amore pristino et antiquo, quem tu, Jacobus Lombardi, habuisti versus personas predecessorum nostrorum, et habes versus meam, et affectionem, quam tu habes versus meam, et affectionem, quam tu habes versus Ecclesiam Magalonensem; conspecto etiam quod dominus B[ernardus], bone memorie predecessor noster, laudavit tibi mansum de Casismalis (1), cum omni jure ad ipsum pertinenti, sicut unquam melius et plenius habuerunt et tenuerunt Guillelmus Raimundi de Casismalis et sui predecessores, in tota dominatione et jurisdictione Montisferrandi; et quod ejus voluntate et auctoritate adeptus fueris dominium et dominationem mansi de Casismalis et possessionem, ipso etiam approbante liberaliter; per nos et per omnes successores nostros, reddimus et restituimus tibi, Jacobo memorato, eumdem mansum de Casismalis, cum jure et libertate ad ipsum pertinenti, prout melius et plenius Guillelmus Raimundi in te transtulit jura sua, nomine dicti mansi ad ipsum pertinentia, videlicet in agriculturis, in nemoribus, in aquis, in riperiis, in venationibus, cultis et incultis, pascuis, garricis, hominibus et feminis, laudimiis, consiliis, senhoriis, serviciis seu dominationibus, et in omnibus mansis, ad ipsum Guillelmum Raimundi de Casismalis pertinentibus in tota dominatione et jurisdictione castri Montisferrandi, ita ut in ipsis habeas ita proprium et speciale jus dominii et possessionis, sicut aliquis miles dominii Montisferrandi in aliquibus bonis suis habere potest; tradentes inde tibi et tuis vacuam possessionem, volumus te ipsam et jubemus corporalem nancisci tua propria auctoritate, et de cetero uti et possidere; salvo tamen quod

(1) Voir cet acte : t. II, p. 290 de cette édition.

tu et tui successores teneamini nobis et nostris successoribus facere servitium, et canonem solvere, sicut alii domini mansi de Casismalis, et senhorium de Casismalis facere consueverunt.

Acta sunt hec, *etc.* (*comme au N° précédent*), *jusqu'à :* notarii, qui mandatus hec scripsit.

(Reg. E, fol. 310 r° ; édité par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 242).

CCCCLXXXIV. — 11 janvier 1234 n. s. 1235

Procès entre le seigneur d'Assas et celui de Teyran. Sentence de l'évêque.

Serie hujus presentis et publici instrumenti omnibus... sit manifestum atque notorium, quod controversia vertebatur inter Rostagnum de Arsacio patrem, et Rostagnetum ejus filium ex una parte ; et dominam Azalaciam, uxorem quondam Guillelmi de Albaterra, et Almeradum de Clareto, curatorem Bernardi Petri filii ejusdem Azalacie et quondam Guillelmi de Albaterra, et ipsum Bernardum Petri, auctoritate sui curatoris predicti, ex altera :

Super possessione et proprietate castri de Teirano et ville de Albaterra, et eorum pertinencium : et super dominio, seu dominacione, et senhoria, et jurisdiccione, ac districtu eorumdem ; et super firmanciis, justiciis, bannis et aliis juribus ad dominacionem, et senhoriam, et jurisdiccionem, ac districtum dicti castri de Teirano et dicte ville de Albaterra, tocius parrochie Sancti Andree de Albaterra, pertinentibus.

De quibus omnibus supradictis et singulis, et generaliter de omnibus queremoniis, et controversiis, et rancuris, et questionibus, peticionibus quas inter se modo habere possunt, vel debent, vel vise sunt habere, et contra se sibi facere vel movere sibi aliquatenus possunt, usque ad hodiernum diem, ratione vel occasione castri de Teirano et ville de Albaterra.

et pertinentium earumdem, dicte partes, scilicet Rostagnus et Rostagnetus ejus filius ex una parte, et dicta Azalacia et Bernardus Petri, auctoritate dicti curatoris sui, interveniente pro se et pro aliis liberis ipsius Adzalacie et quondam dicti Guillelmi de Albaterra, qui jus habent in predictis ex altera, compromiserunt in venerabilem patrem dominum J[ohannem], Dei gratia Magalonensem episcopum comitemque Melgorii et Montisferrandi, arbitrum seu arbitratorem, de communi consensu ipsarum partium electum ; promittentes sibi ad invicem, et sub pena mille solidorum melgoriensium, vicissim a partibus stipulata et promissa, et sub obligacione bonorum suorum, prestito etiam super hiis corporaliter juramento, se et successores suos facere, et complere, et tenere, et irrevocabiliter observare quicquid dictus dominus episcopus, super predictis, vel de predictis, vel aliquibus eorum, jure vel amore, seu etiam sua propria voluntate dixerit, statuerit, preceperit, ordinaverit, mandaverit, recitaverit, vel fecerit recitari, juris ordine observato vel pretermisso.

Fuit eciam hoc actum in ipso compromisso, quod, si aliqua parcium in aliquo contraveniret vel non obediret, dicta pena ab eadem parte alteri parti comiteretur, et nichilominus ratum et firmum remaneret compromissum, dictum, statutum, preceptum, ordinatum, mandatum a dicto domino episcopo, vel mandato ejusdem recitatum ; et in omnibus et singulis supradictis partes renunciaverunt omni juri scripto et non scripto... et specialiter dictus B. Petri, auctoritate sui curatoris predicti, minoris etatis beneficio ; et dicta Alasacia senatus consulti velleyani, et muliebri privilegio ; et generaliter omnibus aliis accionibus et beneficiis, quo vel quibus dicte partes se possent contra predicta firmare in aliquo vel tueri promiserunt.

Insuper dicta Azalacia et Bernardus Petri predictus, precedente sui curatoris predicta auctoritate, interveniente sollempni stupulacione, Rostagno et Rostagneto predictis, sub obligacione suorum bonorum et sub dicta pena et sacramento et eisdem renunciacionibus iteratis, se facturos et curaturos, quod liberi alii ipsius Adzalacie et quondam dicti Guillelmi de Albaterra, qui jus habent in predictis, rata et firma habeant

imperpetuum et observent inviolabiliter omnia et singula supradicta et nunquam contravenient.

Visis igitur et auditis, et diligenter intellectis, et perspicaciter indagatis peticionibus et defencionibus utriusque partis et omnibus rationibus, allegacionibus ab utraque parte propositis, inspectis eciam instrumentis ab ipsis partibus productis, inquisita super predictis a quampluribus veritate, habito cum dictis partibus diligenti tractatu, et habito super predictis plurium prudentium consilio, prefatus venerabilis pater dominus J[ohannes], Dei gratia Magalonensis episcopus, assidentibus eciam sibi Navarro de Melgorio jurisperito, et Bernardo de Costa Montispessulani notario, et Berengario Arnaldi Magalone infirmario, et Johanne Natali Melgorii bajulo, dictam controversiam seu controversias inter partes terminavit amicabiliter componendo :

Scilicet quod dicta Adzalacia et Bernardus Petri, ejus filius predictus, et eorum successores, et liberi ipsius Adzalacie et quondam dicti Guillelmi de Albaterra, qui jus habent in senhoria, et jurisdiccione, vel districtu castri de Teirano et ville de Albaterra, et pertinenciis eorumdem, de cetero habeant et teneant ad feudum, a predicto Rostagno de Arsacio et Rostagneto, ejus filio, et successoribus eorum qui Arsacium habebunt, dictum castrum de Teirano et villam predictam de Albaterra, et dominacionem, et senhoriam, atque jurisdiccionem, et districtum dicti castri et dicte ville, et tocius parrochie Sancti Andree de Albaterra, videlicet in firmanciis, et justiciis, et in hominibus, et feminis infra parrochiam Sancti Andree de Albaterra existentibus ; in bannis, et toltis, et collectis, ac quistis et in alberguis, in edificiis factis et faciendis, in heremis et incultis, in viis, in fluminibus et in ripis (1) eorum, et in omnibus aliis rebus infra eamdem parrochiam Sancti Andree de Albaterra existentibus ; et generaliter in omnibus omnino causis, que ad dominacionem vel senhoriam, et jurisdiccionem atque districtum dicti castri de

(1) Cart.: *riperiis*.

Teirano et ville predicte et tocius dicte parrochie pertinentibus, exceptis homicidiis et prodicionibis et sanguine, que ad comitem Melgorii spectant et pertinent, tanquam ad majorem dominum, a quo dictus Rostagnus et Rostagnetus, ejus filius, tenent omnia supradicta : et pro omnibus supradictis dicta Azalacia et dictus Bernardus Petri, vel alii liberi dicti Guillelmi de Albaterra et dicte Azalacie, qui jus habent in predictis, vel eorum successores faciant et facere teneantur dicto Rostagno vel Rostagneto, ejus filio predicto, vel successoribus eorum qui Arsacium habuerint, homagium et recognicionem dicti feudi; reddant et reddere teneantur similiter eisdem et dictum castrum de Teirano, et omnes forcias, et municiones factas vel faciendas infra dictam parrochiam, quociescumque dictus Rostagnus vel Rostagnetus, ejus filius, vel successores eorum qui habuerint Arsacium, hoc voluerint et exegerint bona fide.

Item statuit dictus dominus episcopus atque dixit et precepit, quod dicta Adzalacia et Bernardus Petri, predictus ejus filius, et alii liberi dicti Guillelmi de Albaterra, qui jus habent in predictis, faciant et facere teneantur pro omnibus sepefato Rostagno vel Rostagneto, ejus filio, vel successoribus eorum qui domini Arsacii fuerint, albergum duodecim militibus, videlicet pro castro de Teirano X militibus et pro villa Sancti Andree de Albaterra et ejus parrochia duobus militibus annuatim, si comes tamen Melgorii a prefato Rostagno vel successoribus ejusdem albergum exegerit decem militibus, quod eidem comiti dictus Rostagnus et ejusdem successores facere debent annuatim, si ipse hoc exegerit pro eodem feudo supradicto quod ab ipso comite Melgorii tenent : aliàs autem nisi in illo anno, in quo dictus comes dictum albergum X militibus a predicto Rostagno vel successoribus ejus exegerit, dicta Adzalacia et Bernardus Petri, ejus filius predictus, vel alii liberi dicti Guillelmi de Albaterra, vel successores eorum, dictum albergum X militibus predicto Rostagno vel Rostagneto, ejus filio, vel eorum successoribus, facere non teneantur.

Item dixit et precepit atque statuit dictus dominus episcopus quod dicta Adzalacia et Bernardus Petri, ejus filius, et alii

liberi ipsius Adzalacie et dicti quondam Guillelmi de Albaterra, qui jus habent in predictis, faciant guerram et guerram facere teneantur contra quemlibet hominem, excepto comite Melgorii, de castro de Teirano, et de forciis, et aliis municionibus infra dictam parrochiam Sancti Andree de Albaterra constitutis vel constituendis, ad commonicionem dicti Rostagni vel Rostagneti, ejus filii, vel eorum successorum dominorum Arsacii futurorum, quantumcumque ipsimet de castro de Arsacio facient guerram ; si autem dictam guerram facere nollent dicta Adzalacia, vel Bernardus Petri, vel alii liberi quondam dicti Guillelmi de Albaterra, vel successores eorum, tunc castrum de Teirano predictum, et alias forcias, et municiones infra dictam parrochiam constitutas, vel constituendas, predicto Rostagno vel Rostagneto, ejus filio, vel successoribus eorum dominis Arsacii futuris reddere teneantur ; et, finita guerra, dictus Rostagnus et Rostagnetus, vel successores eorum predictum castrum de Teirano, et forcias, et municiones supradictas prefate Adzalacie et Bernardo Petri, vel aliis liberis dicti Guillelmi de Albaterra jus ibidem habentibus, restituere teneantur.

Item dixit et statuit dictus dominus episcopus, quod quantumcumque fiet reddicio vel restitucio dicti castri de Teirano, vel forciarum, vel municionum predictarum, omnes res et jura utriusque partis remaneant salva et intacta pariter et secura.

Item dixit et statuit dictus dominus episcopus ut, si accideret quod successores dicti Rostagni de Arsacio vel Rostagneti, ejus filii, in futurum plures insimul fuerint domini Arsacii, a quibus predicta in feudum, prout dictum est, tenerentur, tum dictum homagium, vel feudi recognicionem, et dicti castri et dictarum forciarum reddicionem, et alia servicia predicta possit exigere tantummodo unus de successoribus ipsius Rostagni vel Rostagneti, ejus filii, sub forma predicta. Si tamen omnes predicti Rostagni successores vel Rostagneti, ejus filii, qui similiter essent in dicta exaccione predictorum, unanimiter concordarent, tunc eis omnibus communiter dicta Adzalacia et Bernardus Petri, ejus filius, vel successores

eorum, vel alii liberi dicti Guillelmi quondam de Albaterra, qui jus habent in predictis, predictum homagium et alia servicia facere teneantur.

Dixit preterea et recitavit prefatus dominus episcopus, quod dicta Adzalacia et Bernardus Petri, ejus filius, vel alii liberi dicti quondam Guillelmi de Albaterra, qui jus habent in predictis, vel successores eorum, possint diruere, vel dirui facere furnum in villa de Albaterra constructum, et municiones, et alia edificia in dicta villa facta, salvo tamen et durante dicto Rostagno et Rostagneto, ejus filio, et eorum successoribus, jure suo in solo et in honoribus, quem vel quos (1) [habent] in dicta villa de Albaterra vel infra parrochiam Sancti Andree de Albaterra, et prius etiam restitutis expensis, ad cognitionem duorum magistrorum, in dictis edificiis factis dicto Rostagno et Rostagneto, ejus filio, et eorum successoribus, et aliis hominibus, qui ibidem edificaverunt de novo.

Item dixit dictus dominus episcopus, quod dicta Adzalacia, et dictus Bernardus Petri, vel successores eorum possint accipere, et asportare, et facere asportari lapides et tecta et alia, que sunt in dictis edificiis dicte ville de Albaterra, apud Teiranum ad stare suum reficiendum, vel quidquid voluerint edificandum.

Item dixit et statuit dictus dominus episcopus, quod, de cetero, in dicta villa de Albaterra vel aliquo loco infra dictam parrochiam Sancti Andree de Albaterra, nulla forcia vel municio edificetur vel construatur, excepto castro de Teirano, nisi fieret de voluntate predicte domine Adzalacie et Bernardi Petri, vel aliorum liberorum quondam dicti Guillelmi de Albaterra, qui habent jus in predictis, et eorum successorum.

Preterea dixit et precepit, quod predicta Adzalacia et Bernardus Petri donent predictis Rostagno et Rostagneto, ejus filio, trecentos solidos melgorienses ad emendum quoddam stare in castro de Teirano ; quod stare habeant Rostagnus et

---

1) Cart.: *quod.*

Rostagnetus, ejus filius, et eorum successores, qui fuerint domini Arsacii sub tali pacto, quod ipsum stare alcius non elevent vel edificent, vel edificia alciora ibidem faciant quam modo sit edificatum, nec forciam ullam faciant ibidem, vel municionem aliquam vel aliquid aliud, quod possit vel videatur obesse ipsi castro de Teirano; et dictus Rostagnus et Rostagnetus, ejus filius, et eorum successores, qui domini fuerint Arsacii, habeant illud stare ab omni servicio liberum et immune ac absolutum. Tamen omnes homines de familia dicti Rostagni vel Rostagneti, ejus filii, vel eorum successorum, vel alii, qui in dicto stari manserint, teneantur prestare sacramentum fidelitatis predicte Adzalacie et Bernardo Petri, ejus filio, et successoribus eorum; et in eorum curia cuilibet de ipsis conquerenti respondere, et ejusdem curie jurisdiccioni subjacere; si autem aliquis eorum qui in dicto stari manserint, vel fuerint, dicte curie esset rebellis, tunc dictus Rostagnus vel dictus Rostagnetus, vel eorum successores, si ipsi ibidem extiterint, vel alii, qui in dicto stari fuerint, predictum rebellem vel rebelles dicte curie, ad commonicionem alicujus nuncii ejusdem curie reddere teneantur. Si autem dictus Rostagnus vel Rostagnetus, vel eorum successores, vel illi qui in dicta domo pro ipsis manserint vel fuerint, dictos rebellem vel rebelles, prout dictum est, reddere nollent vel etiam, si in dicto stari nullus alius esset preter illum vel illos qui rebelles essent, tunc prefata curia possit, sua propria auctoritate, per suos nuncios, dictos rebellem vel rebelles capere, et de dicto stari abstrahere, et de illis facere quod postulaverit ordo juris.

Dixit preterea et precepit dictus dominus episcopus, quod dicta Adzalacia et Bernardus Petri, ejus filius predictus, et successores eorum facere teneantur decoqui libere et absolute et sine fornatica in suo furno de Teirano panem ipsi Rostagno vel Rostagneto, vel successoribus eorum tantum, scilicet quantum opus fuerit familie dicti Rostagni in dicto stari manenti; si autem dicta Adzalacia vel Bernardus Petri, vel successores eorum hoc facere nollent, tunc dictus Rostagnus vel Rostagnetus, vel eorum successores possint libere habere

per unum diem in qualibet septimana furnum dictum, ad decoquendum panem sufficientem familie dicti Rostagni vel Rostagneti, vel successorum eorum, qui domini fuerint Arsacii; si tamen dictus furnus non esset necessarius per totam dictam diem ad decoquendum panem prefate familie sufficientem, tunc pro illa parte diei, in qua dictus furnus non esset necessarius ad hoc, dicta Adzalacia, et dictus Bernardus, vel alii liberi quondam dicti Guillelmi de Albaterra, qui haberet jus in predictis, et eorum successores possint uti furno predicto.

Item dixit et statuit dictus dominus episcopus, quod dicta Adzalacia et dictus Bernardus Petri, ejus filius, solvant et dent prefatis Rostagno et Rostagneto, ejus filio, supradictos trecentos solidos melgorienses pro emendo dicto stari, et restituant expensas dictorum edificiorum de Albaterra juxta cognicionem duorum magistrorum, sicut dictum est supra, ab hinc usque ad proximum instans festum sancti Petri de augusto; et quod dicti CCC solidi et predicte expense solvantur et restituantur de communi vinceno, vel setzeno, vel duodeno, vel de communi de collecta de Teirano et de Albaterra et de parrochia Sancti Andree de Albaterra et pertinencium ejusdem; et quod dictus Rostagnus et Rostagnetus, ejus filius, et dicta Adzalacia et dictus Bernardus Petri, ejus filius, et alii liberi dicte Adzalacie et quondam dicti Guillelmi de Albaterra, qui jus habent in predictis, bona fide laborent ut predicta, sicut dictum est, scilicet CCC solidi et expense dictorum edificiorum de Albaterra solvantur et restituantur de communi vinceno, vel sexeno, vel duodeno, vel de communi de collecta de Teirano et de Albaterra, et tocius parrochie Sancti Andree de Albaterra et pertinencium eorumdem.

Preterea, de consensu parcium, retinuit sibi dictus dominus episcopus potestatem eligendi dictos duos magistros, qui extiment dictas expensas dictorum edificiorum de Albaterra.

Item, de consensu parcium, sibi retinuit dictus dominus episcopus potestatem eligendi locum in dicto castro de Teirano, ubi ematur dictum stare ad opus dicti Rostagni et

Rostagneti, ejus filii, prout supra dictum est. Et ita sit pax et finis perpetuus super predictis omnibus inter partes predictas.

Quam composicionem, et ea supradicta universa et singula prefatus Rostagnus de Arsacio et Rostagnetus, ejus filius, ex una parte; et dicta Azalacia, uxor quondam Guillelmi de Albaterra et Bernardus Petri, eorum filius, predicta auctoritate dicti Almeradi de Clareto curatoris sui, et idem curator ex altera parte, sub dicta pena et sacramento, tactis iterato ab ipsis corporaliter sacrosanctis Dei quatuor evangeliis, ad invicem laudaverunt, approbaverunt, acceptaverunt, et confirmaverunt, et rata semper et firma et incommota tenere, custodire, observare promiserunt, renunciantes eedem partes omni juri scripto et non scripto... et specialiter et expressim prefatus Bernardus Petri minoris etatis beneficio et restitucionis in integrum, et omnibus aliis auxiliis et adjuvamentis, quibus se juvare seu contravenire possent.

Et incontinenti dictus B. Petri recognovit dictum feudum prefato Rostagno et Rostagneto, ejus filio, et eis pro dicto feudo homagium fecit. Et predicti pater et filius, scilicet Rostagnus et Rostagnetus de Arsacio, prefatum Bernardum Petri de toto feudo predicto in corporalem possessionem miserunt, presente dicto domino episcopo, comite Melgorii et Montisferrandi, et precipiente, et hiis omnibus auctoritatem suam et assensum seu decretum prestante.

Recitata est hec composicio, et a partibus laudata, in castro Villenove, anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo tricesimo quarto, scilicet tercio idus januarii, in presencia et testimonio Bernardi de Albaterra canonici Nemausensis, Fredoli de Sancto Johanne jurisperiti, magistri B. penitencialis prefati domini episcopi, B. Mascaron, Hugonis de Sancto Johanne, B. Descar, B. de Roca roya, Bertrandi Gaucelmi militum, Bertrandi de Ferreriis, Petri de Pamiis et jamdicti B. de Costa, Montispessulani publici notarii, qui, mandato prefati domini episcopi et precibus dictarum partium, hanc compositionem scripsit, factis duabus suprascripcionibus, quarum una est in secunda linea a principio hujus instrumenti

computanda, ubi dicitur *patrem* : secunda est in linea prope istam, ubi dicitur : *domini*.

(Reg. E, fol. 236 v ; d'après un vidimus de 1285 ; édité par M. l'abbé Villemagne, *Hist. de Peyran*, p. 44.)

CCCCLXXXV. — 2 août 1235

Raimond Pierre de Ganges reconnait à Jean de Montlaur II tout ce qu'il possède.

Hujus presentis et publice scripture testimonio sit presentibus manifestum... quod ego Raimundus Petri de Agantico fateor et recognosco a vobis domino Johanne, Magalonensi episcopo, nomine Ecclesie Magalonensis me tenere in feudum stare de Agantico in quo maneo, excepta turre (1) que est vel esse solet in capite camere dicti staris.

Item honores scilicet staria, munitas, campos et ortos in quibus Ecclesia Sancti Petri de Agantico [habet] usaticum, existentes in tenemento de Agantico; in quibus omnibus habeo vendendas et laudimia et terram : que, racione dictorum honorum, ad manus domini de jure pertinere possunt, aut solent, aut debent, excepto tamen usatico dicto, annuatim prestando ab incolis seu possessoribus predictarum rerum solo coherentium, que omnia ad feudum teneo nomine Magalonensis Ecclesie.

Item a vobis teneo illum murum, qui est a domo quondam Petri de Duabus equabus [a] turribus usque ad portale Bocherium, et a portale Bocherio usque ad portale de Cruce, usque ad domum Raimundi Boni amici ad consacum et ad duas domos ultra.

Item recognosco me tenere a domino Magalonensi episcopo in feudum mansum de Cuneo, cum hominibus, et feminis et omnibus ad eumdem mansum pertinentibus : et quidquid habeo in manso de Fesseriis, et mansum de Vernedam existentem in

(1) Cart.: *jure*.

parrochia Sancti Juliani, et appennariam de Molendinis; et quicquid habeo in manso de Bausge, et tenesonem quam tenui Galterius de Pomeriis in parrochia de Pomeriis; et quidquid habeo in territorio de Ciniols, et mansum de *las Trellas,* et mansum de Ficulneas (1).

Item teneo a vobis mansum de Losceres, excepto quarto et decima, qui sunt ecclesie de Agantico.

Item a vobis, ratione Magalonensis Ecclesie, augmentationes illas que fiunt vel in antea fient juxta ortos, quos a dicta ecclesia teneo juxta fluvium Sumene.

Item teneo a vobis in manso de Pinu albergum quatuor militibus, et in manso de Copiaco albergum tribus militibus, et duos gallones et unum sextarium de civada.

Item invenio in instrumento ab Arloyno confecto, et a domino Johanne, bone memorie Magalonensis Ecclesie [episcopo] comprobato, quod a vobis teneo, nomine Magalonensis Ecclesie, mansum de *Rusticanegues*, quem ignoro ubi sit.

Item teneo a vobis in manso de *Figares* albergum sex militibus, quod per dicti Aloidini instrumentum comprobatur.

Item teneo a vobis mansum de Montillis, et mansum de Verrerio; et pro hiis debeo vobis facere homagium et jurare fidelitatem, et valere vobis contra omnes homines in guerra et placito, et vos sequi vestris sumptibus; et in festo sancti Petri primo albergum quatuor clericis, et in sequenti festo sancti Petri de augusto albergum omnibus clericis, qui venerint ad ipsum festum apud Aganticum.

Et statim fecit dictus Raimundus Petri homagium, flexis genibus et manibus junctis, et juravit ei spontanea voluntate fidelitatem, vitam (2) et membra.

Acta sunt hec in ecclesia de Agantico anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo quinto, quarto nonas augusti, in presencia et testimonio Berengarii Arnaudi archipresbiteri Magalo-

(1) Ces lieux doivent être cherchés dans le Gard; nous le concluons du moins des deux paroisses de Saint-Julien de la Nef et de la paroisse de Pommiers : nouvelle preuve que les limites du comté étaient différentes de celles du diocèse.

(2) Cart.: *vestram et mambram.*

nensis, Guillelmi Regossa canonici, Raimundi de Lauda prioris de Agantico, Bernardi de Muroveteri, Stephani de Cognicio, magistri Michaelis de Salzeto canonicorum, Petri de Cornone prioris de Bodia (1); Fredoli de Roqua, Arnaudi de Castario, Bernardi Augerii, Fredoli vicarii de Agantico, Petri Raimundi de Montepetroso militum; Ademarii Cezailolis, Petri Ymberti, Guiraudi Ymberti, Raimundi Catalani, Raimundi de Gordone, Laurencii de Fanabre, Guillelmi Petri de Agantico, Poncii de Breyssaco, Guillelmi Gamella, Petri de Fontaneis, Bernardi Pellicerii, Raimundi Amici, Berengarii Fagonis, Bernardi Beis Rodes, Petri Avuncula, Petri Andree, Juliani Petri, Simonis fratris ejus, Johannis Beis Borserii, Raimundi Barbon, et plurium aliorum, et mei Bernardi de Costa, Montispessulani notarii publici, qui hec scripsi.

Post hec anno quo supra, octavo idus augusti, predictus Raimundus Petri, mandato dicti domini episcopi, castrum de Breissaco reddidit pro sua parte, et turrem (2) suam, et forciam et portalia Raimundo priori de Ruppe, et vexillo expenso fuit proclamatum super turre et super portalibus: *Melgorium! Melgorium! Montisferrandum! pro domino Magalonensi episcopo.* Et claves portalium reddite fuerunt apud Breysacum in presencia et testimonio Fredoli vicarii de Agantico, Raimundi Carbonelli pro dicto domino Raimundo Petri in ipso castro bajuli, Petri de Buxeria (3), Guillelmi Meruti, Deodati Clerici, Guillelmi Garnesii, et mei Bernardi de Costa notarii predicti.

(Reg. A, fol. 312 v°; d'après un vidimus dont la date est illisible, en tête du folio 313 v°.)

---

(1) Cart.: *Bordia*. Il s'agit certainement de Buèges.
(2) Cart.: *nurem*.
(3) Cart.: *Buxoria*.

CCCCLXXXVI. — 20 août 1235

Ermeniarde, abbesse de Saint-Geniès des Mourgues, reconnaît tenir de l'évêque ce que possède ce monastère dans les décimaries de Sainte-Colombe de Nissargues et de Saint-Michel de la Bruyère, près Saint-Geniès.

Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quinto, XIII° kalendas septembris, ego Ermeniardis, abbatissa monasterii Sancti Genesii, Magalonensis diocesis, nomine dicti monasterii,... recognosco vobis, domino Johanni, Magalonensi episcopo, et comiti Melgorii, nomine comitatus Melgorii recipienti, scilicet dictum monasterium Sancti Genesii habuisse et tenuisse, et nunc habere et tenere, ac illos, a quibus dictum monasterium causam habuit ab antiquo, habuisse et tenuisse ad feudum a vobis, ratione comitatus Melgorii, totam villam de Missanicis, ac dominationem seu senhoriam ejusdem ville, cum omnibus juribus et appendiciis ac pertinenciis ad dictam villam spectantibus : et generaliter totam parrochiam seu decimariam Sancte Columbe de Missanicis, et omnia et singula que infra dictam parrochiam continentur, sive habeat et possideat ea dictum monasterium, sive nomine dicti monasterii quilibet alii, mares vel femine, infra fines dicte parrochie : et etiam quicquid continetur a dicta villa de Missanicis usque ad caminum de Moneta (1), et usque ad riperiam *de la Vabre*, que riperia alibi vocatur Veridonna.

Item fateor et in veritate recognosco dictum monasterium a vobis, ratione comitatus Melgorii, sub eodem feudo habere et tenere totum illud quod dictum monasterium habet et possidet, seu alius vel alii, nomine ejus, in tota villa de Bruguериis, et ejus appendiciis seu pertinenciis, et generaliter omnia et singula que ad dictum monasterium pertinent, seu pertinere debent vel possunt, tam jure dominationis seu senhorie, quam quolibet alio jure seu modo, in tota parrochia seu decimaria Sancti Michaelis de Brugueriis.

(1) Voie romaine.

Et, pro toto hoc feudo supradicto, debet dare et dabit dictum monasterium, singulis annis, in festo sancti Michaelis, quinquaginta solidos melgorienses pro censu vobis dicto domino Johanni, episcopo Magalonensi, ratione comitatus Melgorii ; et debet jurare fidelitatem, mutata persona episcopi vel abbatissa, quam ego juro in presenti pro monasterio.

Et nos Johannes de Montelauro, Magalonensis episcopus et comes Melgorii, recipientes, nomine dicti comitatus, prescriptam feudi recognitionem, concedimus et laudamus atque confirmamus imperpetuum totum predictum feudum, et omnia et singula que in eo, vel infra ipsum feudum continentur, tibi Ermeniarde, abbatisse monasterii Sancti Genesii, et per te eidem monasterio, salvis tamen nobis, ratione comitatus Melgorii, dominatione et censu et fidelitate supradictis.

Concedimus etiam quod omnia et singula, quecumque dictum monasterium, seu alius vel alii, nomine dicti monasterii, acquiret in futurum in villa seu tota parrochia et districtu de Brugueriis, sive fuerint dominationes, seu possessiones, seu alia quelibet bona, omnia sint dicto monasterio, et pertineant ad dictum monasterium, sub predicto feudo et censu, ita quod propter ea non possit compelli dictum monasterium aliud servitium prestare, nec predictum censum augmentare.

Acta sunt hec sollempniter apud Melgorium, et interfuerunt testes magister Guillelmus Regossa, magister Michael prior de Sancto Baudilio, Bernardus de Muroveteri prior de Claperiis, Johannes de Latis jurisperitus, magister Bernardus de Roca, Petrus de Fabricis, Raimundus de Pace, Michael Vidianus, Bernardus Basterius, Johannes Natalis sacerdos, Petrus Baudrannus, R. Guiraldus, Guillelmus Martinus, Bernardus de Lausa, Bernardus Aymoynus, Bernardus Carbonnellus, Catalanus et Bernardus Gaucelmi notarius, qui, mandatus a partibus, hec omnia scripsit.

(Reg. E, fol. 229 r° ; édité par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 246).

CCCCLXXXVII. 16 janvier 1235 n. s. 1236

Testament de Gui Chef-de-Porc.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Anno Incarnacionis ejusdem millesimo ducentesimo tricesimo quinto, septimodecimo kalendas februarii, cum propter peccatum parentis primi universitas descendentium mortalis effecta fuerit .., ideo, ad perennem rei memoriam habendam, ego Guido de Grunerio, sive de Capite Porco, gravi infirmitate oppressus, sed, gratia divina interveniente, mente sanus, et in bona mentis valetudine existens, sic gadium sive ultimam voluntatem meam condo, et super bonis et juribus meis ordino et dispono, et omnes res meas divido.

In primis dimitto corpus meum sepeliendum in cimiterio Sancti Petri Magalone; et accipio pro anima mea et furnimento (1) corporis mei mille solidos melgorienses, quos egomet volo propriis manibus erogare.

Uxorem meam Beatricem michi heredem instituo, et rogo eam quod dictam hereditatem post mortem suam restituat Dalfino filio meo.

Guidoni et Bonefacio filiis meis dimitto cuique, jure institutionis, sex mille solidos melgorienses, et quod Guido habeat amplius necessaria quamdiu fuerit in scolis.

Guide et Dulcedine filiabus meis dimitto cuique, jure institucionis, quingentos solidos melgorienses.

Guillelmo filio meo dimitto, jure institucionis, omnes libros meos, exceptis libris legalibus, et quod provideatur ei per quinque annos in scolis.

Dalfino filio meo dimitto, jure institutionis, quingentos solidos melgorienses.

Et cognosco dictam uxorem meam Beatricem habere in bonis meis, nomine dotis sive hereditatis sue, trecentas sexaginta marchas argenti fini, quas volo, mando et jubeo quod possit recuperare, quandocumque voluerit, de bonis meis.

---

(1) Cart.: *furmimento.*

Hec est ultima voluntas mea, quam volo, laudo et confirmo, et modis omnibus valere precipio; et si non valet ut testamentum, valeat jure codicillorum, vel epistole, seu alterius cujuslibet ultime voluntatis.

Et si aliud testamentum vel aliquam aliam ultimam voluntatem unquam feci vel ordinavi, illam casso et anullo, et nullius valoris esse volo; et quod presens obtineat perpetuam firmitatem.

Hujus ultime voluntatis fuerunt testes vocati et rogati Deodatus de Palacio capellanus ecclesie Sancti Pauli, Johannes Leteria monachus, Rocafort miles, Raimundus Beceda jurisconsultus, Johannes Tabernarii, Raimundus de Parietibus, Deodatus Manenci, Guillelmus de Carvilario clericus, et Bertrandus Arcolen notarius, qui, precibus dicti testatoris, hec scripsit.

(Reg. E, fol. 281 v°; d'après un vidimus fait en 1246 pour les frères Gilbert et Maurin de Combaillaux, qui avaient des biens appartenant à cette succession).

CCCCLXXXVIII. — 15 mai 1236

Quittance pour quatre années de cens annuel dû par l'évêque de Maguelone au trésor pontifical.

(Reg. E, fol. 330 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 175.

CCCCLXXXIX. — 14 octobre 1236

Grégoire IX se plaint au roi de France des empiétements de ses officiers sur les péages et les châteaux du comté de Melgueil.

(Reg. E, fol. 28 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 182.

CCCCXC. — 24 octobre 1236

Grégoire IX écrit à l'archevêque de Vienne, légat du Saint-Siège, de faire restituer à l'évêque de Maguelone les châteaux aliénés par Raimond VI, et qui faisaient partie du comté de Melgueil.

(Reg. F, fol. 29 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 183.

CCCCXCI. — 24 octobre 1236

Grégoire IX se plaint à l'archevêque de Sens que le sénéchal de Beaucaire et les officiers du roi détiennent certains péages et aussi des châteaux, tels ceux de Laroque-Aynier, Montredon, etc., qui dépendent du comté de Melgueil.

(Reg. F, fol. 158 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 184.

CCCCXCII. — 31 octobre 1236

Raimond Lambert donne quittance à Jean de Montlaur de la somme de 16.000 sols.

Hujus presentis et publice scripture testimonio et auctoritate, universis presentibus pateat et futuris, quod ego Raimundus Lamberti, filius quondam Willelmi Lamberti, scio et in veritate confiteor et recognosco, sollempni stipulatione interveniente, vobis domino Johanni, Dei gratia episcopo Magalonensi, quod vos bene, integre ac plenarie solvistis, et numerando tradidistis michi illa videlicet sexdecim milia solidorum melgoriensium, que vos debuistis et promisistis michi dare et solvere, ex causa amicabilis composicionis et transactionis, facte inter vos ex una parte et me ex alia. Que quidem compositio amicabilis seu transactio facta fuit inter nos per dominum

Johannem, Dei gratia sancte Viennensis Ecclesie archiepiscopum, Apostolice Sedis legatum, prout in carta inde facta et scripta per manum Bertrandi Arnaldi, publici Montispessulani notarii, plenius continetur;

Que XVI milia solidorum melgoriensium supradicta, michi a vobis soluta, et a me habita et recepta, ut dictum est, me habuisse a vobis per solutiones in dicta carta contentas, et temporibus in eadem carta contentis, confiteor et cognosco; et de ipsis XVI milibus solidorum, jam a me habitis et a vobis solutis, me pro contento teneo et paccatum; renuncians, per me et per meos, ex certa scientia, exceptioni non numerate peccunie et non solute.

Unde, per me et per omnes meos, bona fide, omni fraude rejecta, vos memoratum dominum episcopum, et vestros, et omnes successores vestros, futuros imperpetuum episcopos Magalonenses, et omnia bona et jura episcopatus Magalonensis, de predictis XVI milibus solidorum melgoriensium jam a vobis plenarie solutis, et de omni eo quod vobis vel vestris, occasione dicte composicionis amicabilis seu transactionis, petere possem, cum hac presenti et publica scriptura libero imperpetuum, et absolvo, et quitios et quitia prorsus facio et clamo, faciens inde vobis, interposita stipulatione, bonum finem, et plenam remissionem, et absolucionem de predictis XVI milibus solidorum, et de omni eo quod, ut dictum est, a vobis petere possem, occasione dicte composicionis amicabilis seu transactionis, et pactum expressum de non petendo; tradens vobis de presenti cartam dicte composicionis seu transactionis, eo quia per vos est michi in dictis sexdecim milibus solidis, in dicta carta dicte compositionis seu transactionis contentis, et in aliis que a vobis, occasione ipsius composicionis et transactionis, petere possem, plene et liberaliter satisfactum; iterata stipulacione expromittens me nunquam contra predicta venturum, aut contra aliquod predictorum.

Sciens insuper et recognoscens me renunciasse, et adhuc renuncio, excepcioni non numerate peccunie, et tempori infra quod exceptio non numerate peccunie opponi potest.

Transcriptum vero dicte carte de dicta amicabili composicione et transactione facte, ego dictus Raimundus Lamberti penes me retineo, quod michi fecit et scripsit dictus Bertrandus Arnaldi notarius mandato et voluntate vestra, ad tollendum omnem questionem, si forte, quod absit, michi vel meis imposterum aliqua questio moveretur, occasione videlicet fructuum seu reddituum ac possessionum, a me seu aliis per me habitorum et perceptorum, castri de Monteferrando, et ejus pertinimenti, et Teralli et ejus pertinimenti, et aliorum locorum que in dicta carta sunt comprehensa.

Quod transcriptum michi profiteri volo tantummodo ad deffendendum.

Et nos, memoratus Johannes episcopus, confitemur nos dedisse, in mandatis, dicto Bertrando Arnaldi notario, ut, de dicta originali carta dicte composicionis et transactionis transcriptum tibi, dicto Raimundo Lamberti, faceret, ut tibi tantum ad deffendendum proficiat, et ad hoc ipsum transcriptum volumus te habere.

Acta sunt hec et laudata solempniter in domo dicti domini episcopi, in Montepessulano, in solio quod est supra Salam ejusdem, videlicet pridie kalendas novembris, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo sexto, in presencia et testimonio magistri Willelmi Regossa, W. Egidii, canonicorum Magalonensium, W. Bernardi prioris Sancti Nazarii, magistri Bernardi de Sancto Bricio, Guiraudi Ymberti, Raimundi de Pace, Pauli sacerdotis, Poncii de Millanicis, Berengarii de Fabricis, et aliorum, et mei Bertrandi Arnaldi, publici Montispessulani notarii, qui, mandato dicti domini episcopi et dicti Raimundi Lamberti, hec omnia scripsi.

(Reg. E, fol. 90 v°).

CCCCXCIII. — 11 décembre 1236

Grégoire IX écrit aux abbés de Saint-Jacques et de Saint-Aphrodise et au sacriste de Béziers de faire rendre à l'évêque de Maguelone par Tiburge, veuve de Bernard Pelet, les actes qu'elle possède intéressant le comté de Melgueil.

(Reg. F, fol. 124 r°).

Edité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 185.

CCCCXCIV. — 16 décembre 1236

Jacques, roi d'Aragon, fait hommage à Jean de Montlaur II pour Montpellier.

Certum et indubitatum est quod Jacobus, Dei gratia illustris rex Aragonum et Majoricarum, comes Barchinone et Urgelli, et dominus ville Montispessulani, filius quondam illustris Marie, regine Aragonum et domine Montispessulani, fecit domino Johanni de Montelauro, eadem gratia episcopo Magalonensi, homagium pro villa Montispessulani et castro de Palude, quod vulgo dicitur Latas, que ab episcopo Magalonensi tenet in feudum, in modum infrascriptum :

Nos Jacobus, Dei gratia rex Aragonum.... scientes et verissime cognoscentes nos tenere in feudum villam Montispessulani et castrum de Palude, quod vulgo dicitur Latas, a venerabili patre domino Magalonensi episcopo, et pro eisdem sacramentum fidelitatis prestare debere eidem, sicut vassallus domino prestare tenetur, et predecessores nostros, a quibus causam habemus, et in quorum feudum successimus, habuisse et tenuisse, et propter hoc eidem episcopo homagium fecisse, et sacramentum fidelitatis prestitisse, vobis, venerabili in Christo patri Johanni de Montelauro, Dei gratia Magalonensi episcopo, sponte et debite, manibus junctis et in vestris manibus positis, dato osculo pacis et firmitatis, pro predictis villa Montispessulani et castro de Palude supradicto, quod vulgo

dicitur Latas, certi de facto et cerciorati de jure, vobis homagium facimus sine dolo, secundum quod melius, fidelius et firmius intelligi potest.

Actum in Montepessulano, in domo Atbrandi filii quondam Raimundi Atbrandi, in presencia et testimonio venerabilis patris Berengarii episcopi, Petri Alberti, Vitalis de Canellis canonicorum Barchinonensium, Sicardi prepositi, Michaelis de Moresio, magistri Ugonis de Miramars, archidiaconorum, Guillelmi de Sancto Egidio archipresbiteri, Guillelmi Ebrardi prioris de Piniano, Guillelmi Regossa, Petri Moreti, Berengarii de Bojano, et Poncii de Galazanicis, canonicorum Magalonensium ; Bernardi de Sancto Briccio, succentoris Narbonensis, et virorum clarissimorum Raimundi Berengarii comitis Provincie, et Pontii Ugonis comitis Empuriarum, Assalliti de Goza, Ancelmeti Fer., Berengarii de Cervaria, Guillelmi Grossa, Arnaldi Surdi militum : Guillelmi de Sala jurisperiti ; et Guiraudi de Barcha, Bernardi Longi, Raimundi Amancii, consulum Montispessulani ; et Bernardi de Regordava jurisperiti, Atbrandi filii quondam Raimundi Atbrandi, Bernardi Capitis Bovis, Hugonis Pulverelli, Guillelmi Poncii, Johannis de Sancto Antonio, et multorum aliorum, et mei Bernardi de Costa, Montispessulani publici notarii, qui, mandatus et rogatus a predictis dominis episcopo et rege, hec scripsi, et omnibus supradictis interfui et signo meo signavi.

Actum loco quo supra, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo sexto, septimo decimo kalendas januarii.

(Reg. E, fol. 114 v° ; édité dans *Hist. gen. de Languedoc*, t. VIII, col. 997).

CCCCXCV. — 17 décembre 1236

Hommage prêté par Jacques d'Aragon à Jean de Montlaur suivant la formule spéciale aux seigneurs de Montpellier.

Presentis scripti serie apertissime declaratur, quod Jacobus, Dei gratia illustris rex Aragonum.... ad interrogationem

domini Johannis de Montelauro, eadem gratia episcopi Magalonensis, recognovit se eidem, precedenti die, homagium sibi fecisse pro villa Montispessulani et castro de Palude, quod vulgo dicitur Latas, que ab episcopo Magalonensi tenentur in feudum. Et statim, facta recognicione homagii, dictus dominus rex domino Johanni de Montelauro, episcopo supradicto, et Ecclesie Magalonensi, propositis, super altare Sancti Firmini in Montepessulano, corpore Jhesu Christi, cruce, reliquiis et textu Evangeliorum aperto, sacrosanctis Evangeliis manu tactis, sacramentum fidelitatis in modum prestitit subsecutum :

Audi tu Johannes, Magalonensis episcope, [quod] ego Jacobus, Dei gratia Aragonum. . ., ab ista ora in antea (*pareil aux serments prêtés par les seigneurs de Montpellier* (1), *t. I, p. 166*), *jusqu'à ces mots :* sic Deus me adjuvet et iste sancte reliquie, ac sancta Dei evangelia, que corporaliter manu mea tango.

Actum in ecclesia Sancti Firmini de Montepessulano, in presencia et testimonio Raymundi Berengarii viri clarissimi comitis Provincie, Arnaldi de Rochafolio, Berengarii de Cervaria, Assalliti de Goza, Jordani de Penna, Issemetii de Fouzers, Palosini, Ancelmeti Fer., Berengarii de Montedisderio, Bertrandi de Giniaco, Petri de Fabricis, filii Bertrandi de Montelauro, Philippi de Villanova, Dalmacii de Montearnaldo militum ; Guillelmi de Salis jurisperiti, Berengarii de Sobeiracio, Berengarii de Fabricis, Raimundi Riusec, Guillelmi Alamandi, Atbrandi filii quondam Raimundi Atbrandi, Bertrandi Medici, Petri Tahan, Guilllelmi Gauzi, Firmini *d'Eli*, Raimundi Audoini, Petri Cardaliaco, Michaelis Calveti, Cementarii ; et Willelmi de Rochafolio abbatis Sancti Willelmi, magistri Bernardi de Sancto Briccio succentoris Narbonensis, et Sicardi de Olargiis prepositi, Michaelis de Morezio, magistri Ugonis de Miramars archidiaconorum ; Bernardi de Muro-

(1) Il y a cependant une variante : aux lignes 11 et 23 de l'acte publié dans le Tome I, ajouter : *episcopum non habuerit*, prepositus *vel prior*.

veteri prioris de Fabricis, Willelmi Regossa, Petri de Cornone prioris de Boja, Petri de Melgorio conrezarii Magalonensis, Guillelmi de Castriis prioris de Melgorio, Deodati Bonelli sacriste Sancti Firmini, Guillelmi Gauzmini, Jacobi Vacca, Petri Moreti, Berengarii de Bojano, Bernardi de Clareto, Jacobi de Orlliaco, Poncii de Soregio, Guillelmi de Margis, Guillelmi de Montelauro, Poncii de Galazanicis, canonicorum Magalonensium; et Bernardi Porcelli, Laurencii Bocardi, Laurencii Paralops, Perpiniani presbiterorum; et Johannis de Soregio, Juliani, Bernardi Razoris, Bernardi Benciani, Guillelmi Rocha, Bernardi Brunenchi, diaconorum; et Raimundi de Sancto Guillelmo, Petri Genesii subdiaconorum; et Guillelmi Silvestri, Mathei Gili clericorum; et mei Bernardi de Costa, Montispessulani publici notarii, qui, mandatus et rogatus a predictis dominis episcopo et rege, hec scripsi et omnibus supradictis interfui, et signo meo signavi, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo sexto, sexto decimo kalendas januarii.

(Reg. E, fol. 114 v°; d'après un vidimus fait sous l'épiscopat de Pierre de Mirepoix; édité dans *Hist. gén. de Languedoc*, t VIII, col. 999).

CCCCXCVI. — 31 décembre 1236

Reconnaissance du monastère de Saint-Geniès des Mourgues faite à l'évêque par l'abbesse Ermeniarde.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Testimonio hujus publici instrumenti sit certum et manifestum quod nos, Ermeniardis de Montedesderio, humilis abbatissa monasterii Sancti Genesii, in Magalonensi diocesi et in comitatu Melgorii siti, reducentes ad memoriam nos sepe et sepius audivisse ab antecessoribus nostris et ab antiquis monialibus dicti monasterii, et in quibusdam nostris invenisse instrumentis, et etiam ab antiquis hominibus, tam clericis quam laicis, et per famam publicam,

quod monasterium predictum fuerat edificatum in comitatu Melgorii, permissione et consensu comitum Melgorii, in solo eorumdem comitum, ipsis comitibus dictum monasterium de possessionibus sui patrimonii hereditantibus, et ipsi monasterio in feudum honoratum et censatum concedentibus solum in quo dictum monasterium est edificatum, cum toto territorio circumstanti, et cum plena jurisdictione et mixto imperio atque mero, in toto loco ubi monasterium est edificatum, et in toto territorio circumstanti, sicut extenditur et continetur, seu includitur dictum territorium vel tenementum monasterii predicti et ville ejusdem, a nemore veteri, ubi est trivium quo itur versus Ro et Sanctum Genesium et versus Sanctum Briccium, et extenditur directe per viam qua itur a dicto trivio predicti nemoris veteris versus Sanctum Briccium usque ad caminum Monete ; et sicut per caminum Monete protenditur vel extenditur directe usque ad viam de Capreriis, qua itur versus Lunellum ; et sicut extenditur directe superius a dicto camino Monete per viam de Capreriis usque ad caminum Montispessulani et Sumidrii, ubi est trivium quo itur versus Galasanicas et Fallous ; et sicut extenditur directe a dicto trivio per dictum caminum Montispessulani et Sumidrii, qui facit transitum super roveriam de *Litraneques*, usque ad viam qua itur a dicto camino versus *Montelz* ; et sicut extenditur seu protenditur per viam de Montiliis, qua itur directe a dicto camino Montispessulani et Sumidrii versus Arnetum, usque ad alium caminum Montispessulani et Sumidrii, qui transit vel fit transitus apud Lestrenclerias ; et sicut extenditur a dicta via directe versus occidentem, per caminum predictum Montispessulani et Sumidrii, usque ad viam de Guardiis, qua itur a dicto camino versus boscum Sancti Genesii, qui vulgariter vocatur Boscus de Belloloco ; et sicut extenditur directe per dictam viam usque ad rocam Pesoillosam, que sic vocatur vulgariter, et est supra boscum predictum de Belloloco ; et sicut extenditur a dicta roca directe per cumbam, que est supra cortinam usque ad fluvium Besantici ; et sicut extenditur directe per fluvium Besantici inferius usque ad molendinum de Formica ; et sicut exten-

ditur seu protenditur directe a dicto molendino de Formica, usque ad predictum trivium nemoris veteris :

Nos, inquam, predicta Ermeniardis abbatissa, consensu et voluntate totius conventus nostri prefati monasterii, nolentes esse immemores tantorum beneficiorum, ipsi monasterio a comitibus Melgorii collatorum, cum ipsum monasterium semper defensum fuerit a dictis comitibus, et cum hominibus et juribus ad dictum monasterium pertinentibus, et maxime infra dictas tenesones constitutis, salvatum et protectum et manutentum; nolentes benefactores dicti monasterii, nec eorum successores, suis juribus defraudare, sed ipsi monasterio et ipsius benefactoribus jus suum illesum et integrum conservare, habito diligenti consilio et tractatu cum conventu nostro, et habita et requisita voluntate et expresso assensu Guillelme de Gualasanicis, Guarsendis de Baguamo, Ermeniardis de Arsacio, Johanne de Bosco, a toto nostro conventu constitutarum, per nos et per omnes abbatissas, in dicto monasterio nostro nobis succedentes, et pro toto conventu et capitulo nostro, necnon etiam pro dictis monialibus, super predicto negotio a prefato capitulo constitutis, ipsis consentientibus et laudantibus, recognoscimus vobis domino Johanni de Montelauro, Dei gratia Magalonensi episcopo, comiti Melgorii et Montisferrandi, et successoribus vestris in dicto comitatu, vel succedentibus, nos et omnes abbatissas, in dicto monasterio succedentes, et totum conventum nostri monasterii suprascripti tenere a domino Papa, et a vobis et successoribus vestris, comitibus Melgorii et Montisferrandi, a quo scilicet Papa vos, predictus dominus episcopus, dictum comitatum tenetis in feudum, recognoscimus solum totum in quo dictum monasterium Sancti Genesii, et villa, et suburbia, et edificationes, munitiones et constructiones, et fortie et edificia sunt constructa, et omnia suprascripta et singula superius nominata et non nominata, infra suprascriptas tenesones contenta, et etiam ipsas tenesones, et omnia suprascripta et singula a domino Papa et a vobis, et successoribus vestris, futuris comitibus Melgorii et Montisferrandi, tenere recognoscimus ad feudum honoratum et censatum, ita videlicet quod omnia

laudimia, consilia, usatica, feuda, et ad acapitum dationes, necnon et universaliter omnes alienationes, concessiones, distributiones, satisdationes, firmancias, quistas, exactiones, et justicias tam rerum quam corporum, pertinentes ad jurisdictionem et ad mixtum imperium et ad merum, et omnia universa et singula ad dominationem alicujus loci pertinentia infra dictas tenesones, seu spectantia, contigua seu adherentia, vel ab ipsis quoquo modo descendentia, dependentia seu discurrentia, vel aliter quocumque modo qui dici vel excogitari possit, adjacentia, dictum monasterium et abbatisse et bajuli ipsarum poterunt percipere, facere, agere et exercere sine consilio et requisitione vestri et successorum vestrorum, comitum Melgorii et Montisferrandi, et bajulorum vestrorum, seu locum vestrum tenentium.

De quo toto feudo et pro quo toto feudo, abbatisse predicti monasterii et ipsum monasterium nichil aliud vobis vel successoribus vestris, comitibus Melgorii et Montisferrandi, facere tenentur vel tenebimur, nisi tantummodo quod recognoscat, simpliciter et verbo tenus, se et dictum monasterium tenere dictum feudum a domino Papa et a dictis comitibus, et eis dare debere annuatim, ad festum sancti Michaelis, duos marabotinos aureos tantummodo pro censu et servicio dicti feudi ; ita quod nullum alium censum, servicium seu valenciam, dictum monasterium, seu homines ejus seu aliqui infra dictas tenesones commorantes, ex debito dare seu facere teneantur : quod si gratis facere voluerint, illud non cedat in prejudicium dicti monasterii vel ipsorum hominum ; nec in exemplum contra ipsum monasterium, vel ipsos homines, possit trahi, vel extendi aliquatenus in futurum ; nec per cessacionem usatici dictum feudum vel aliqua pars ipsius possit committi, vel incidere in commissum ; sed quod dictus census possit tantummodo peti et distringi a dictis comitibus, vel a suis, ratione temporis, in quo cessatum esset in solutione dicti census.

Et nos Johannes de Montelauro, Dei gratia Magalonensis episcopus, comes Melgorii et Montisferrandi, per nos et per omnes nobis in dicto comitatu succedentes, suprascriptam

feudi recognicionem scienter et consulte recipientes, sicut supra determinatum est, a vobis domina Ermeniarda, Dei gratia abbatissa dicti monasterii, factam, et omnia predicta et singula vobis et omnibus abbatissis vobis succedentibus, et monasterio vestro, et omnibus monialibus ejusdem presentibus et futuris, et hominibus apud dictum monasterium et infra dictas tenesones commorantibus, presentibus et futuris, laudamus, approbamus et imperpetuum confirmamus cum omni libertate et franquesa, et immunitate et defensione, consilio et auxilio, a nobis et futuris comitibus Melgorii et Montisferrandi vobis prestandis, salvis nobis et successoribus nostris duobus marabotinis predictis, ut dictum est superius, pro servicio atque censu.

Preterea si aliquid possimus petere in dicto feudo, vel in aliqua parte ejus, racione comissionis vel census non soluti usque ad presentem diem, illud totum remittimus et donamus Domino et dicto monasterio, et vobis prefate Ermeniarde abbatisse, et successoribus vestris pro dicto monasterio recipientibus.

Et si qui testes vel instrumenta inveniantur, per quos vel per que probari poterit quod dictum monasterium debuerit, vel debeat, dare vel facere comitibus Melgorii et Montisferrandi majorem canonem, sive censum, vel aliquod aliud servicium ultra dictos marabotinos, illud, de bona voluntate per nos et per omnes successores nostros, quantumcumque et qualecumque sit, dicto monasterio et vobis remittimus, salvis deinde nobis et successoribus nostris, comitibus Melgorii et Montisferrandi, duobus marabotinis, ut dictum est, pro censu dicti feudi : quod feudum nos et omnes successores nostri, comites Melgorii et Montisferrandi, tenemur et tenebimur salvare et defendere monasterio predicto, cum omnibus et singulis suis pertinenciis superius nominatis ; necnon et homines presentes et futuros, commorantes infra dictum monasterium et circa ipsum, et etiam omnes infrascriptas tenesones habitantes. De quo toto feudo nos prefatus episcopus, comes et dominus Melgorii et Montisferrandi, per nos et per omnes successores nostros, auctoritate domini Pape, a quo dictum

comitatum tenemus, et nostra, vos, predictam Ermeniardam abbatissam, investimus, et omnia predicta et singula, sicut superius sunt expressa, vobis et dicto monasterio valitura imperpetuum confirmamus.

Et nos, predicta Ermeniarda abbatissa, predictam investituram et infeudationem recipientes a vobis, domino Johanne predicto episcopo et comite, et nos, Guillelma de Gualasanicis, Guarsendis de Baguamo, Ermeniardis de Arsacio, Johanna de Bosco, moniales dicti monasterii ad hoc constitute a conventu et capitulo nostri prefati monasterii, omnia predicta et singula vera esse recognoscentes, ea omnia et singula imperpetuum valitura laudamus, approbamus et irrevocabiliter confirmamus.

Acta sunt hec sollempniter apud Montempessulanum, in domo dicti domini episcopi, videlicet in Sala, subtus capellam, anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo sexto, pridie kalendas januarii, in presencia et testimonio rogatorum testium, videlicet magistri Hugonis de Miramars, Magalonensis archidiaconi et prioris Beate Marie de Tabulis, magistri Guillelmi Regosse, Guillelmi de Sancto Egidio archipresbiteri, Bernardi de Muroveteri prioris de Fabricis, Magalonensium canonicorum; Petri Almera jurisperiti, magistri Bernardi de Sancto Briccio, Johannis Natalis bajuli de Melgorio, Raimundi de Pace, bajuli dicti domini episcopi, Bernardi Carbonelli, Petri Baudranni, Guillelmi Hugonis, Bermundi de Lausa, Poncii Duranti, Guillelmi de Lansanicis, Bernardi Lombardi, Stephani Sabbaterii, Guillelmi et Bernardi Martini, et mei Stephani Martini publici notarii, qui, rogatus hinc inde, hec omnia scripsi et signum meum apposui.

(Reg. E, fol. 228 r°; édité dans *Gallia christiana*, 1739, t. VI, *Inst.*, col. 368; et par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 243).

CCCCXCVII. 18 septembre 1237

Partage d'un tènement, sis à Montaubérou, resté indivis entre l'évêque, d'une part, Rostang de Montaubérou, Hugues de Saint-Jean et Jean de Lates, d'autre part.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Anno ejusdem Incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo septimo, scilicet quartodecimo kalendas octobris, manifestum sit presentibus et futuris quod hec est carta divisionis pertinimenti, facti inter dominum Johannem de Montelauro, Dei gratia Magalonensem episcopum, comitem et dominum Melgorii et Montisferrandi, et Raymundum de Pace, ejus bajulum pro ipso domino episcopo comite, ut dictum est, ex una parte; et Guillelmum de Texeriis, tutorem Rostagni de Montearbedone, et Hugonem de Sancto Johanne, et Johannem de Latis jurisperitum, ex alia parte, de honoribus infrascriptis;

Ipso Hugone de Sancto Johanne, per se et [per] Fredolum fratrem suum, quem promisit ratum habiturum, et Johanne de Latis predicto, provocantibus ad divisionem prefatum dominum episcopum et ejus bajulum pro eo, et dictum Guillelmum de Texeriis pro dicto Rostagno pupillo suo, ad partem siquidem dicti domini episcopi devenerunt.

[Siquidem] omnia dominia, laudimia, et usatica, et solum terre, que sunt de honoribus et in honoribus qui dicuntur patua, et sunt in parrochia Sancti Petri de Montearbedone, et confrontantur ex superiori parte cum via publica de novo facta, qua itur de Morinhaco apud Palmassanicas, et extenditur a capite carrerie usque ad honorem proprium Hugonis de Sancto Johanne, sicut quedam rasza extenditur usque ad dictum honorem Hugonis de Sancto Johanne, que rasza est inter honorem Martini de Sanchet, qui honor pertinet ad partem dicti Hugonis et Rostagni et Johannis; et inter honorem Petri de Rodes laboratoris, qui honor pertinet ad partem dicti domini episcopi: quicquid enim est de predictis honoribus, qui dicuntur patua, a dicta via de novo facta inferius versus

mare, sive sint dominia, laudimia, usatica, sive solum terre, hoc pertinet ad partem dicti domini episcopi.

Similiter quicquid est de dictis honoribus, a dicta via publica de novo facta et a dicta rasza versus septentrionem, in quantum se extendunt, pertinet totum illud ad partem predicti Rostagni de Montearbedone, et Hugonis de Sancto Johanne et Johannis de Latis, sive sint dominia, laudimia, et usatica, sive solum terre.

Et ita facta est divisio de omnibus supradictis honoribus, et usaticis, et dominiis et laudimiis, qui dicuntur pascua seu patua de Montearbedone, inter dominum predictum episcopum et Raimundum de Pace ejus bajulum, ad faciendam dictam divisionem constitutum a dicto domino episcopo et comite, ex una parte; et Guillelmum de Texeriis, curatorem dicti Rostagni de Montearbedone et pro ipso Rostagno, et Hugonem de Sancto Johanne, et Johannem de Latis ex alia, de omnibus suprascriptis ipso Hugone de Sancto [Johanne] et Johanne de Latis alios suprascriptos ad divisionem provocantibus, ut superius dictum est.

Hinc est quod ego Raimundus de Pace, bajulus prefati domini episcopi, ad supradictam divisionem de voluntate dicti domini episcopi faciendam ab eo constitutus, sciens et recognoscens omnia supradicta esse vera, et predictam divisionem tam voluntate dicti domini episcopi quam mea esse factam, ipsam laudo pro dicto domino episcopo et successoribus suis, approbo et confirmo; et de parte assignata superius dicto domino episcopo, et michi pro eo, per paccatum et per contentum dictum dominum episcopum et me pro eo teneo, laudans et confirmans vobis, Guillelmo de Texeriis pro dicto Rostagno, et Hugoni de Sancto Johanne, et Johanni de Latis, aliam partem, ut supra dictum est, vobis assignatam; de qua parte, auctoritate et mandato domini episcopi vos veros et justos possessores constituo, et jus dominii, proprietatis, et possessionis, et quasi possessionis vobis, pro dicto domino episcopo imperpetuum, et successoribus vestris plenarie cedo; et, vos investiendo, dictum dominum episcopum disvestio, salvo tamen dicto domino episcopo imperpetuum, et successoribus suis,

dominacione et servicio, quem ipse habet in parte vobis assignata, que est feudum quod tenetis ab eodem domino episcopo; pro quo feudo debetis dare et facere in utroque anno, videlicet in eo tantum in quo requisitum fuerit, albergum IIII^or militibus sine alio servicio; cujus possessionem et quasi, propria auctoritate vestra, vos adipisci jubeo et nancisci.

Et nos Guillelmus de Texeriis pro prefato Rostagno pupillo meo, et Hugo de Sancto Johanne, et Johannes de Latis, omnia supradicta et singula vera esse cognoscentes, partem, ut supradictum est, assignatam prefato domino episcopo et tibi, Raimundo de Pace supradicto, ejus bajulo pro ipso, ipsam partem eidem domino episcopo et successoribus suis laudamus et confirmamus, tenentes per bene paccatos et per contentos de parte, ut supradictum est, nobis assignata; laudantes et solventes predictam partem, ut supradictum est, eidem domino episcopo et successoribus suis sine aliqua retencione nostri et nostrorum; de qua parte ipsum dominum episcopum et te, dictum Raimundum de Pace pro ipso, investiendo, nos et nostros disvestimus, et ipsum verum dominum et justum possessorem constituimus, et jus dominii, proprietatis et possessionis et quasi possessionis ipsi domino episcopo et tibi pro eo plenarie cedimus; quam partem auctoritate vestra possitis adipisci et nancisci sine aliqua contradictione nostri et nostrorum.

Et ego Raymundus de Pace prenominatus, auctoritate mandati dicti domini episcopi, per ipsum et per omnes ejus successores, et nos Guillelmus de Texeriis pro dicto Rostagno, et Hugo de Sancto Johanne, et Johannes de Latis, per nos et per omnes successores nostros, omnes supradictas divisiones seu partitas ad invicem laudantes, approbantes et confirmantes, necnon et alia omnia supradicta et singula, promictimus ad invicem et convenimus, quod ea omnia et singula tenebimus, et observabimus, et dominus episcopus similiter; et contra predicta vel aliquid predictorum nunquam veniemus aliquo jure, ratione vel causa, que dici vel excogitari possit; renunciantes omnibus auxiliis et beneficiis indultis et indulgendis, quibus contra predictas divisiones seu partitas,

seu aliquod predictorum, nos juvare possemus seu contravenire.

Et ego Raimundus de Pace, pro dicto domino episcopo et successoribus suis, et ego Guillelmus de Texeriis pro dicto Rostagno pupillo meo, renunciamus expressim beneficio restitucionis, et omnibus auxiliis et beneficiis indultis et indulgendis personis ecclesiasticis, et pupillari etate seu minori constitutis.

Acta sunt hec et laudata apud Montempessulanum, in curia domini episcopi, anno et die quo supra, in presencia et testimonio Helesiarii Saragossa jurisperiti, Raimundi de Muroveteri prioris de Fabricis, Duranti Lamberti, Bernardi de Viridario, Guillelmi Hothonis, Petri Pauli, Guiraldi Dorsetti, Guillelmi Pili Dei, Raimundi Porcelli, Bernardi de Plantada, et Bernardi de Costa Montispessulani notarii.

Post hoc, eodem anno quo supra, pridie kalendas octobris, memoratus dominus Johannes de Montelauro, Dei gratia Magalonensis episcopus, omnibus supradictis universis et singulis, tam divisionibus quam aliis, auditis et diligenter intellectis, ipsa omnia universa et singula laudavit per se et omnes successores suos, approbavit, acceptavit, et confirmavit, et rata semper et firma habere et tenere promisit.

Actum apud Montempessulanum in presencia et testimonio Bernardi de Muroveteri prioris de Fabricis, Raimundi de Pace bajuli dicti domini episcopi, Guillelmi Pili Dei, et jamdicti Bernardi de Costa, Montispessulani et curie dicti domini episcopi notarii, qui precibus et mandato parcium hec omnia scripsit, et, ad majorem firmitatem prestandam, prefatus dominus episcopus presentem cartam bulle sue plumbee precepit munimine roborari.

(Reg. E, fol. 133 r°).

CCCCXCVIII. — 27 octobre 1237

Grégoire IX recommande à l'archevêque de Narbonne et à ses suffragants de prêter main-forte à l'évêque de Maguelone contre quelques-uns de leurs diocésains, qui lui ont causé des torts dans le comté de Melgueil.

(Reg. C, fol. 221 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 190.

CCCCXCIX. — 27 octobre 1237

Grégoire IX recommande à l'archevêque d'Arles, à l'archidiacre et au précenteur de cette Église de prêter main-forte à l'évêque de Maguelone contre certains chevaliers, qui ont causé du dommage dans le comté de Melgueil.

(Reg. C, fol. 221 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 192.

D. — 27 octobre 1237

Grégoire IX recommande à l'archevêque de Narbonne et à ses suffragants de faire observer la sentence d'excommunication que l'évêque de Maguelone a lancée sur quelques-uns de leurs diocésains, à cause de leurs déprédations dans le comté de Melgueil.

(Reg. F, fol. 135 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 193.

DI. — 27 octobre 1237

Grégoire IX se plaint à Atbrand et à Lambert, bayles de Montpellier, de leurs entreprises sur la juridiction épiscopale.

(Reg. F, fol. 168 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 196.

DII. — 29 octobre 1237

Grégoire IX recommande à l'archevêque d'Arles, à l'archidiacre et au précenteur de cette Église d'excommunier Atbrand et ses complices, s'ils ne se soumettent pas aux ordres qu'il leur a intimés.

(Reg. F, fol. 168 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 199.

DIII. — 20 février 1237 (n. s. 1238)

Jean de Montlaur II unit l'hôpital de la Silvegautier au monastère de Saint-Léon.

Noverint universi, quod nos Johannes, Dei permissione Magalonensis episcopus, plurium relatione fideli percepimus et frequenti, quod sanctimoniales monasterii Sancti Leonis, Magalonensis diocesis, que, in suo monasterio vite sanctitate, vigiliis et orationibus jugiter inherentes, gratum Deo exhibent famulatum, circa res temporales, ad vite sustentationem et alimoniam necessarias, defectum non modicum patiuntur, per quod timebatur, ut, fame propulse, cogerentur extra suum monasterium devagari;

Propter quod fuit a nobis humiliter postulatum, ut ipsis Christi pauperibus propter Deum, et ne ab incepto, propter famis angustiam, retrohantur, adhibere remedium curaremus, quod adhiberi posse de facili videbatur, cum prope istud monasterium esset quoddam hospitale, quod Selvagauterii appellatur, ad quod predia rustica et urbana et res alie pertinebant; que, negligentia ipsum hospitale regentium, atque facto diminuta, pejorata, et in parte magna erant deperdita et destructa, et in eodem debitum hospitalitatis obsequium fraudabatur;

Et super hiis plurime persone utriusque sexus, litterate et non litterate, religiose ac seculares nobis cum instantia supplicarunt, ut dictum hospitale, cum ejus juribus et omnibus

ad ipsum pertinentibus, eidem monasterio conferremus, et ipsorum monasterii et hospitalis unionem faceremus, perpetuo duraturam, ut dicto hospitali et rebus ejusdem, in jus, dominium et ditionem monasterii et sanctimonialium Sancti Leonis translatis, in eodem monasterio famularum sponsarumque Christi, munus orationum et consecrationum, franquesia elemosynarum, aliaque beneficia augerentur, et dicti hospitalis predia diligentius excolerentur, ne propter hoc hospitalis predicti hospitalitas et helemosyne perimi viderentur, sed in ipsis sanctimonialibus et per ipsas competentius et sanctius adimpleri, cum longe melius et sanctius sit, si res dicti hospitalis earum necessitatibus subveniant, que, propter Dominum Nostrum Jhesum Christum, mundum et omnia relinquerunt, facte fidei domestice, atque Christi cura, que bonum maxime convenit operari :

Nos vero, de premissis diligentius inquirentes, comperimus verum esse quod de dicto hospitali et ejus rectoribus propositum fuerat coram nobis; et insuper paupertatem monasterii memorati, et ejusdem sanctimonialium vitam laudabilem, et insuper sanctitatem. Unde apud Magalonam constituti, Magalonensi capitulo convocato, habito cum eodem super predictis consilio et tractatu, de ejusdem consilio et consensu, dictum hospitale Salvegauterii, cum omnibus ad ipsum pertinentibus, potestate et auctoritate qua fungimur, misericordie et pietatis divine intuitu, monasterio et sanctimonialibus predictis contulimus et assignavimus imperpetuum pleno jure, et dictorum monasterii et hospitalis fecimus unionem, retento nobis censu annuo infrascripto.

Quia vero eo res firmius geritur, quo plurium auctoritate firmatur, rem hanc sanctissimo patri in Christo P[etro], Dei gratia Narbonensi archiepiscopo, notam fecimus, ut eidem auctoritatem suam addere dignaretur, qui per suas respondit litteras in hunc modum :

P[etrus], Dei permissione Narbonensis archiepiscopus, venerabili fratri in Christo J[ohanni], eadem gratia Magalonensi episcopo, salutem et sincere dilectionis affectum.

Litteras vestras, quas per sanctimoniales monasterii Sancti Leonis, vestre diocesis, transmisistis, recepimus, et attendimus diligenter. Hinc est quod, vestris condescendentes precibus, animo gratuito et liberá voluntate, unioni seu collationi, quam, de consilio vestri capituli, hospitalis Salvegauterii, quod errore ipsorum regentium lapsum fuerat et destructum, monasterio monialium Sancti Leonis, vestre diocesis, dicitis misericorditer vos fecisse, assensum et consensum, cum omni illa firmitate, qua possimus, exhibemus, scientes quod in hiis et aliis, que ad vestrum cederent commodum et honorem, favorem, consilium et auxilium libenti animo preberemus. Credimus enim quod hujusmodi unione orationes, elemosine et alia bona quamplurima in dicto monasterio, Domino adjuvante, multipliciter augmententur.

Datum apud Sejanum, XIIII kalendas martii.

Adhuc autem nos J[ohannes], miseratione divina Magalonensis episcopus, pleniori inquisitione facta, videntes et manifeste perpendentes utilitatem et honestatem maximam versari in unione dictorum monasterii et hospitalis, et inde esse bona plurima processura, et ipsum hospitale et ad eum pertinentia necessaria esse monasterio sepedicto, in nomine Sancte et Individue Trinitatis, requisita, ut dictum est, voluntate venerabilis patris Narbonensis archiepiscopi et obtenta, de consilio etiam Magalonensis capituli et consensu, per nos et per omnes successores nostros Magalonenses episcopos, prefatum hospitale Salvegauterii et ecclesiam in eodem hospitali, seu juxta ipsum hospitale sitam, et ejusdem hospitalis jura, et ad ipsum hospitale omnia de facto vel de jure pertinentia, predia, culta et inculta, nemora, pascua, silvas, venationes, saltus, devesia, et domum ejusdem hospitalis Montispessulani, et cetera omnia et res omnes, mobiles et immobiles, et se moventes, corporales et incorporales, prefato monasterio jungimus et unimus, et prescriptum hospitale, cum ceteris omnibus ad ipsum de jure vel de facto pertinentibus, prefato monasterio Sancti Leonis et tibi Garcendi, ejusdem priorisse, et omnibus futuris post te priorissis, et omnibus sanctimonialibus ejusdem pre-

sentibus et futuris, ad habendum plene proprietatis et possessionis, vel quasi, et omni alio jure, donamus, concedimus, conferimus et irrevocabiliter assignamus, ordinantes et, auctoritate qua fungimur, statuentes ut tu et future post priorisse et sanctimoniales ejusdem monasterii, presentes et future, dictum hospitale, et cetera omnia ad ipsum pertinencia, eterno jure, habeatis et teneatis, et inde ut de aliis rebus dicti monasterii libere faciatis, et juria vobis vel rectoribus ejusdem hospitalis competencia vel competitura, in rem vel in personam, vel aliter qualitercumque, tibi et successoribus tuis post te priorissis concedimus, ad alimonie et necessariorum tui et sanctimonialium ejusdem monasterii relevationem; facientes te et futuras post prorissas, ut in rem tuam et dicti monasterii procuratricem, salvis tamen nobis et successoribus nostris, quolibet anno, et retentis, scilicet duobus sestariis boni olei et pulchri, in festo sancti Vincentii persolvendis, et aportandis apud Montempessulanum in domo nostra.

Acta sunt hec apud Montempessulanum, in aula domini Magalonensis episcopi, subtus capellam Sancti Petri, decimo kalendas martii, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo septimo, in presencia et testimonio Raimundi de Mesoa, Magalonensis archidiaconi, prioris de Lunello, magistri Guillelmi Regossa, prioris de Perolis, Bernardi de Muroveteri prioris de Fabricis, Berengarii Arnaldi, Magalonensis infirmarii, canonicorum Magalonensium, Guillelmi Pili Dei, Bernardi de Margiis, et Bernardi de Costa, Montispessulani et curie dicti domini episcopi notarii, qui, precibus et mandato partium, hec omnia scripsit et signum suum apposuit.

Post hec nos G[uillelmus], divina permissione sancte Narbonensis Ecclesie archiepiscopus, requisiti a priorissa et monialibus memoratis, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, v idus julii, predictam collationem seu unionem approbavimus, et confirmavimus, et sigilli nostri munimine fecimus communiri.

(Reg. E, fol. 226 v° ; édité par Germain dans *Arnaud de Verdale*, p. 259).

DIV. — 23 avril 1238

Sentence arbitrale entre Jean de Montlaur II et Adalaiz, veuve de Jean Boccados.

Cunctis presentibus certum et futuris indubitatum existat, quod dominus Johannes de Montelauro, episcopus Magalonensis, comes Melgorii et Montisferrandi, compromisit ex una parte in dominum Raymundum de Mesoa archidiaconum Magalonensem, et Guillelmum de Holon; et domina Adalaiz, uxor [Johannis] Boccados, tutrix Johannis et Guiraldi filiorum suorum et quondam filiorum Johannis Boccados, et heredum ejusdem Johannis Boccados, pro ipsis liberis suis, ex altera parte, compromisit in eosdem Raymundum de Mesoa et Stephanum de Holon, tanquam arbitros, seu arbitratores, seu amicabiles compositores, a partibus electos (1): videlicet super omnibus accionibus, peticionibus, prosecutionibus, questionibus, rancuris, seu demandamentis quas vel que dominus episcopus Magalonensis, comes Melgorii et Montisferrandi, faciebat vel facere poterat aliquo modo adversus heredes dicti Johannis Boccados, vel adversus bona dicti Johannis Boccados, occasione vel ratione honorum, possessionum, usaticorum, dominiorum, ochenorum, seu quorumlibet aliorum jurium, et fructuum, et obventionum, que vel quas dictus Johannes Boccados, per se vel per alium, habuisset vel percepisset de comitatu Melgorii et Montisferrandi, pertinencium vel expectancium ad predictum dominum episcopum vel ad predictum comitatum, sive ipse Johannes, vel alius nomine ejus, habuisset vel percepisset supradicta ab ipso domino episcopo Magalonensi, vel ab ejus antecessoribus, vel a comite Tholosano, condam comite Melgorii et Montisferrandi, vel ab aliis, nomine dicti comitatus, quocumque modo predictus Johannes habuisset, scilicet nomine pignoris, vel empcionis, vel donacionis, vel emphiteotici contractus; vel quocumque

1. Cart.: *electi*.

alio modo predictus episcopus haberet questionem vel demandamenta contra dictum Johannem quondam, vel contra heredes et bona ejus, vel nomine instrumentorum, vel quacumque alia ratione vel causa, scita et non scita, expressa vel non expressa, cogitata vel non cogitata ;

Vel ipse Johannes Boccados, vel domina Adalaiz, uxor ejus, tutrix dictorum liberorum suorum, vel ipsimet liberi possent facere vel movere adversus dictum episcopum, vel adversus dictum comitatum Melgorii et Montisferrandi, vel adversus comitem Tholosanum, nomine pignoris, seu obligacionis seu contractus facti vel inhiti ante comitem Tholosanum, vel alium nomine ejus ex una parte, et dictum Johannem Boccados vel alium nomine ejus ex altera, nomine dicti comitatus Melgorii et Montisferrandi, scilicet super possessionibus, seu proprietatibus, sive pr̃o mutuo vel mutuis, seu pignoribus, sive super sorte, seu usuris, vel aliis lucris et gravaminibus, seu dampnis datis, vel aliis interesse, q̃uos, et quas, vel que dictus Johannes Boccados passus fuit, seu heredes ejus passi sunt, vel in futurum possent pati ; vel quocumque alio modo predictus Johannes, et liberi, et heredes ejus, vel dicta domina Adalaiz, tutrix eorum, possent facere questiones seu demandamenta adversus dictum dominum episcopum, vel antecessores, vel adversus dictum comitatum ; vel possent movere aliquam questionem, accionem seu peticionem adversus predictum episcopum vel antecessores ejus, vel adversus dictum comitatum Melgorii et Montisferrandi, vel occasione dicti comitatus, vel alio quolibet modo, vel intellectu, cogitato vel non cogitato, expresso vel non expresso ;

De omnibus supradictis et singulis, et de omnibus generaliter que altera pars ab alia parte posset quoquo modo, utraque pars, scilicet dominus Johannes de Montelauro, episcopus Magalonensis, et comes Melgorii et Montisferrandi per se et successores ex una parte ;

Et domina Adalaiz, uxor condam Johannis Boccados, tutrix liberorum suorum Johannis et Guiraldi, filiorum quondam Johannis Boccados, et heredum ejusdem Johannis patris sui, pro ipsis liberis suis ex altera ;

Compromiserunt unanimiter in dictos dominos viros, scilicet dominum Raymundum de Mesoa, archidiaconum Magalonensem, et Stephanum de Holon; et illos arbitros... elegerunt super premissis et singulis supra expressis, et super aliis generaliter quecumque ad invicem petere possint quocumque modo, sub pena centum marcharum argenti fini, invicem a parte parti promissa et stipulata, et sacramento hinc inde firmata et roborata, ut dicti arbitri, predictas omnes questiones, et controversias, et demandamenta quecumque altera pars ab altera facere posset aliqua ratione vel occasione, audiant, examinent, et diffiniant jure vel amore, vel propria voluntate sua, ordine juris servato vel obmisso.

Promiserunt autem partes predicte ad invicem et dictis arbitris, stipulatione sollempni interposita, et sub pena dicta prestanda, coram dictis arbitris venire ad diem, et dies, et loca que sibi assignaverint arbitri predicti, et pignora ydonea et sufficiencia, ad eorum commonicionem et voluntatem, eis reddere.

Item promiserunt partes dictis arbitris stipulantibus, quod sub hiis omnibus satisdabunt, et securitatem prestabunt, ad eorumdem arbitrorum voluntatem et noticiam : et hoc compromissum, et composicionem, seu recitacionem, seu recitaciones, quascumque dicti arbitri super predictis fecerint vel recitaverint, facient laudari et confirmari, ad voluntatem et noticiam dictorum arbitrorum, ab universis et singulis personis, de quibus ipsi dixerint, vel esse laudandum cognoverint aut preceperint.

Et hec omnia et singula roboraverunt, et ad invicem laudaverunt, et inviolabiliter servare, custodire, et complere promiserunt partes supradicte, sub dicta pena centum marcharum argenti, sacramento hinc inde firmata, et vicissim promissa, et stipulata, danda a parte contraveniente parti hec omnia observanti ; qua pena soluta vel comissa, nichilominus compromissum, vel recitacio, seu composicio, vel pronunciacio vires perpetuas obtineant.

Pro hiis autem omnibus ita observandis et complendis, dominus episcopus, comes Melgorii et Montisferrandi, obligavit bona episcopatus [et] dicti comitatus prefate domine

Adalaiz, tutrici liberorum suorum, pro ipsis stipulanti et recipienti, et ipsis liberis. Et ipsa domina obligavit dicto domino episcopo et comiti bona liberorum suorum.

Et hec omnia et singula observare et complere, et nullo modo vel occasione contra venire dominus episcopus promisit prefate domine, stipulanti pro liberis suis, et ipsis liberis presentibus et stipulantibus; et, pro eo et ejus mandato, promisit et juravit corporaliter super sancta Dei evangelia, domino episcopo presente, super manum ipsius domini episcopi, scilicet Johannes Vitalis, sacerdos et bajulus Melgorii pro dicto domino episcopo.

Et domina Adalaiz, pro liberis suis, promisit et juravit corporaliter super sancta Dei evangelia domino Magalonensi episcopo jam dicto, comiti Melgorii et Montisferrandi stipulanti, renunciantes partes, in dicto sacramento, expressim omni appellationi, et contradictioni, et restitucioni, et autentico decrevimus(1), et ne ad arbitrium boni viri, vel ad aliquam curiam ecclesiasticam vel civilem recurrere, vel conqueri possint, stipulacione sollempni interposita, invicem promiserunt.

Dictum tamen fuit inter partes, et ad invicem promissum et laudatum, quod pena predicta comiti non possit nisi semel; et hoc compromissum durare debet usque ad diem sabbati post primum festum sancti Marchi.

Sed sciendum est quod, si dicti arbitri non possent concordari super predictis, omnia jura, unicuique competencia, remanebunt utrique parti penitus salva.

Acta fuerunt hec et laudata sollempniter et plene a partibus, anno Dominice Incarnationis M° II° tricesimo octavo, decimo kalendas maii, in presencia et testimonio Berengarii Arnaldi infirmarii Magalonensis, Willelmi Regossa canonici Magalonensis, Stephani Boccados, Petri Bonifacii, Nicholai de Sancto Nicholao, Ugonis Ymberti, Duranti Rosina, Deodati Fabri, Raymundi Benedicti, Bernardi de Monte Ferrando, et Guiraldi de Porta, publicus Montispessulani notarius, qui, mandato parcium, hec scripsit.

---

(1) Cart.: *decernimus*.

Post hec eodem anno quo supra, III° kalendas maii, in presencia et testimonio subscriptorum testium prefati arbitri... videlicet R. de Mesoa archidiaconus Magalonensis, et Guillelmus de Holon, ut predictum est, constituti et electi a partibus, scilicet a domino J[ohanne] de Montelauro, Magalonensi episcopo, comite Melgorii et Montisferrandi ex una parte : et a domina Adalaiz, uxore quondam Johannis Boccados, pro se et pro liberis suis ex altera ; visis et auditis rationibus, peticionibus, interrogationibus, defensionibus, responsibus, et instrumentis utriusque partis diligenter perlectis, et meritis cause diligenter et curiose inspectis et consideratis, videntes et manifeste recognoscentes utilius esse partibus, per composicionem partium, questiones et controversias sopire et determinare, super illis sententiam pronunciare, amicabiliter pronunciando et diffiniendo dixerunt, recitaverunt et preceperunt quod dicta domina Adalaiz, uxor quondam Johannis Boccados, et liberi ipsius (*mot illisible*), quorum ipsa tutrix est, debeant restituere et restituant, reddant, solvant et guirpiant predicto domino J[ohanni] de Montelauro, Magalonensi episcopo, comiti Melgorii et Montisferrandi, et successoribus suis, ad omnes voluntates suas (1) imperpetuum et libere faciendas, quicquid juris habent, vel possunt habere vel videntur habere, ratione possessionis, vel proprietatis, vel pignoris, vel juris emphiteotici, vel alio modo in gradu Magalonensi, vel occasione dicti gradus, et in tota parrochia Sancti Gervasii de Juviniaco ; et quicquam habent vel possident dicti liberi, vel alius nomine eorum, vel dicta mater et tutrix eorum possidet, vel poterat aut debebat habere vel possidere, occasione comitatus Melgorii vel Montisferrandi, vel occasione pignoris dati vel inhiti prefato Johanni Boccados a comite Tholose, filio condam regine Constancie, a fonte Lesi usque ad stagnum, et a flumine Lesi usque ad Amancionem, secundum quod continetur in quodam instrumento, bullato bulla plumbea, et confecto per manum Petri Carbonelli, notarii quondam Melgorii, quod incipit post Incarnationis : *notum sit*,

(1) Cart.: *sua*.

et finitur ante nomen notarii : *de Sancto Egidio,* excepto tamen manso de Crecio cum omnibus suis pertinenciis, et adjacenciis, et appennariis, et aliis que ad dictum mansum pertinent, vel quocumque modo videntur pertinere vel spectare debent : quem mansum, cum suis pertinenciis ejus, Johannes Boccados [habuit] in allodium a Raymundo Guillelmi de Salsano et W. de Rocafurcata militibus, prout in instrumentis inde confectis plenius continetur.

Item preceperunt et dixerunt dicti arbitri... quod dicta Adalaiz, tutrix liberorum suorum, et ipsi liberi solvant, finiant, et guirpiant, et renunciant imperpetuum prefato domino episcopo Magalonensi, comiti Melgorii et Montisferrandi, et successoribus suis, quicquid juris habent, ratione pignoris, occasione comitatus Melgorii et Montisferrandi, vel occasione alicujus episcopi Magalonensis, in villa Montispessulani et in villa Montispessulaneti, et in eorum pertinenciis, et in Terrallio vel in honore Terrallii, vel in molendino quod fuit Raymundi Benedicti et in ejus pertinentiis, et in castro de Gigiano vel in ejus pertinentiis, et in castro Melgorii, et in moneta, et obvencionibus et in ejus pertinenciis ; et in castris, et mansis, et forciis, et in quibuslibet aliis in dicto comitatu constitutis, occasione dicti comitatus Melgorii et Montisferrandi, excepto dicto manso de Crecio cum suis pertinenciis, sicud superius continetur; et quicquid juris dicti liberi habent vel habere possent, ratione obligacionis quindecim milium solidorum, de rebus contentis (1) et comprehensis in dicto instrumento, confecto per manum Petri Carbonelli notarii superius expresso, secundum quod continetur in quodam instrumento per manum Petri Guntardi notarii confecto, bulla plumbea domini G[uillelmi] de Altiniaco, Magalonensis episcopi, bullato (2) quod incipit : *manifestum,* et finitur ante nomen notarii : *Petri Lobeti ;* ipsa domina et ejus liberi solvant, et cedant, atque renuntiant imperpetuum dicto domino

(1) Cart.: *continentibus.*
(2) Cart.: *bulla.*

episcopo Magalonensi, comiti Melgorii et Montisferrandi, et ejus successoribus.

Item dixerunt et preceperunt dicti arbitri... quod dicta domina Adalaiz, tutrix dictorum liberorum suorum, et ipsi liberi solvant... et remittant domino episcopo Magalonensi, comiti Melgorii et Montisferrandi, et successoribus suis, imperpetuum, quicquid juris habent vel videntur habere, ratione possessionis, vel proprietatis, vel jurisdiccionis, vel alio modo in toto manso de Malestar, et in hominibus ejusdem mansi, et in toto manso de Equa longa, et in hominibus ejusdem mansi, et in manso de Velleterra et in hominibus ejusdem mansi, et in honoribus et terminis dictorum mansorum constitutis, et in omnibus aliis ad dictos mansos pertinentibus; quos dictos mansos cum suis pertinenciis dictus dominus G[uillelmus] de Altiniaco, quondam Magalonensis episcopus, comes Melgorii et Montisferrandi, dedit et tradidit in feudum honoratum et censatum dicto Johanni Boccados, secundum quod ista continentur in quodam instrumento, bulla plumbea ejusdem domini quondam episcopi bullato (1), et per manum Petri Guntardi notarii confecto, quod incipit : *clarum*, et finitur ante [nomen] notarii : *Boccados*.

Item dixerunt et preceperunt dicti arbitri... quod dicta domina Adalaiz, tutrix dictorum liberorum, et ipsi liberi solvant... atque donent domino Magalonensi episcopo, comiti Melgorii et Montisferrandi, et ejus successoribus, omnes acciones, peticiones, et prosecutiones, quas habebant vel videbantur habere, nomine dicti Johannis Boccados, vel nomine proprio, contra episcopum Magalonensem vel contra episcopalia bona, vel contra comitem Melgorii et Montisferrandi, vel contra comitatum Melgorii et Montisferrandi, vel contra promissores seu fidejussores, seu mandatores vel principales debitores, datos a dicto domino G[uillelmo] de Altiniaco, quondam episcopo Magalonensi, comite Melgorii et Montisferrandi, vel ab alio episcopo Magalonensi, vel ejus gratia

(1) Cart.: *pullato*.

constitutos, occasione XXXXIIII^or milium solidorum melgoriensium, de quibus fit mencio in quodam instrumento confecto per manum Petri Guitardi notarii, quod incipit, ut predictum est, *manifestum*, et finitur ante nomen notarii, *Lobeti*; et de omnibus aliis debitis in eodem instrumento contentis, et de debito trium milium et quingentorum solidorum melgoriensium, contento in quodam instrumento confecto (1) per manum Ademari quondam Montispessulani notarii, quod incipit: *sciant presentes*, et finitur ante nomen notarii: *Boccados*.

Item preceperunt quod ipsa domina Adalaiz et liberi ejus renunciant, guirpiant et solvant imperpetuum domino Magalonensi episcopo, comiti Melgorii et Montisferrandi, et ejus successoribus, omnia gravamina, dampna seu interesse, que dictus Johannes Boccados, vel domina Adalaiz, uxor ejus, vel dicti eorum liberi fecerunt, vel passi fuerunt, occasione episcopi vel episcopatus Magalonensis, vel occasione comitis seu comitatus Melgorii et Montisferrandi, et ab omni peticione et occasione, quam possent facere vel habere contra episcopum seu episcopatum Magalonensem, et contra comitem vel comitatum Melgorii et Montisferrandi, vel contra bona episcopatus Magalonensis, vel contra bona comitatus Melgorii et Montisferrandi, liberent et absolvant imperpetuum dicta domina Adalaiz et ejus liberi dictum dominum J[ohannem] de Montelauro, episcopum Magalonensem, comitem Melgorii et Montisferrandi, et ejus successores, et bona episcopatus et comitatus predicti; et pactum de nunquam agendo et de non ulterius petendo faciant imperpetuum dicta domina et ejus liberi prefato domino episcopo Magalonensi, comiti Melgorii et Montisferrandi, et successoribus suis, de omnibus et singulis quecumque petere possent, aliquo modo vel intellectu, adversus dictum dominum episcopum Magalonensem, comitem Melgorii et Montisferrandi, vel adversus successores ejus, vel adversus bona episcopatus vel comitatus, supradicto salvo dictis liberis Johannis Boccados

(1) Cart.: *confectum*.

manso de Crecio cum suis juribus, et salvo hoc quod dicti arbitri inferius recitabunt.

Dicti namque arbitri... recitaverunt, amicabiliter componendo, quod dicta domina pro dictis liberis, et ipsi liberi Johannes et Guiraldus semper teneant et habeant plenarie et in pace, ad feudum honoratum et censatum, a prefato domino J[ohanne] de Montelauro, Magalonensi episcopo, comiti Melgorii et Montisferrandi, et a successoribus suis, videlicet mansum totum de Crecio, cum omnibus mansis, et appennariis, et omnibus pertinenciis, et adjacenciis, quocumque modo ad ipsum mansum de Crecio pertinentibus; et illum mansum cum suis pertinenciis ipsa domina et ejus liberi eidem domino episcopo Magalonensi, comiti Melgorii et Montisferrandi, recognoscant sub annuo censu albergi duorum militum, cum prandio, et disnari et civata, dando eidem domino episcopo Magalonensi, comiti Melgorii et Montisferrandi, et ejus successoribus, in illis annis in quibus requisita vel petita fuerint tantummodo e dictis liberis; et si requisita vel petita non fuerint, vel eciam facta vel data dicta alberga non fuerint, annis in quibus petita non fuerint, postea illa non possint repeti ratione illorum annorum, in quibus petita non fuerint; nec aliquid, nomine comissionis, peti possit ab eisdem liberis nomine comissionis vel incursionis, propter cessationem illius usatici seu albergi predicti, non requisiti vel petiti per dominum episcopum vel per suos. Omnia autem laudimia, et usatica et servitia, que provenient ex honoribus dicti mansi de Cretio, vel ejus pertinentiis, sint dictorum liberorum et heredum suorum, et illorum ad quos ipsi dare vel relinquere voluerint perpetuo, et ad eos pertineant et perveniant pleno jure, ita quod dominus episcopus Magalonensis, comes Melgorii et Montisferrandi, vel [successores] sui, ibi aliquid petere vel contradicere nunquam possint vel debeant; si vero alique lites vel cause orientur inter aliquas personas, occasione honoris vel quarumlibet rerum seu jurium, in terminio dicti mansi de Crecio existencium, ille agitentur principaliter coram dictis liberis quondam Johannis Boccados, et per ipsos vel per judicem eorum determinentur. Appellationes vero que fient

nde, ad dominum Magalonensem episcopum, comitem Melgorii et Montisferrandi, et ad ejus (1) successores perveniant, et coram ipsis vel coram judice eorum agitentur, et diffiniantur et determinentur per eosdem. Dictum vero feudum dicti liberi quondam Johannis Boccados, vel eorum successores, si vellent illud alienare totum, non possint sine consilio et laudimio domini Magalonensis episcopi, comitis Melgorii et Montisferrandi.

Item pronunciaverunt dicti arbitri... quod dicti liberi Johannes et Guiraldus, fili condam Johannis Boccados, hec omnia et singula, in hoc publico instrumento scripta, laudent et confirment ad commonicionem domini episcopi Magalonensis, comitis Melgorii et Montisferrandi vel successorum ejus, cum sacramento, et cum carta publica, et sine omni expensa domini episcopi Magalonensis, comitis Melgorii et Montisferrandi, quando dicti liberi pervenerint ad etatem XIIII annorum, et eciam eadem omnia laudent et confirment, quando facti erunt majores XXV annis; et quod de hiis dicta domina Adelaiz teneatur, et eciam quod ipsa satisdet et securitatem prestet, ad noticiam arbitrorum, ut dicti Johannes et Guiraldus filii sui laudent hec, cum facti fuerint etatis XIIII annorum.

Item prefati arbitri... dixerunt et preceperunt amicabiliter diffiniendo et revocando, quod dominus J[ohannes] de Montelauro, episcopus Magalonensis, comes Melgorii et Montisferrandi, per se et successores suos solvat, guirpiat, donet et remittat dictis liberis et heredibus Johannis Boccados, et successoribus suis imperpetuum, omnem accionem, peticionem, et prosecucionem realem, personalem et mixtam, et aliam quamlibet, et omne quodlibet jus, quod vel quam dictus dominus episcopus, comes Melgorii et Montisferrandi, habet vel habuit, seu habebat, vel habere poterat, vel visus est habere, occasione alicujus pignoris seu pignorum, mutui seu mutuorum (2), seu perceptionum fructuum aliquorum hono-

(1) Cart.: *eos.*
(2) Cart.: *mutorum.*

rum, usaticorum, censuum, canonum, laudimiorum, acapitorum, albergorum, ochenorum, quartorum, vel nomine tallarum, seu collectarum, vel exactionum, vel aliorum quorumlibet jurium, quos, et quas vel que dictus Johannes Boccados, vel alius pro ipso, habuisset, vel percepisset, vel visus esset habuisse vel percepisse, vel habere debuisset, vel eciam post obitum dicti Johannis Boccados habuit vel percepit dicta domina Adalaiz, seu ejus liberi, vel alii pro eis habuerunt vel perceperunt de dicto comitatu Melgorii et Montisferrandi, vel de ejus pertinentiis, vel quocumque alio modo qui dici vel excogitari possit, ratione vel occasione dicti comitatus Melgorii et Montisferrandi, salvis hiis que superius recitata sunt.

Item dicti arbitri... voluerunt, et preceperunt, et per amicabilem compositionem recitaverunt, pro bono pacis et concordie, quod omnia et singula quecumque dictus Johannes, vel alius pro eo, vel dicta domina Adalaiz, vel ejus liberi, vel alius pro eis, super predictis fecit, dando ad *acapte* aliquos honores, vel laudando aliquos contractus, vel laudimia seu usatica, vel ochena percipiendo, vel remittendo, vel quocumque alio modo dominus jamdictus episcopus Magalonensis, comes Melgorii et Montisferrandi, et omnes successores sui, rata semper habeant et laudent de presenti, et super illis actis nullam questionem vel inquietacionem dictis liberis, vel dicte domine, vel alicui persone unquam faciant vel fieri paciantur.

Item dicti arbitri... dixerunt et recitaverunt, amicabiliter componendo, quod de usaticis, que adhuc debentur pro honoribus quos de dicto comitatu alique persone tenebant a dictis liberis, percipiebant dicti liberi usque ad VII libras melgorienses, de illis scilicet usaticis, que dicta domina Adalaiz declaraverit et dixerit dictis arbitris que adhuc debentur, vel aliquibus personis de tempore preterito, et quod dominus episcopus Magalonensis, comes Melgorii et Montisferrandi, faciat illos, qui dicta debent usatica, compelli ad solvendum illas VII libras prefatas liberis, ita quod dictus dominus episcopus tradat quendam nuncium suum prefatis liberis ad

compellendum illos, qui dicta usatica debent, ad persolvendum illas VII libras liberis supradictis.

Item dicti arbitri... dixerunt, preceperunt et per amicabilem compositionem recitaverunt, quod dominus episcopus Magalonensis, comes Melgorii et Montisferrandi, vel successores sui dent, solvant et tradant, nomine hujus compositionis seu transactionis, prefatis liberis undecim milia solidorum melgoriensium per hos terminos, scilicet in proximo venturo festo Omnium Sanctorum tria milia solidorum melgoriensium ; et deinde, singulis annis, ad festum Omnium Sanctorum, duo milia solidorum, quousque tota dicta summa undecim milium solidorum fuerit plenarie soluta et tradita, remota penitus et exclusa omni questione, exceptione, et compensatione ; ita quod dominus episcopus Magalonensis, comes Melgorii et Montisferrandi, vel aliquis pro eo, a solucione dictorum XI milium solidorum se thueri vel defendere minime possit aliqua ratione, vel occasione, vel aliqua compensatione ; et quod, de hiis XI milium solidorum ita solvendis, satisdet dictus dominus episcopus per sufficientes et ydoneos debitores et paccatores, ad voluntatem et noticiam ipsorum arbitrorum.

Item dicti arbitri retinuerunt sibi, salva voluntate partium unanimiter hec volencium et concedencium, quod si aliqua questio vel dubitatio super predictis oriretur inter partes, illas possint ipsi duo viri predicti arbitri audire, declarare, interpretari et determinare suo proprio arbitrio et voluntate, ordine juris adhibito vel obmisso ; cui declarationi, interpretationi et determinationi utraque pars obedire et stare dictis arbitris, necnon pars parti, ad invicem, sub dicta pena promisit ; post annum vero, ab hac die computandum, potestas predicta a partibus superius memoratis arbitris finita erit penitus et exclusa.

De hiis autem que dicta domina Adalaiz vel ejus liberi habent vel possident, vel ad eos quocumque modo pertinent in Montepessulano vel in Montepessulaneto, vel in eorumdem locorum pertinenciis, nichil, occasione hujus compositionis, dicta domina vel ejus liberi donare vel remittere debeant, nec donasse aliquid aut remisisse intelligatur prefato domino epis-

copo Magalonensi, comiti Melgorii et Montisferrandi, vel ejus successoribus, nisi tamen illud esset habitum, vel perceptum, vel acquisitum a Johanne Boccados vel a suis, vel esset ad eos proventum intuitu comitatus Melgorii et Montisferrandi, vel nomine pignoris, eidem J[ohanni] Boccados vel suis dati vel missi seu subpositi, vel alio modo, occasione dicti comitatus Melgorii et Montisferrandi, illud esset a Johanne Boccados vel a suis habitum vel acquisitum.

Hanc amicabilem compositionem et hec omnia et singula suprascripta nos, Johannes de Montelauro, Magalonensis episcopus, comes Melgorii et Montisferrandi, per nos et successores nostros, et ego Adalaiz, uxor quondam Johannis Boccados, pro me et pro liberis meis Johanne et Guiraldo, et ego dictus Johannes, filius quondam Johannis Boccados, factus major XIIII annis, cum consilio et voluntate dicte domine Adalaiz, matris mee, et aliorum amicorum meorum, cognoscens hec ad utilitatem meam et fratris mei Guiraldi pertinere, laudamus, approbamus et confirmamus, et imperpetuum valitura altera pars alteri ad invicem concedimus, sicud superius scripta sunt; et hec omnia et singula ita observaturos, et nulla ratione vel occasione contra ea vel eorum aliquod unquam venturos, altera pars alteri ad invicem promittimus.

Nos, J[ohannes] de Montelauro, episcopus Magalonensis, comes Melgorii et Montisferrandi, promittimus vobis Adelaiz, et Johanni et Guiraldo, filiis ejus stipulantibus, in bona fide nostra, et nos Adalaiz, et Johannes filius ejus, spontanea voluntate nostra et ex certa sciencia, promittimus et juramus vobis domino J[ohanni] de Montelauro, Magalonensi episcopo, comiti Melgorii et Montisferrandi, per sancta Dei evangelia, a nobis corporaliter tacta, renunciantes omni juri scripto et non scripto, speciali et generali, divino et humano, promulgato et promulgando, et omnibus auxiliis et beneficiis quibus nos tueri possemus.

Et preterea ego dicta Adalaiz, per me et per meos, gratis et ex certa sciencia, quantum ad me pertinet, laudo et confirmo hanc amicabilem compositionem, et hec omnia et singula vobis domino J[ohanni] de Montelauro, Magalonensi episcopo,

comiti Melgorii et Montisferrandi, et successoribus vestris; et totum jus michi competens in aliquo prescriptorum, excepto manso de Cretio, nomine dotis seu hereditatis mee, vel alio modo, vobis dono et concedo, et in vobis prorsus transfero; et renuncians juri yppothecarum et privilegio dotis, et omnibus auxiliis et beneficiis quibus contra venire possem, promitto vobis, in dicto sacramento a me facto, hec omnia ita observaturam et nunquam contra venturam.

Item ego dicta Adalaiz, et ego Johannes filius ejus, promittimus vobis dicto domino episcopo stipulanti, sub dicto sacramento, quod hec faciemus laudari a dicto Guiraldo, fratre mei Johannis, quando erit etatis XIIII annorum, et etiam confirmari quando erit XXV annorum cum sacramento; et etiam ego Johannes hec confirmabo, quando factus ero major XXV annis, renuncians beneficio minoris etatis, et auxilio restitucionis, et omnibus auxiliis cujuslibet juris, scripti et non scripti, quo me tueri possem; et ego Adalaiz, velleiano et omnibus auxiliis; promittentes etiam vobis domino episcopo stipulanti, ego Adalaiz et ego Johannes, nos reddituros vobis omnes alias cartas et instrumenta, quecumque invenire poterimus, pertinencia ad ea que a dicta compositione ad vos perventa sunt, exceptis tamen instrumentis et cartis pertinentibus ad mansum de Cretio, vel ad jura rationis mansi.

Item nos Rostagnus de Arsacio, miles, Durantus Rasina, Raimundus Benedictus, Petrus de Visforti, et Nicholaus de Sancto Nicholao, pro facienda laudacione omnium predictorum a dicto Guiraldo, filio condam Johannis Boccados, cum sacramento sanctorum evangeliorum, et cum carta publica et cum renunciatione tocius juris et auxilii, contra predicta sibi competentis, quando ipse Guiraldus fuerit etatis XIIII annorum, et omnia nostra, quisque in solidum, obligamus vobis domino J[ohanni] de Montelauro, Magalonensi episcopo, comiti Melgorii et Montisferrandi, et successoribus vestris; et hec nos ita observaturos et completuros, et nullo modo contra venturos promittimus vobis in bona fide nostra, renunciantes privilegio fori, et epistole divi Adriani, et dilacioni XX dierum, et

quadrumestribus (1) indiciis, et omnibus auxiliis quibus nos tueri possemus.

Eapropter nos Johannes de Montelauro, episcopus Magalonensis, comes Melgorii et Montisferrandi, per nos et successores nostros, promittimus vobis dicte domine Adalaiz, Johanni et Guiraldo, liberis ejus stipulantibus, sub dicta pena et plivio nos daturos et soluturos vobis, nomine dicte compositionis seu transactionis, predicta XI milia solidorum Melgoriensium, per terminos supradictos, omni questione, excepcione, defensione et compensacione penitus exclusis, obligantes vobis firmiter nos et bona episcopatus et comitatus predicti ; et debitores et paccatores, ad vestram misericordiam et noticiam, nos vobis constituimus et obligamus, sicud superius est expressum ; promittentes vobis, per stipulacionem et sub obligacione bonorum nostrorum, nos restituere vobis totum dampnum et gravamen, quod in mora solucionis vel solucionum passi eritis, et omnes expensas quas, pro petendo dicto debito, nostri culpa seu in mora, feceritis ; et inde, simplici verbo vestro, absque testibus et sacramento, et absque alio probationis genere, vobis (2) semper credemus ; renunciantes expressim omni beneficio et privilegio indulto et indulgendo, et privilegio fori, et dilationi XX dierum, et quadrumestribus (3) indiciis, et omnibus auxiliis cujuslibet juris scripti et non scripti, divini et humani, specialis et generalis, quibus nos vel successores nostri inde nos deffendere vel tueri possemus.

Insuper de dictis XI milibus solidorum melgoriensium per dictos terminos solvendis, et de dampno et gravamine eodem modo predicto, nos Sicardus de Olargio, prepositus Magalonensis, Michael de Moresio, archidiaconus Magalonensis, prior ecclesie Sancti Dyonisii de Montepessulano, Aderbertus de Montaniaco, prior ecclesie Sancti Petri de Montearbedone, Willelmus Cristoforus prior ecclesie Sancte Marie de Castronovo, Bernardus (4) de Muroveteri prior ecclesie Sancte Marie

(1) Cart.: *quadrinstibus.*
(2) Cart.: *vel.*
(3) Cart.: *quadrinstibus.*
(4) Cart.: *Raymundus.*

de Veruna, et Guillelmus Regossa, prior ecclesie Sancti Vincencii de Perols, canonici Magalonenses, et nos de castro Villenove site prope Magalonam, scilicet Petrus Bertrandi, Johannes Serraire, Guillelmus Ademari, Poncius Alba, Johannes de Valleta, Guillelmus Gravaa, et Petrus Ortolani, et ego Petrus Bonifacius de Montepessulano, quisque in solidum, cum omnium rerum nostrarum obligatione, debitores et paccatores nos constituimus tibi domine Adalacie, uxori quondam Johannis Boccados, stipulanti et recipienti pro Johanne et Guiraldo filiis tuis, heredibus Johannis Boccados patris sui, et etiam vobis Johanni et Guiraldo, liberis predictis, et vestris, quod eciam ubi se possent tueri dominus episcopus Magalonensis, comes Melgorii et Montisferrandi, vel successores sui, a solvendis dictis XI milibus solidorum, et dampno et gravamine, nos nichilominus inde defendere vel tueri possimus aliqua ratione vel causa ; et hec omnia nos ita observaturos et completuros, et nullo auxilio vel beneficio contra venturos vobis promittimus nos canonici supradicti ; et ego Petrus Bonifacius in bona fide nostra, et nos lahici predicti de Villanova promittimus et juramus vobis super sancta Dei evangelia, a nobis corporaliter tacta, renunciántes privilegio fori et capitulo divi Adriani, et beneficio nove constitucionis de dividenda obligacione, et dilacioni XX dierum, et quadrumestribus (1) induciis, et juri de reo principaliter prius conveniendo, et omnibus auxiliis et beneficiis cujuslibet juris scripti, et non scripti, quibus nos tueri possemus.

Testes sunt rogati et vocati Stephanus Boccados, Bernardus de Adillano, Ugo Ymberto, magister Michael de Salzeto, Berengarius Arnaldi infirmarius Magalonensis, Jacobus Vacca, Willelmus Ganzimi, Bertrandus de Veruna, Raymundus Brunenc (2), prior de Lansanicis, magister Johannes prior de Teirano, W. de Barrierra, Petrus de Manairol, Bn, de Sancta Cruce, prior ecclesie de Colombis (3), et plures alii, et prefatus

(1) Cart.: *quadrunstibus*.

(2) Cart.: *Prunenc*.

(3) Saint-Martin de Colombs, entre Fabrègues et Lavérune.

Guiraldus de Porta, notarius, qui mandato parcium hec scripsit.

Post hec, eadem die prefixa, ego Guillelmus Cecut, cerratarius de Montepessulano, de dictis XI milibus solidis melgoriensibus, et de dampno et gravamine, eodem modo predicto quo alii supradicti sunt obligati, me obligo; et me constituo in solidum debitorem et paccatorem tibi, domine Adalacie, uxori quondam Johannis Boccados, et vobis Johanni et Guiraldo, filiis ejus, cum obligacione omnium bonorum meorum; in bona fide mea renuncians privilegio fori et epistole divi Adriani, et dilacioni XX dierum et quadrumestribus (1) indiciis, et juri de reo principali prius conveniendo, et omnibus auxiliis quibus me thueri possem.

Testes sunt rogati Rostagnus de Arsacio, Guillelmus de Holon, Stephanus Boccados, David sacerdos, Petrus Crespini, Johannes de Guijano, Guillelmus Martini, Petrus Raymundi clericus, et Guiraldus de Porta, notarius, qui, ab utraque parte rogatus, hec scripsit.

Item, eadem die prefixa, de dictis XI milibus solidis melgoriensibus, et de dampno et gravamine, eodem prorsus modo et tenore predicto, quo dominus prepositus Magalonensis et alii predicti canonici sunt obligati, ego Ugo de Miramars, archidiaconus Magalonensis et prior ecclesie Sancte Marie de Tabulis, me obligo, et debitorem et paccatorem in solidum me constituo vobis, Johanni et Guiraldo, filiis condam Johannis Boccados, et tibi, domine Adalacie, matri eorum, pro ipsis stipulanti, obligans ob hoc vobis firmiter me et omnia bona, et jura nostra quecumque et ubicumque sint et fuerint; et hec me ita observaturum et completurum, ad vestram noticiam et voluntatem, et nulla ratione vel occasione contra venturum, vel contra predicta aliquam excepcionem vel deffensionem oppositurum, vobis in bona fide mea promitto, renuncians privilegio fori et epistole divi Adriani, et juri de reo principali prius conveniendo, et dilationi XX dierum et quadru-

(1) Cart.: *quadrunstibus*.

mestribus (1) indiciis, et omnibus auxiliis et beneficiis cujuslibet juris, scripti et non scripti, ecclesiastici et civilis, specialis et generalis, quo vel quibus me tueri vel contra predicta venire possem.

Testes sunt rogati Rostagnus de Arsacio, Guillelmus de Holon, Stephanus Boccados, Poncius de Sancto Justo canonicus, Petrus Ferraderius causidicus, Petrus Crespini, et Deodatus clericus et Guiraldus de Porta notarius, qui, mandato parcium, hec scripsit.

Post hec, anno Dominice Incarnationis M° II° tricesimo nono, tercio idus julii, congregato generali Capitulo in ecclesia Magalone laudaverunt, approbaverunt, et confirmaverunt hanc compositionem, et hec omnia et singula suprascripta et valitura semper concesserunt prefatis Johanni et Guiraldo, filiis quondam et heredibus Johannis Boccados, et domine Adalaiz, matri dictorum Johannis et Guiraldi, presentibus et stipulantibus in dicto capitulo, et rata semper tenere et observare promiserunt, videlicet domini Michael de Moresio, et Ugo de Miramars archidiaconi Magalonenses, et dominus Sicardus de Olargio prepositus Magalonensis, Poncius de Lunello sacrista ejusdem Ecclesie, P. de Conchis prior ecclesie Sancti Firmini, G. Christofori prior ecclesie de Lunello, W. Arnaldi prior ecclesie de Melgorio, Aldebertus prior ecclesie Castrinovi, P. de Laccano, R. de Lauda, B. de Sancto Mauricio, Poncius de Sancto Justo, P. Ferraderius, Berengarius Arnaldi, Willelmus Dalmacius, Bertrandus de Altiniaco, P. Melgoires, R. de Sancto Firmino, J. Atbrandi, R. Atbrandi, Jordanus Speciator, G. de Manso, Poncius de Cabreriis, P. Moreti, P. de Cornone, Ugo de Girdiaco, Poncius Guilaberti, Poncius Descasalc, B. Guillelmi, Jacobus de Orllaco, R. de Lundris, G. de Tripoli, Poncius Guilamberti, Johannes de Bariaco, Guillelmus Alegre, P. de Bariaco, G. de Narbona, G. de Montelauro, Michael de Salzeto, B. Porcelli, R. de Viridario, B. de Agrifolio, B. Viguerii, Willelmus de Rippa, G. Duranti, Guiraldus Petri, P. Poncii, Bertrandus de Ballanicis, Willelmus de Fabricis, J. de Centrai-

(1) Cart.: *quadrunstibus*.

ranicis, Ermengavus de Gigiano, R. Michael, Willelmus de Noceto, Bricius, B. de Clareto, Guiraldus de Manso, P. de Pomeriis, Poncius de Soregio, Bertrandus de Veruna, Guiraldus Celli, W. Regossa, Poncius Morruti, Poncius Alamanni, J. Ariberti, Guillelmus Bret, P. Tholosan, P. de Ruthenis, B. Juliani, Guillelmus de Merges, Guillelmus de Alairanicis, R. de Cercleiras, P. Alvernia, B. Morruti, Andreas Arnaldus, Pasterius, Poncius de Vollaquerio, B. de Arlede, Ermengavus de Marcella, Isnart de Miramars, Poncius de Bossagaz, Adebertus de Cornone, Poncius Guitardi, R. de Maurino, R. Arberti, B. de Volio, G. Salvaire, G. de Clapperiis, P. de Maurino, P. de Gabriaco, Poncius Thomas, isti omnes canonici Magalonenses, omnia predicta approbaverunt et inviolabiliter duratura voluerunt et concesserunt, nullo eciam contradicente vel reprobante : et, de voluntate et mandato expresso tocius Conventus seu Capituli predicti, fuit hoc presens instrumentum sigillo Conventus seu Capituli Magalonensis roboratum et sigillatum.

Preterea prefatus dominus J[ohannes] de Montelauro, Magalonensis episcopus, comes Melgorii et Montisferrandi, iterum coram dicto Capitulo predicta omnia confirmando, precepit hoc instrumentum publicum bulla sua plumbea communiri, anno et die prefixis, in presencia et testimonio Guillelmi de Holon, Stephani Boccados, et prefati Guiraldi de Porta notarii, qui, mandato domini episcopi et Capituli predicti, scripsit.

(Reg. D, fol. 198 r°).

DV. — 10 mai 1238

Pierre de Figuières reconnaît tenir de l'évêque le mas de Figuières (paroisse de Viols).

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Anno ejusdem Incarnacionis millesimo ducentesimo tricesimo octavo, VI^{to} idus maii, ego Petrus de Figeriis, filius quondam Petri de Figeriis... recognosco vobis domino Johanni de Montelauro, Dei

gratia Magalonensi episcopo recipienti (1), me tenere a vobis et sub dominio in feudum totam villam de Figeriis, que est in parrochia Sancti Stephani de Volio, et totum territorium, et nemora, et pascua, et aquas, et riperias, et cetera pertinencia ad dictam villam.

Quia pro hiis omnibus debeo facere, et promitto me et successores meos facturos vobis et successoribus vestris, episcopis Magalonensis Ecclesie, qui pro tempore fuerunt, scilicet albergum duobus militibus imperpetuum, singulis annis, cum a me vel a successoribus meis fuerit requisitum (2) per vos vel per successores vestros ; ita tamen quod, in predicta villa et territorio, vos vel successores vestri nichil debetis recipere in accapitis vel laudimiis, vel venationibus, vel aliis redditibus qui ad me pertinent, sed solum modo albergum duobus militibus, sicut predictum est.

Quia nos Johannes, supradictus Magalonensis episcopus, laudamus et concedimus tibi dicto Petro de Figeriis, et successoribus tuis imperpetuum totam dictam villam de Figeriis cum territorio et pertinenciis suis, salvo tamen et retento ibidem nobis imperpetuum dominio nostro, et solum modo dictum albergum duobus militibus, singulis annis, nobis prestandum (3), cum a te pecierimus vel a successoribus tuis.

Testes, et cetera, et Petrus de Pamiis, publicus Montispessulani notarius, qui originale instrumentum, a quo istud transcriptum est, extractum scripsit et signavit.

(Reg. E, fol. 294 v°).

DVI. — 23 juin 1238

Grégoire IX ordonne à certains dignitaires de l'Église de Nimes de faire une enquête sur les aliénations faites par Raimond VI au monastère de Franquevaux, en particulier sur la grange du Pin.

(Reg. F, fol. 28 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 205.

---

(1) Cart.: *episcopi nomine Magalonensis episcopi recipienti.*

(2) Cart.: *fuero requisitus.*

(3) Cart.: *prestando.*

DVII. — 14 juillet 1238

Jean de Montlaur II confirme à Guillaume Tondut les ventes que lui a faites Raimond Aerra.

Manifestum sit... quod dominus Johannes de Montelauro, Dei gratia Magalonensis episcopus et comes Melgorii et Montisferrandi, laudavit et confirmavit Guillelmo Tunduto et suis empcionem quam fecerat a Raimundo Aerradi, filio quondam Raimundi Aerradi, prout plene continetur in quadam carta, scripta per manum Bertrandi Arcolenc, quondam Montispessulani notarii, et omnia alia a fratribus dicti R. sibi Guillelmo et suis concessa in dicto instrumento, scripto per dictum Bertrandum Arcolenc, scilicet de medietate mansi de Gardiolis et mansi *del Cadalicht* cum omnibus pertinenciis eorumdem.

Que dicta medietas dicti mansi de Gardiolis confrontatur ex una parte cum alia medietate quam tenet R. Blanchi, et ex alia cum manso de Matellis, et ex alia parte cum manso de Podio Argilagos, et ex alia parte cum manso *dels Auventz*.

Alia medietas dicti mansi *del Cadalicht* confrontatur ex una parte cum manso de Masella, et ex aliis partibus cum aliis mansis superius confrontatis.

In quibus mansis, dicto Guillelmo laudatis pro parte sibi contingente, retinuit idem dominus episcopus et comes pro usatico, singulis annis, in festo sancti Michaelis, sibi et suis successoribus prestando, quinque solidos et splecham quam habet in aliis mansis aliorum feudatariorum Vallis Montisferrandi.

Et hec omnia retinuit idem dominus episcopus et comes in parte mansorum dicti Guillelmi pro feudo sine alio homagio; et habuit inde dictus dominus episcopus et comes pro laudimio sexaginta solidos melgorienses, in quibus renunciavit exceptioni non habite peccunie et laudimii non soluti.

Et dictus dominus episcopus et comes promisit dictum Guillelmum Tundut et omnes homines, habitantes in dictis mansis, salvare, et custodire, et deffendere, ut alios homines Montisferrandi Vallis, et in predictis mansis ab omnibus contradi-

centibus jure deffendere. Et dictus Guillelmus Tondut, omnia predicta laudans, promisit ipsi domino episcopo fidelitatem.

Acta sunt hec anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo tricesimo octavo, pridie idus julii, in presencia et testimonio domini Bernardi de Muroveteri prioris de Veruna, magistri Bernardi penitentialis dicti domini episcopi, magistri Johannis bajuli ejusdem domini episcopi, Petri Yndoli, Guillelmi Turisuerus, Duranti Porcelli, Arnaudi Petri, Raymundi Saurelli, et mei Petri de Pamiis, Montispessulani notarii, qui mandato parcium hec omnia scripsi.

(Reg. E, fol. 328 r°).

DVIII. — 21 juillet 1238

Grégoire IX proteste contre l'échange fait par les moines de Saint-Ruf de l'église et de l'île de Cette, contre certaines églises que leur a cédées le prévôt de Maguelone, et ordonne à l'archevêque d'Arles de poursuivre l'enquête commencée par l'archevêque de Vienne.

(Reg. F, fol. 142 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 207. Aux pages 208 et suivantes, nous avons aussi édité l'enquête et le jugement, qui se trouvent au même folio.

DIX. — 27 septembre 1238

Grégoire IX écrit à l'évêque de Maguelone et lui donne le pouvoir d'obliger les prieurs à recevoir les ordres et à résider auprès de leur église.

(Reg. D, fol. 315 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 212.

DX. — 15 octobre 1238

Guillaume du Port, devenu majeur de 25 ans, ratifie une vente faite pendant sa minorité.

Anno Incarnationis Domini millesimo ducentesimo XXX° VIII°, idus octobris, ego Guillelmus de Portu, filius quondam Raimundi de Portu militis... asserens me majorem esse pro vero viginti quinque annis... laudo et confirmo venditionem de silva et mari..qui vulgo dicuntur de Portu, quam venditionem (1) ego et Raimundus de Portu frater meus et Maria soror mea fecimus olim, dum minores XXV annis eramus, et pro maxima et evidenti necessitate et utilitate mea, videlicet pro solvenda dote dicte sororis nostre, domine Galburgie tunc comandatrici domus Sancti Christofori que est Hospitalis Jerosolimitani, prout in altera parte hujus instrumenti plenius continetur (2).

Et dictam venditionem ratam et firmam habeo et habebo semper; et promitto vobis fratri Petro Ademaro, comandatori dicte domus Sancti Christofori, sollempniter stipulanti, sub sacramento et per sacramentum quod in dicta vendicione feci, quod nunquam contra venditionem veniam nec faciam aliquo jure nec aliqua ratione.

Acta sunt hec in pontem vel supra pontem ville Sancti Justi, presente domino Bertrando, Dei gratia episcopo Agathensi, et Bn. de Sancto Justo, et Bn. Salomonis et R. de Calvicio, et Bn. de Portu, et Petro Stephano clerico, et Guiraudo Calcadello, et multis aliis, et me Petro Polzino, publico Lunelli notario, qui, rogatus utrinque, scripsi hec in forma publica et signavi.

(Reg. A, fol. 226 r°; d'après un vidimus de 1278).

---

(1) Cart.: *conditionem*.

(2) Voir cet acte, ci-dessus, t. II, p. 317.

DXI. — 16 décembre 1238

Sentence arbitrale entre le chapitre de Maguelone et les religieux de Saint-Ruf au sujet de Cette et de quelques autres églises.

(Reg. E, fol. 142 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 208.

DXII. — 1er avril 1239.

Bérenger Gaudalmar reconnaît tenir de l'évêque, comte de Melgueil, toutes ses possessions d'Assas.

Anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo XXX° nono, kalendis aprilis, pateat universis... quod ego Berengarius Guandalmari, filius quondam nobilis domini Bernardi Guandalmari... cognosco vobis, reverendo patri in Christo domino Johanni de Montelauro, Dei gratia Magalonensi episcopo, comiti et domino Melgorii et Montisferrandi, me a vobis et successoribus vestris habere, tenere et possidere, et omnes antecessores meos, a quibus causam habeo, ab antecessoribus vestris, tenuisse, habuisse et possedisse in feudum, nomine comitatus predicti, omnes omnino possessiones et jura, que ego habeo, vel visus sum habere, seu alii per me, vel antecessores mei, a quibus causam habeo, habebant vel visi erant habere, seu alii pro ipsis, in tota parrochia Sancti Marcialis de Arsacio ; pro quibus omnibus scio et cognosco me esse vestrum hominem, et successores meos omnes esse homines successorum vestrorum ; et me et omnes successores meos exinde vobis et vestris successoribus facere debere hominium et jurare fidelitatem. Quod hominium facio de presenti et fidelitatem juro, tactis a me sacrosanctis evangeliis Dei, vobis domino J[ohanni], Dei gratia episcopo et comiti supradicto, promittens vobis quod dictam recognicionem vobis et successoribus vestris faciam, quociens et quando volueritis ad vestram commonicionem vel successorum vestrorum.

Promitto eciam vobis quod personam vestram, et successorum vestrorum, vitam et membra, bona ac jura vestra omnia fideliter et bona fide defendam, custodiam et salvabo. Predicta omnia et singula, prout superius sunt expressa, promitto me fideliter completurum sub dicto sacramento, et contra jure alieno non venturum.

Adhuc eciam, eodem modo quo supra, recognosco vobis domino episcopo et comiti supradicto, quod ego, pro predicto feudo, debeo vos sequi in hostibus et cavalcatis (1), tempore quo alii domini de Arsacio vos vellent sequi.

Et nos J[ohannes], Dei gratia Magalonensis episcopus, comes et dominus supradicti Melgorii et Montisferrandi, per nos et nostros successores omnes, omnia supradicta et singula vera esse scientes, et suprascriptam fidelitatem, et hominium et alia suprascripta recipientes, laudamus et confirmamus tibi, Berengario Gaudalmari, et omnibus successoribus tuis, omnia et singula, a te nobis superius recognita.

Acta sunt hec sollempniter apud Montemlaurum, in presencia et testimonio Bernardi de Muroveteri, prioris de Veruna, Berengarii Arnaudi prioris Sancti Desiderii, Guillelmi Bari vicarii ecclesie Montislauri, magistri Johannis prioris de Arsacio, nobilis viri Petri de Arsacio, Navarri jurisperiti, et Bernardi de Fisco, in toto Magalonensi episcopatu et Melgorii comitatu notarii publici, qui mandato parcium hec scripsit.

(Reg. F, fol 216 v°).

DXIII. — 9 août 1239

Béatrix, veuve de Gui Chef-de-Porc, vend Balaruc à Jacques d'Aragon.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Anno ejusdem Incarnationis M° CC° XXXIX°, quinto idus augusti, universis... sit certum... quod ego Beatrix, uxor quondam et heres in solidum testamentaria Guidonis de Capite Porco jurisperiti,

---

(1) Cart.: *calvacatis*.

qui alias Guido de Grunerio nuncupabatur (1), bona fide et certa scientia... vendo... vobis domino Jacobo, Dei gratia regi Aragonum et Majoricarum et Valentie, comiti Barchinone (2) et Urgelli, et domino Montispessulani, et vestris... ad omnes voluntates vestras... totum castrum de Badaluco cum hominibus et militibus, et omnibus pertinentiis et adjacentiis ejus, et que ei aliquo modo pertinere possunt vel debent; et specialiter cum molendino ad ipsum pertinente, et cum stagno, et riperiis, et aquis, et cultis et incultis, guarricis, nemoribus, et cassinis, et laudimiis, dominiis et consiliis, usaticis, quartis, ochenis, censibus, et omnibus aliis et singulis piscationibus et escasuchis ad me pertinentibus in dicto castro, vel pro ipso, vel occasione ipsius castri; et expressim vobis et vestris vendo... omnes actiones meas directas, utiles, reales, personales, et mixtas, et omnes alias, et omnia jura quas et que habeo in dicto castro, seu pro ipso, vel ejus occasione, adversus aliquas res seu personas, nomine violentie michi inde vel ejus occasione vel ibi illate (3), vel ex aliqua alia causa cogitata vel non cogitata; et specialiter omnia jura, que in ipso castro habeo vel in ejus terminio nomine vel occasione dotis mee, quam dictus dominus Guido mecum habuit et recepit, et quam michi constituit super omnibus bonis suis; et de omnibus juribus, que in ipso castro seu pro ipso, vel in hominibus et pertinentiis ejus habeo, habere possum seu debeo, ex hereditate dicti domini Guidonis, vel dotis seu hereditatis mee, sive ex aliqua alia causa, me et meos inde penitus disvestiendo, vos et vestros investio, et de juribus que ex causa dicta vel alia habeo in dicto molendino.

Preterea concedo vobis et vestris, ut, auctoritate vestra propria, corporaliter pocessionem omnium predictorum, a me vobis venditorum, apprehendere valeatis; et, quousque predicta corporaliter apprehensi eritis, ea omnia me constituo vestro nomine possidere.

---

(1) Cart.: *nunpcupabatur*.
(2) Cart.: *Barchilone*.
(3) Cart.: *illacate*.

Propter hanc autem venditionem... in perpetuum valituram, dedisti michi, nomine precii, reipsa ac numeratione plenaria, XIX milia solidorum melgoriensium, de quibus nichil remansit in debito apud vos, vel eciam ad solvendum; in quibus omnibus ex certa sciencia expressim renuncio exceptioni non habite et non numerate peccunie, et precii non soluti. Quod precium fateor et cognosco esse legitimum atque justum, quia tantum pro predictis ab alio invenire non potui, licet hoc essem sollicite inquisita cum personis diversis, predicta omnia venalia exponendo. Verum si nunc vel in futurum ea omnia plus dicto precio valere viderentur, illud totum... vobis et vestris cedo et... totum... ego et mei faciemus vos et vestros... quiete ac pacifice possidere... Et pro evictione... omnia bona mea... obligo... promitto me tamen facturam et curaturam quod Guido, filius meus, et omnes alii legatarii prefati domini Guidonis quondam mariti mei, et omnes alie persone, de quibus hoc faciendum erit, ad vestram commonitionem vel vestrorum laudabunt et confirmabunt vobis aut vestris omnia supradicta, et cedent jura vobis que in predictis habebant.

Et promitto vobis per validam et solemnem stipulationem, quod nil est dictum... quominus dicta venditio et omnia universa et singula superius comprehensa inviolabili gaudeant firmitate; renuncians juri dicenti venditionem posse rescindi, aut quod justum precium suppleatur, si deceptio ultra dimidium justi precii ibi inveniatur; et omni beneficio juris scripti... quibus... me possem defendere seu tuheri, volens et decernens predictas generales renunciationes valere et tantum robur obtinere (1), ac si specificatim omnia jura hic apposita essent, quibus venire possem contra predicta, et eis renunciassem expressim, ac eciam viva voce. Que omnia universa et singula superius comprehensa per me et meos vobis et vestris attendere, servare, custodire, et nunquam contra venire promitto; et hec omnia vobis juro per hec sancta Dei euvangelia, a me corporaliter tacta.

Et nos Guida, uxor Hugonis de Sancto Johanne, et Beatrix,

(1) Cart.: *optinere*.

uxor Petri de Terico, et Bonifacius, infantes dicte Beatricis venditricis et quondam prefati domini Guidonis de Capite Porco, fatemur et cognoscimus, ex certa sciencia, predicta omnia vera esse, ac rite et legitime et voluntate et auctoritate nostra fore acta. Et ideo predictam venditionem et omnia et singula suprascripta laudamus et confirmamus vobis, prefato domino regi, et vestris; et cedimus, et donamus ac remittimus vobis et vestris omnia jura, que in dicto castro, et molendino, et omnibus predictis et singulis, vobis venditis a dicta domina matre nostra, habebamus, vel habere debebamus nomine relictorum, factorum nobis a dicto patre nostro, vel occasione hereditatis ejus, vel ex aliqua alia causa cogitata vel non cogitata; et promittimus vobis quod nil diximus vel fecimus in preterito...; et renunciamus, certi de facto et consulti de jure, beneficio et privilegio ypothece et minoris etatis, et in integrum restitutionis, si cui nostrum competere posset, et omni beneficio juris scripti et non scripti... et hec omnia vobis juramus per hec sancta Dei evangelia, a nobis corporaliter tacta.

Testes sunt omnium predictorum Assaillitus de Goza, Guillelmus *d'Alcala*, Petrus de Rocaficha, G. de Belloloco, *Jaques* Sanctius, Dominicus de Cambra, Raimundus Lamberti, Guillelmus de Sancto Martino, Firminus Burgensis, Guillelmus Lamberti, P. de Murlis, P. de Terico, G. Johannini, Guiraldus Faber, Raimundus Lamberti frater Berengarii, P. de Cumbis, Bertrandus Arnaldi, Guillelmus Scriptor, Johannes Tabernarii, Hugo de Sancto Johanne, et Guillelmus Jordani, notarius publicus Montispessulani, qui rogatus a partibus hec omnia scripsit.

Post hec, eodem anno quo supra, pridie nonas octobris, ego Guido, filius quondam Guidonis de Capite Porco, et Beatricis, ejus uxoris, venditricis jamdicte... vobis prefato domino Jacobo, Dei gratia regi Aragonum... domino Montispessulani, et vestris, laudo et confirmo venditionem suprascriptam dicti castri de Balasuco et omnium supra contentorum, et omnia et singula superius comprehensa; et omnia jura, que in ipso castro et in molendino, et omnibus aliis predictis vobis ven-

ditis habebam, vel habere debebam, nunc vel in futurum, nomine relicti facti michi a dicto patre meo, vel ejus hereditatis, sive ex aliqua alia causa, vobis et vestris cedo et dono, me inde penitus disvestiendo et vos investiendo ; et promitto vobis stipulanti, quod nil dixi vel feci... et hec omnia vobis juro per hec sancta Dei evangelia, a me corporaliter tacta. In quo sacramento renuncio beneficio minoris etatis, et in integrum restitutionis (1), si michi competere posset ; et omnibus aliis auxiliis et beneficiis, quibus contra predicta vel aliquid predictorum me possem defendere vel tuheri.

Testes sunt Raimundus Marchi, Petrus de Cumbis, Raymundus Lamberti, Raimundus de Conchis, Thomas de Conchis, Petrus Salvatoris, Bndus Arnaldi, Assaillitus de Goza, Pontius Guiraldi, et Guillelmus Jordani, notarius publicus, qui rogatus a partibus hec scripsit.

(Reg. B, fol. 215 v°).

Pour comprendre cet acte, il faut le rapprocher des actes relatifs au procès entre Bernard de Mèze et Gui Chef-de-Porc (voir plus haut, t. II, p. 367 et suiv.), et se rappeler les difficultés nombreuses qui avaient éclaté entre Jean de Montlaur II, d'une part, et Jacques d'Aragon, d'autre part, soutenu par les Atbrand et Daltinus, fils de Gui Chef-de-Porc. (Voir *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 236).

DXIV. — 1er décembre 1239

Grégoire IX approuve l'union de l'église de Ganges à la mense épiscopale.

(Reg. F, fol. 215 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 214.

---

(1) Cart.: *restituam*.

DXV. — 1er décembre 1239

Grégoire IX écrit à l'évêque de Maguelone et l'assure que toute personne qu'il aura excommuniée pour avoir causé des dommages dans le comté de Melgueil, ne pourra être absoute que par lui ou par le Pape.

(Reg. F, fol. 120 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 215.

DXVI. — 7 décembre 1239

Grégoire IX ordonne à son légat de faire une enquête sur les véritables limites du comté de Melgueil.

(Reg. F, fol. 171 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 218.

DXVII. — 10 mai 1240

Grégoire IX, le comté de Melgueil étant sans cesse ravagé par des malfaiteurs, écrit à l'archevêque de Narbonne et à ses suffragants, qu'il a permis à l'évêque de Maguelone de les excommunier, et recommande aux évêques de la province de faire observer les censures portées contre leurs diocésains.

(Reg. F, fol. 25 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 224.

DXVIII. — 10 mai 1240

Grégoire IX adresse à l'archevêque d'Arles et à ses suffragants une bulle pareille à la précédente.

(Reg. F, fol. 21 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 226.

DXIX. — 10 mai 1240

Grégoire IX, à cause des malfaiteurs qui ravagent le comté de Melgueil, permet à l'évêque de Maguelone de les excommunier s'ils ne veulent pas donner satisfaction, et l'assure que personne ne pourra les absoudre, excepté lui ou le Pape.

(Reg. A, fol 254 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 227.

DXX. — 10 mai 1240

Grégoire IX écrit à Raimond Peironnet et à Guillaume de Clermont, chanoines de Lodève, de faire rendre à l'évêque de Maguelone, à qui ils appartiennent, les actes concernant le comté de Melgueil.

(Reg. F, fol. 20 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 229.

DXXI. — 7 juillet 1240

Raimond de Sauzet reconnait tenir le mas de Sauzet et autres terres de Frédol de la Roque.

Manifestum sit omnibus... quod ego Raymundus de Sauzeto scio, et in rei veritate recognosco, et fateor vobis, domino Fredolo de Rupe, me tenere in feudum a vobis, dicto domino Fredolo, mansum de Sauzeto cum omnibus suis pertinenciis et que pertinere debent, et omne id quod habeo vel possideo, nomine dicti mansi. Pro quo manso debeo et teneor vobis, et teneor vestris, facere annuatim albergam VI militum, qum eum pecieritis.

Item teneo (1) a vobis domino Fredolo quicquid habeo, vel visus sum habere, in manso *de la Plaje*; et generaliter teneo a vobis domino Fredolo omnia bona et jura, que habeo vel

(1) Cart.: *teneor*.

possideo in parrochia Sancti Baudilii de *Pesues* (1), excepta dimidia pennaria de Rovereto, que est ultra Feisolo versus Favairolas, et excepto orto quem tenet a me (2) Guillelmus de Plaja apud Sanctum Baudilium, et excepta emptione quam feci apud Surdas.

Et est sciendum quod, pro aliis feudis, preter mansum de Sauzeto, ad voluntatem vestram debeo et teneor servicium exhibere, quando vos volueritis, et facere.

Acta fuit hec recognitio apud castrum de Rupe, in presencia et sub testimonio G. de Scaleriis, Hugonis de Gabriac, canonici Magalone et rectoris ecclesie Sancti Vincenciani, Maurelli, Guillelmi Rebuffelli, et mei Girberti, publici notarii castri de Rupe, qui, mandato parcium, hec scripsi, et signum meum apposui, anno ab Incarnatione Domini M° II° XL, nonis julii.

(Reg. D, fol. 264 r°).

DXXII. — 26 juillet 1240

Pour reconnaître les améliorations que Raimond de Montferrier a faites au mas de Restinclières (près Prades-le-Lez), Jean de Montlaur change une albergue de quatre chevaliers contre un cens de quatre chapons.

In nomine Jhesu Christi Domini Nostri. Amen. Presentis scripti serie sit omnibus... manifestum quod nos Johannes de Montelauro, Dei gratia episcopus Magalonensis, comes et dominus Melgorii et Montisferrandi, considerantes benignam affectionem et reverentiam, quam tu Raimundus de Monteferrario exhibere tam nobis quam Magalonensi Ecclesie longo tempore studuisti ;

Attendentes etiam, quod, nostre reverentie deferendo, et in rem simplici assertione acquiescendo, nulla requisita probatione, vel etiam exspectata, rebellione seu contradictione aliqua non objecta, sed mera, libera et spontanea voluntate,

---

(1) Saint-Bauzille de Putois, canton de Ganges.

(2) Cart.: *quem tenerquie*.

integre, benigne et humiliter es confessus te tenere, et antecessores tuos tenere debuisse, mansum de Lentrescleriis totum, cum omnibus appendiciis et juribus suis, a nobis, nomine comitatus jam dicti, et a nostris antecessoribus, sub servicio albergi quatuor militum annis singulis exsolvendo :

Non intendentes vel inherentes assencioni seu paccioni, quam tibi fecerunt Bertrandus Malecos, Bermundus de Marojol, Bernardus Gaucelmi milites, qui tibi vendiderunt pro franco et libero alodio, dictum mansum, et ipsius mansi pertinencia omnia tam contigua quam vicina ;

Circumspicientes insuper melioracionem et edificii construccionem, quam tu in manso predicto fecisti, et quam ibidem te facturum proponis, auctore Domino, in futurum : quam melioracionem et construccïonem edificii nobis et nostris successoribus utilem et fructuosam fore cognoscimus evidenter ;

Nos siquidem, hec omnia diligenter considerantes, et circumspeccionem, quantum possumus et debemus, contemplantes, remictimus tibi et tuis imperpetuum dictum servicium, videlicet quatuor militum, retinentes nobis et omnibus nostris successoribus, in manso superius nominato, servicium quatuor caponum, singulis annis, mandato nostro reposcenti ab Epiphania Domini usque ad Septuagesimam, vel eorum justum precium legitime solvendorum.

Concedimus eciam tibi et tuis, quod, si forte aliqui anni transirent sine prestacione servicii supradicti, quod est quatuor caponum, quod mansus jamdictus pro hoc non possit, vel debeat, cadere in commissum.

Et sic nos Johannes, Dei gratia episcopus Magalonensis et comes predictus, concedimus tibi et tuis dictum mansum cum omnibus juribus et appendiciis suis, modo et forma superius comprehensis, remittentes tibi et tuis, si quod sit in quo tenereris nobis usque in hodiernum diem, ratione vel occasione dicti mansi, vel acquisicionis ipsius ; et convenimus, promittimus ac profitemur tibi et cognoscimus manifeste, quod nos debemus esse et erimus tui et tuorum in omnibus et per omnia defensores.

Promittimus etiam tibi et tuis nos effecturos quod nullus.

ex parte castri Montisferrandi, sive nomine vel occasione ipsius, aliquid de rebus tuis invadet, attinget vel retinebit, imo bona tua et res omnes custodiet et defendet.

Ut autem presens pagina perpetue stabilitatis robur obtineat, et perpetua gaudeat firmitate, eamdem, ad postulacionem et instanciam dicti Raimundi de Monteferrario, bulla nostra plumbea precipimus insigniri.

Actum apud Villamnovam, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo, VIII° kalendas augusti, in presencia et testimonio subscriptorum testium, ad hec specialiter rogatorum, videlicet Bernardi de Muroveteri prioris de Veruna, Berengarii Arnaudi prioris Sancti Desiderii, canonicorum Magalonensium ; magistri Bernardi de Ruppe, Poncii Raimundi sacerdotis, Berengarii de Valveria, prioris de Monteferrario, et plurium aliorum, et Bernardi de Fisco, notarii publici in toto Melgoriensi comitatu et Magalonensi episcopatu, qui, mandatus a partibus, hec scripsit et signum suum apposuit.

(Reg. E, fol. 205 v° ; d'après un vidimus de 1237 ; édité par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 248).

DXXIII. — 29 juin 1241

Reconnaissance du château de Sobeyras, faite à Jean de Montlaur II, par Guillaume Bertrand de Rocadur pour la part qu'il possède.

Anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quadragesimo primo, tercio kalendas julii, ego Raimundus de *Rocadun*, filius quondam Guillelmi Bertrandi de *Rocadun*, scio et vere profiteor, certificatus per plura instrumenta vera et autentica, et per assertionem plurimorum proborum virorum, me tenere a vobis, domino Johanne de Montelauro, Dei gratia Magalonensi episcopo, domino et comite Melgorii et Montisferrandi, et predecessores meos tenuisse a predecessoribus vestris, partem quam habeo in castro de Sobeiracio, et quicquid habeo in ejus pertinentiis in feudum ; et dictam partem

et omnia que habeo in pertinentiis ejusdem castri, a vobis in feudum recipio, et pro omnibus predictis vobis, stipulanti pro vobis et successoribus vestris, fidelitatem imperpetuum promitto.

Horum omnium testes sunt Berengarius Arnaudi prior Sancti Desiderii, Guillelmus de Frontiniano, Berengarius de Sobeiracio milites, et ego Petrus de Pamiis, Montispessulani notarius, qui, rogatus a partibus, hec omnia scripsi.

(Reg. F, fol. 162 v°).

DXXIV. — 29 septembre 1241

Sentence de l'official de l'évêque, malgré l'appel interjeté par l'une des parties devant la cour du roi d'Aragon.

Testimonio hujus publici instrumenti sit manifestum... controversiam fuisse et questionem motam coram Raymundo de Ulmo, officiali domini Johannis, Dei gratia Magalonensis episcopi, comitis et domini Melgorii et Montisferrandi, ex commissione sibi facta a dicto domino episcopo et comite in hunc modum :

Johannes, divina permissione episcopus Magalonensis, dilecto et carissimo in Christo Raimundo de Ulmo, officiali nostro (1), salutem in Domino.

Causam que vertitur, vel verti speratur, inter heredes Johannis Bocados ex una parte, et Petrum Raimundi Olrici ex altera, super quibusdam possessionibus comitatus Melgorii seu Montisferrandi, discretioni vestre duximus committendam et fine debito terminandam, potestatem vobis plenariam et liberam committendam concedentes dandi curatorem in hac causa prefatis heredibus, loco nostri ; facientes quod decreveritis auctoritate nostra firmiter observari ; testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, eadem auctoritate cogatis veritati testimonium perhibere.

Datum apud Basalucum, tercio kalendas octobris, anno

(1) Cart.: *suo*.

Incarnacionis Dominice millesimo ducentesimo quadragesimo primo.

Que quidem questio mota fuit inter Johannem et Guiraldum, filios et heredes quondam Johannis Bocados et Stephanum Bocados, patruum et curatorem dictorum heredum ex una parte, et Petrum Raimundi Olrici ex alia.

Que quidem cura data fuit et concessa prefato Stephano Bocados in hunc modum :

Manifestum presentibus et futuris, hanc publicam cartam inspecturis, quod ad instanciam et postulacionem Johannis Bocados et Guiraldi fratrum, liberorum et heredum quondam Johannis Bocados, Raimundus de Ulmo, bajulus et officialis reverendi patris et domini Johannis de Montelauro, Dei gratia Magalonensis episcopi, comitis Melgorii et Montisferrandi, ex delegacione sibi facta a dicto domino episcopo, comite Melgorii et Montisferrandi, et mandato speciali, dedit et concessit curatorem Stephanum Bocados dictis Johanni et Guiraldo, tantum ad causam quam habent vel sperantur habere cum Petro Raimundo Olrici, super peticione cujusdam vinee, que est in comitatu de Melgorio, in territorio de Crecio, et confrontatur ex una parte cum vinea domine Ermessendis, uxoris dicti Petri Raimundi, carrairone in medio ; et ex alia parte cum planterio Guillelmi Princer, carrairone in medio ; et ex alia parte cum planterio Raimundi de Via, carrairone in medio ; et ex alia parte cum honore Guillelmi Alamandi, rasa in medio.

Qui dictus curator, dictam curam recipiens, promisit sub obligacione bonorum suorum, tactisque sacrosanctis Dei evangeliis ab ipso corporaliter, se fideliter habiturum in ipsam curam, utilia dictorum minorum inquirendo, et dampnosa evitando.

Actum in curia domini episcopi, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo primo, kalendis octobris, in presencia et testimonio Raimundi Fabri, Guillelmi Deolon, Bartholomei Radulphi, et mei Petri de Pamiis, Montispessulani notarii, qui mandato dicti officialis hec omnia scripsi.

Recepta siquidem dicta cura a prefato Stephano Bocados, ut in dicta carta cure continetur, super dicta controversia, et questione et causa agitata, presentibus partibus coram dicto judice constitutis, oblatus fuit libellus a dicto curatore dictorum infancium et heredum Johannis Bocados, in hunc modum :

Significat vobis, domino officiali domini Magalonensis [episcopi], Stephanus Bocados, curator liberorum et heredum quondam Johannis Bocados, quod infantes dicti Johannis Bocados habent, et ad feudum tenent, tanquam liberi et heredes dicti Johannis, mansum de Crecio, et dominia, et laudimia, et usatica ejusdem ab ipso domino Magalonensi episcopo, et pro servicio ejusdem feudi faciunt ei albergam duobus militibus, sicut continetur in carta facta inter dominum episcopum et ipsos infantes.

At cum in dicto manso sit quedam vinea, que tenetur a dictis heredibus Johannis Bocados, que quondam fuit Dulceline, matris quondam Petri Raimundi Olrici, et Olrici fratris ejus, quam quidem vineam ipsa Dulcelina reliquit dicto Olrico in suo testamento, que quidem vinea faciebat octavum et duodecim denarios pro usatico Johanni Bocados, et Petrus Raimundi nunc tenet ipsam vineam nullo soluto usatico, et nullo requisito consilio predictorum infantum Johannis Bocados, nec etiam ipsius Johannis Bocados ; supplicat vobis, domine, dictus Stephanus pro dictis infantibus, quatenus mandetis bajulo domini regis, quod dicta vinea est mansi de Crecio, sicut probatum est per testes, quorum attestaciones vobis ostendere est paratus ; et supplicat ut vos cognoscatis utrum dicta vinea sit comissa propter cessacionem solucionis octavi et usatici, et quia ipse, irrequisito consilio, et non oblato et non soluto dominio, idem Petrus Raimundi tenuerit ipsam vineam per tres annos et amplius.

Propter quod petit ipsam vineam, tanquam ipsis liberis comissam, sibi restitui cum fructibus perceptis et percipiendis.

Item supplicat quatenus mandetis dicto bajulo, ut non in-

terponat partes suas super dicta cognicione, cum dicta cognicio pertineat ad curiam domini episcopi ; et quod precium racemorum vinee, quod dictus bajulus sequestrari fecit, faciat reduci in posse vestro, cum predicta cognicio et fructuum sequestracio ad curiam domini episcopi pertineat, et non ad curiam domini regis ; et hoc petit salvo jure, addenda et cetera.

Oblato siquidem dicto libello et reddito prefato judici, et ipso lecto coram Petro Raimundo, dixit idem Petrus Raimundi Olricus se non teneri respondere, dicens se habere supernam, respondendo plurimas excepciones, ad quas proponendas fuerunt ei dies a dicto judice assignati in hunc modum :

Assignata est dies veneris dicto Petro Raimundi ad probandum omnes excepciones declinatorias, [in] judicio utraque parte comparente. Actum octavo kalendas octobris.

Quinto kalendas octobris, comparuit Stephanus Bocados, curator liberorum et heredum Johannis Bocados quondam, ex parte una, et Petrus Raimundi ex altera. Ultima vero die assignata, idem Petrus Raimundus reddidit infrascriptas excepciones ; et processus cause super excepcionibus fuit factus in hunc modum :

Idus octobris, protestatur Petrus Raimundi, litem non contestando, quod ipse non est de jurisdiccione domini Magalonensis episcopi.

Item ponit excipiendo, non litem contestando, quod idem Petrus est de Montepessulano et jurisdiccione domini regis Aragonum.

Item ponit quod villa Montispessulani est domini regis Aragonum.

Item protestatur quod infantes Johannis Bocados et Stephanus Bocados, qui dicit se esse curatorem predictorum infantum, sunt de districtu et jurisdiccione domini regis Aragonum.

Item ponit quod dictus Raimundus de Ulmo, ad instanciam

et querimoniam Adalaicie Bocadosse, que dicebat se esse tutricem infantum quondam Johannis Bocados. citavit vel citari fecit Petrum Raimundi Olrici pro eadem peticione seu querimonia, quam modo facit Stephanus Bocados, qui dicit se esse curatorem predictorum infantum.

Item ponit Petrus Raimundi, non litem contestando, sed excipiendo, quod dicta Adalaicia, que dicebat se esse tutricem infantum suorum et dicti Johannis Bocados, litigavit et querimoniam fecit de eadem causa de Petro Raimundo Olrici, et posiciones fecit, et testes produxit contra eundem Petrum Raimundi.

Item ponit, non litem contestando, sed excipiendo, quod curia domini regis Aragonum, scilicet dominus Thomas de Conchis, bajulus curie domini regis in Montepessulano, ad instanciam et querimoniam predicte Alasacie Bocados, que dicebat se esse tutricem, peciit et recepit fidejussores ipsius Petri Raimundi, occasione predicte vinee, fructibus ac inde perceptis.

Has posiciones seu protestaciones predictas fecit predictus Petrus Raimundi, non litem contestando, sed ad excipiendum et jus suum tuendum et deffendendum, quod non teneatur respondere in curia domini Magalonensis episcopi de predicta causa, qua dictus Petrus Raimundi comparuit et reddidit supradictas excepciones et protestaciones.

Dictus Stephanus curator juravit de calumpnia supradictis exceptionibus; et dictus Petrus Raimundi Olrici, pluries admonitus, noluit jurare de calumpnia; dixit tamen quod haberet consilium.

Inde assignata est dies jovis proxima ad procedendum debito modo.

Undecimo kalendas novembris, comparuerunt Stephanus Bocados, curator dictorum liberorum ex una parte, et Petrus Raimundi Olrici ex altera; et dictus Petrus Raimundi Olrici peciit sibi tempus assignari ad proponendas excepciones contra personam curatoris; et ad hoc quod dictus Stephanus curator esse non possit.

Et tunc dictus Raimundus de Ulmo judex diem crastinam et diem jovis sequentem eidem Petro Raimundi Olrici, ad proponendas omnes excepciones suas contra personam dicti Stephani, et ad hoc quod dictus Stephanus curator esse non possit, assignavit dicto Petro Raimundo Olrici.

Dictus Stephanus curator juravit de calumpnia super dictis excepcionibus ; et dictus Petrus Raimundi Olrici, pluries admonitus, noluit jurare de calumpnia ; dixit tamen quod haberet consilium.

Inde assignata est dies jovis proxima utrique parti ad procedendum debito modo.

Postea VII kalendas novembris, comparuerunt partes ; et dictus Petrus Raimundi Olrici, super excepcionibus positis et proponendis, juravit de calumpnia, et asseruit suo sacramento predictas excepciones esse veras : et dictus curator respondit, ut in fine ipsarum excepcionum continetur.

Et tunc dictus Petrus Raimundi, requisitus si vellet aliud proponere, dixit quod sic ; et est assignata dies martis proxima dicto Petro Raimundi, ad proponendas omnes excepciones suas declinatorias et peremptorie

Septimo idus novembris, comparuerunt Petrus Raimundi Olrici ex una parte, et Stephanus Bocados, curator liberorum et heredum quondam Johannis Bocados, ex alia, coram dicto Raimundo de Ulmo judice delegato.

Quinto idus novembris, ponit Petrus Raimundi Olrici in causa quam sibi movet Stephanus Bocados, quod domina Adalacia, uxor quondam Johannis Bocados, ut tutrix infancium quondam dicti Johannis Bocados, in curia domini regis Aragonum fuit conquesta, quinque anni sunt transacti, de predicto Petro Raimundi, petendo sibi predictam vineam, et usaticum, et super hoc fuit juratum de calumpnia — dubitat [curator]. Postea pridie idus novembris, dictus curator cognoscit dictam dominam conquestam fuisse de predicto Petro Raimundi, sed non ut tutrix ; cetera contenta in predicta posicione negat dictus curator.

Assignata est dies martis proxima ad respondendum dubitacioni.

Quartodecimo kalendas decembris, assignata est totaliter presens septimana Petro Raimundi Olrici ad dicendum, et ponendum, et probandum, et peremptorie omnes excepciones suas, in causa excepcionum quam habet cum Stephano Bocados, curatore liberorum et heredum quondam Johannis Bocados, ipso curatore cum instancia judicium vanante, ut respondeatur libello oblato a dicto curatore, non obstantibus excepcionibus propositis ab eodem Petro Raimundi.

Pridie idus novembris, ponit Stephanus Bocados, curator dictorum liberorum quondam Johannis Bocados, in causa quam habet cum Petro Raimundo Olrici, vel habiturus est, quod vinea, quam dicti liberi et ipse curator nomine eorum intendunt petere a Petro Raimundo, tanquam sibi comissam, est in jurisdictione comitatus Melgorii et Montisferrandi.

Item ponit dictus curator, quod dicti liberi tenent in feudum, a domino episcopo Magalonensi, in comitatu Melgorii, mansum de Crecio, in quo dicta vinea sita est.

Item ponit quod dictus episcopus est comes Melgorii et Montisferrandi.

Item protestatur quod dicti liberi, pro dicta vinea, in curia domini regis Aragonum, numquam querimoniam exposuerunt contra Petrum Raimundi Olrici.

Item protestatur dictus curator, quod si de dicta vinea fuit unquam lis agitata in curia domini regis, inter dictam Adalaiciam, nomine dictorum liberorum, et Petrum Raimundi, dicti liberi, in eo quod possit eisdem afferre prejudicium, ratum non habent, nec habuerunt, nec habere voluerunt, nec potuerunt, cum sint minores viginti quinque annis.

Item protestatur, quod dicta Adalaicia non potuit, tanquam tutrix, in judicium deducere res dictorum liberorum suorum in prejudicium eorumdem, cum non appareat eam tutelam eorum suscepisse secundum modum et formam, a judice ordinario datam, quo vel qua tutela liberorum vel aliorum suscipi debet.

Item ponit dictus curator, quod si a dicta domina aliqua lis, pro dicta vinea, nomine sepedictorum liberorum, fuit mota

contra Petrum Raimundi, a tempore illius litis mote elapsum est triennium et plus.

Item ponit quod dicti liberi sunt minores viginti quinque annis.

Suprascriptis igitur rite peractis, Petro Raimundo nolente coram dicto judice venire, idem judex citavit et citari fecit ipsum, ut coram eo compareret pro dicta causa et questione agitandis. Unde prenominatus judex dictum Petrum Raimundi citavit et citari fecit in hunc modum :

Raimundus de Ulmo, officialis domini episcopi Magalonensis, dilecto in Christo Jambeto, capellano Sancte Marie de Tabulis, salutem in Domino.

Noveritis nos litteras venerabilis patris domini Johannis, Dei gratia Magalonensis episcopi, recepisse sub hac forma :

Johannes divina permissione, *etc.* (*ut supra*), *jusqu'à :* quadragesimo primo.

Hujus igitur auctoritate mandati, vobis precipiendo mandamus, quatenus dictum Petrum Raimundi Olrici, ex parte nostra, citetis, quod, die martis proxima venienti, apud Montempessulanum in curia episcopali compareat coram nobis, dictis conquerentibus et eorum curatori de jure responsurus.

Datum tercio nonas octobris, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo primo.

Raimundus de Ulmo, officialis domini Magalonensis episcopi, judex delegatus ab eodem, dilecto in Christo Jambeto, capellano Beate Marie de Tabulis, salutem in Domino.

Mandamus vobis, quatenus, ex parte nostra, citetis Petrum Raimundi Olrici, quod, die martis proxime venienti, compareat coram nobis, propositurus quicquid de jure proponere voluerit in causa quam habet cum Stephano Bocados, curatore liberorum quondam Johannis Bocados.

Datum quartodecimo kalendas novembris.

Raimundus de Ulmo, officialis, *etc.* (*ut supra*), *jusqu'à :* in Domino.

Mandamus vobis, quatenus, ex parte nostra, citetis Petrum Raimundi Olrici, quatenus die crastina compareat coram nobis, propositurus quicquid proponere poterit in causa quam contra eum movet Stephanus Bocados coram nobis. Facta citatione, remittatis nobis presentes litteras cum sigilli vestri impressione.

Datum octavo kalendas novembris.

Raimundus de Ulmo, officialis, *etc.* (*ut supra*), *jusqu'à :* in Domino.

Mandamus vobis, quatenus, ex parte nostra, Petrum Raimundi Olrico citetis, quod die lune proxima, compareat coram nobis, propositurus omnes excepciones suas declinatorias in causa quam habet cum Stephano Bocados, curatore liberorum et heredum quondam Johannis Bocados. Quam diem eidem Petro Raimundo Olrici assignamus et peremptoriam. Remittatis nobis litteras presentes cum appositione sigilli vestri, facta citatione.

Datum pridie kalendas novembris, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo primo.

Raimundus de Ulmo, officialis, *etc.* (*ut supra*), *jusqu'à :* in Domino.

Mandamus vobis, quatenus Petrum Raimundi Olrici, ex parte nostra, citetis, quod, die sabbati proxime venienti, compareat coram nobis, propositurus omnes excepciones suas declinatorias in causa quam habet cum Stephano Bocados, curatore liberorum et heredum quondam Johannis Bocados. Quam diem Petro Raimundi peremptoriam assignamus, ita tamen quod, pulsatis et dictis vesperis, ex tunc non audiretur.

Datum VI idus novembris.

Remittite nobis litteras, facta citatione, cum apposicione vestri sigilli.

Raimundus de Ulmo, officialis, *etc.* (*ut supra*), *jusqu'à :* in Domino.

Cum Stephanus Bocados, curator liberorum et heredum quondam Johannis Bocados, pro justicia sibi reddenda, de Petro Raimundi instet quam plurimum coram nobis, quam sibi negare non possumus nec debemus, auctoritate qua fungimur vobis precipiendo mandamus, quatenus prefatum Petrum Raimundi Olrici citetis, ex parte nostra, quod, die crastina et die veneris et die sabbati proxime venientibus, compareat coram nobis. Quas dies sibi Petro Raimundi ad probandum sibi negocia ssignamus. In signum citationis facte, remittatis nobis presentes litteras cum sigilli vestri apposicione.

Datum idus novembris, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo primo.

Raimundus de Ulmo, officialis, *etc.* (*ut supra*), *jusqu'à :* in Domino.

Auctoritate delegacionis dicti domini episcopi, vobis precipimus et mandamus, quatenus Petrum Raimundi Olrici, ex parte nostra, citetis, quod, die veneris proxime venienti, compareat in Montepessulano, in curia dicti domini episcopi, coram nobis, responsurus libello, oblato nobis et sibi ostenso et lecto a Stephano Bocados, curatore liberorum et heredum quondam Johannis Bocados, ipso curatore cum magna instancia postulante a nobis, quod dicto libello ab ipso Petro Raimundi respondeatur. Precipimus etiam vobis quod, facta citacione ista, presentes litteras nobis remittatis cum sigilli vestri impressione, in signum citationis facte.

Datum sexto kalendas decembris, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo primo.

Raimundus de Ulmo, officialis et delegatus domini Magalonensis episcopi, dilecto in Christo Petro Raimundo Olrici, salutem in Domino.

Cum Stephanus Bocados, curator liberorum et heredum quondam Johannis Bocados, oportune et importune instet quam plurimum coram nobis, ut libello, oblato coram nobis contra vos ab eodem, respondeatis et compellamur sibi respondere, vestram non credimus prudenciam ignorare cum nudius

et tercius vobis dederimus per nostras litteras in mandatis, quod, super predictis responsurus, compareretis coram nobis; quod facere minime procurastis, altera parte legitime comparente.

Verum cum vobis et ipsi, ex debite servitutis officio, sumus in vestro jure debitores, vobis, auctoritate qua fungimur in hac parte, precipiendo districte mandamus, quatenus, die lune proxima venienti, compareatis apud Montempessulanum in domo episcopali coram nobis responsurus libello, oblato coram nobis a Stephano Bocados memorato; et, si contigerit aliquo impedimento quod predicta die comparere non potueritis, assignamus vobis ad idem diem jovis subsequentem, ita quod ex tunc in antea in ipsa causa, quantum de jure potuerimus, procedemus.

Datum II nonas decembris.

Citato igitur, ut prelibatum est, dicto Petro Raimundo et venire et se presentare nolente, sed per suam contumaciam se absentante et dictas citaciones spernente, remissis litteris citacionum factarum a dicto sacerdote, cum sigillo suo resigillatis, prefato officiali et judici, prenominatus Raimundus de Ulmo, officialis et judex, ut dictum est, delegatus a prefato domino episcopo, comite Melgorii et Montisferrandi et tocius eorumdem comitatus, presentibus sacrosanctis Dei evangeliis, ut dicti Petri Raimundi Olrici absencia Dei repleretur presencia, sententiando, causa cognita, decrevit dictum Stephanum Bocados, curatorem dicti Johannis et Guiraldi, jamdudum puberum, sed tamen in minori etate viginti quinque annorum constitutorum, liberorum et heredum quondam prefati Johannis Bocados, et ipsos Johannem et Guiraldum mittendos esse, causa rei servande, in possessione suprascripte vinee, que [est] in manso predicto de Crecio, ut prefatus Petrus Raimundus Olrici, tedio affectus, coram dicto judice veniret litigaturus.

Preterea, facto sacramento a dicto curatore super expensis litis, et taxacione a dicto judice facta ante sacramentum, idem judex, dato dicto sacramento, condempnavit eundem Petrum Raimundi Olrici in centum solidos melgorienses, dandos et

solvendos dicto curatori et prefatis minoribus ab ipso Petro R. pro expensis litis.

Quod quidem decretum sententiando factum fuit et pronunciatum, et dicta condempnacio scilicet facta fuit et recitacio sollempniter a dicto officiali et judice, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo primo, nono kalendas januarii, in presencia et testimonio magistri Michaelis de Claromonte, Hugonis de Sancto Egidio, Guillelmi Luciani, Stephani Clerici, et mei Petri de Pamiis notarii.

Post hec, anno quo supra, crastina die, judex et officialis supradictus, accedens corporaliter ad suprascriptam vineam, que est in dicto manso de Crecio, que confrontatur ex una parte cum vinea uxoris Petri Raimundi supradicti, carairone in medio, et ex alia parte cum planterio Guillelmi Princer, carrairone in medio, et ex alia parte cum planterio Raimundi de Via, carrairone in medio, et ex alia parte cum honore Guiraldi Alamandi, rasa in medio, misit et induxit in corporalem possessionem ipsius vinee predicte Stephanum Bocados ratione dicte cure, et prefatum Johannem Bocados pro se et Guiraldo fratre suo causa rei servande, ut dictus Petri Raimundi, tedio affectus, veniat coram eo litigaturus.

Acta sunt hec sollempniter in presencia et testimonio Hugonis Ymberti, Johannis Romani, et mei Petri de Pamiis, notarii supradicti, qui, mandato dicti officialis et bajuli, hec omnia scripsi.

(Reg. E, fol. 250 r°).

DXXV. — 6 mars 1241 (n. s. 1242).

Arnaud de Roqua Roya reconnaît au châtelain de Montferrand le château de Montvert et tout ce qu'il possède dans la paroisse de Valflaunès.

Anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quadragesimo primo, pridie nonas marcii, ego Arnaudus de Roqua Roya... recognosco vobis Maurino de Combalholis,

castellano Montisferrandi, me habere et tenere a venerabili patre et domino Johanne de Montelauro, Dei gratia Magalonensi episcopo, comite Melgorii et castri predicti, occasione dicti castri seu pro dicto castro Montisferrandi, scilicet quicquid habeo, habere possum seu debeo in toto castro de Monteviridi, et in toto pertinimento ejusdem castri;

Et totum illum honorem, quem habeo in parrochia de *Valfennez*, et generaliter omnia quecumque habeo... vel aliquis alius a me tenet vel possidet, qualiscumque honor sit, sive sint vinee, campi, domus, culta vel inculta, heremi, condricta, quarta, usatica (1), et alia servicia.

Quam recognicionem facio tibi, stipulanti et recipienti pro dicto Magalonensi domino episcopo, et eam faciam tibi vel ipsi domino episcopo, quociens requisitus fuero a te vel ab ipso domino episcopo.

Horum omnium testes sunt Petrus Christofori jurisperitus, Petrus Borrelli prior ecclesie Sancti Petri de *Valfennez*, Petrus de Sancto Marciali, Petrus Salvator de *Valfennez*, et ego Petrus Garnerii, Montisferrandi notarius publicus, qui, rogatus ab utraque parte, hec scripsi et signum meum apposui.

(Reg. E, fol. 300 r°).

DXXVI. — 27 mars 1242

Jean de Montlaur II donne les statuts de la Faculté des Arts.

Johannes, divina permissione episcopus Magalonensis, dilectis in Christo filiis, magistris et scolaribus in grammatica et logica apud Montempessulanum vel Montempessulanetum studentibus, salutem in Domino Jhesu Christo.

Cum et plantare sacrum studium, et plantatum fovere modis omnibus debeamus, nunquam hoc melius exequimur, quam cum nutrire ea que recta sunt, et corrigere que profectum studii et scolastice discipline impediunt, auctoritate nostra

(1) Cart.: *quarti usatica.*

curamus (1). Ut impedimento hujus studii occuramus prudenter, de communi consensu et consilio universitatis quam doctorum quam discipulorum, in prefatis apud Montempessulanum artibus studencium, per nos et per omnes nostros successores, constitutione perpetua, ordinamus, promulgamus et statuimus subsequencia irrefragabiliter observanda :

Ut nullus de cetero in villa Montispessulani vel Montispessulaneti in grammaticis vel dyale[c]ticis regat, nisi primo examinatus fuerit et approbatus a Magalonensi episcopo, vel ab aliquo ab eo ad hoc specialiter constituto, et quibusdam regencium bona fide sibi adjunctis, juxta arbitrium sue discrecionis, et nisi licentiatus fuerit ab eodem. Si quis tamen rexerit Parisius in artibus non examinetur ; nec tamen regat in Montepessulano, nisi ab episcopo Magalonensi, vel ab aliquo gerente vices suas, regendi licentia sibi detur.

Statuimus etiam quod quicumque examinatus fuerit, juret super sancta Dei euvangelia se fore fidelem et obedientem Magalonensi episcopo et curie nostre de Montepessulaneto.

Item statuimus quod incipientes incipiant in ecclesia Sancte Fidis, sita [in] Montepessulaneto, vel in aliquibus scolis, ut consuetum est in locis ubi est studium generale.

Item statuimus quod quilibet magister, ad incepciones si vocatus fuerit ab incipiente, accedere et interesse incepcioni teneatur.

Item statuimus quod nullus magistrorum, per se vel alium, vel aliqua machinatione, sibi alliciat scolarem alterius magistri, nec eciam in scolis suis scolarem aliquem recipiat ad doctrinam, qui alicui magistro super salario fuerit obligatus.

Preterea, ob Sanctorum Petrum reverenciam, statuimus quod nullus magister legat ordinarie in diebus sollempnibus, quos indicit Magalonensis Ecclesia esse communiter celebrandos.

Item statuimus quod quilibet magister veniat, et scolares suos ad veniendum moneat et inducat, ad exequias mortuorum

---

(1) Cart.: *discipline impediunt, impediunt nobis a deo auctoritate curemus.*

magistrorum sive scolarium, si ab aliquo magistro vel ab officiali nostro super hoc, per se vel alio, ejus nomine, moneatur.

Item statuimus quod quicumque vocabitur a Magalonensi episcopo vel ab officiali ejus pro aliquo negocio Magalonensis Ecclesie, vel pro aliquo generali et communi negocio tocius studii hujus ville, veniat sine mora, et consilium et auxilium fideliter, secundum bonam suam conscientiam, impendere teneatur.

Statuimus eciam quod nullus magister sive scolaris, in hiis studens facultatibus, aliqua machinacione subtrahat alii magistro vel scolari, prece vel precio, rancore vel odio, domum quam jam conduxit, vel, si in ea permaneat, conducere jam presumat.

Item statuimus quod nullus magister vel scolaris, inter magistros vel scolares, alicubi in conventibus, incepcionibus vel in scolis recipiatur, nisi tonsuram deferat clericalem, dum tamen beneficium ecclesiasticum fuerit assecutus, vel in sacris ordinibus fuerit constitutus ; similiter nec (1) aliquis regularis, nisi habitum deferat regularem, juxta ritum sue professionis.

Preterea si magister sequatur suam vel suorum injuriam contra aliquem qui non sit scolaris dicte Universitatis, omnes magistri vel scolares, ad hanc commoniti, juvent illum consilio et auxilio, racione tamen previa, ne propter hoc inhonoretur vel dampnificetur.

Debitus honor exhibeatur antiquioribus magistris, in sedibus et in incessu, ut is alios antecedat reverentie scolastice exhibicione, quem labor prolixior docendi fecit anteire.

Item statuimus quod magister, qui Decanus appellabitur, denunciari faciat aliis quibus diebus et quamtum fuerit a leccionibus et disputacionibus cessandum, ut quando et quantum ipse cessaverit, et alii cessent, nisi familiaris necessitas, utputa infirmitas, eum compulerit ad cessandum.

Precipimus eciam quod tota presens pagina in singulis magistrorum incepcionibus publice recitetur, in magistrorum et

---

(1) Cart.: *ne*.

scolarium audiencia communi ; nec eciam pro magistro habeatur incepturus, nisi prius in medio juret supra sancta euvangelia se observaturum omnia que in presenti carta continentur.

Duo autem instrumenta, eumdem tenorem continencia, fieri precipimus ad cautelam ; quorum unum precipimus custodiri ab officiali nostro et bajulo curie nostre Montispessulaneti, reliquum a rectore Universitatis predicte ; ita ut, quando requisitus fuerit idem rector ab aliquo sive ab aliquibus magistrorum vel scolarium ipsius Universitatis, sine difficultate copiam de eo faciat postulanti. Is tamen cui facta fuerit copia, ipsam restituere non retardet.

Si quis vero huic nostre constitutioni seu constitucionibus ausu temerario presumpserit obviare, auctoritate Dei omnipotentis et nostra se noverit anathematis mucrone percelli. Observatores autem presencium benedictione eterna et nostra mereatur perpetuo gratulari.

Ut autem predicta perpetuo robore confirmentur et semper maneant incommota, presentem paginam jussimus bulla nostra plumbea communiri.

Datum apud Montempessulanetum, in domo episcopali, in aula subtus capellam, anno Dominice Incarnacionis millesimo CC° XLII°, videlicet VI kalendas aprilis, presentibus et specialiter vocatis et rogatis ad hoc testibus infrascriptis, magistro Bertrando Voltos, decano, magistro Germano, rectore dicte Universitatis, magistro Deodato de Pratis, Berengario Arnaudi archipresbitero, Poncio de Vicenobrio, priore Sancti Marcelli, Hugone de Gilabriaco, priore Sancti Vincenciani, Poncio de Soregio, conresario, Guiraudo Petri, canonicorum Magalonensium, Raymundo de Ulmo bajulo et officiali predicti domini episcopi, et Bernardo de Fisco, in toto Magalonensi episcopatu et Melgoriensi comitatu, notario publico qui hec omnia scripsit rogatus et signavit.

(Reg. F, fol. 353 r° ; édité dans *Cart. de l'Université*, t. I, p. 190).

DXXVII. 16 avril 1242

Compromis entre Jean de Montlaur II et le recteur de Grandmont.

Manifestum sit cunctis presentibus et futuris, quod, questione et controversia orta inter dominum Johannem de Montelauro, Magalonensem episcopum, ac comitem Melgorii et Montisferrandi ex una parte, et fratrem Gilbertum, correctorem domus Grandismontis de [Monte]arbedone, defendentem ipsam domum et agentem pro ea ex altera parte; super eo quod dominus prefatus episcopus petebat ab ipso correctore in (1) domo predicta, ut ab usufructuariis, jura omnia, concessa et data dicte domui a domino Guillelmo, bone memorie domino Montispessulani quondam, et a domino rege Aragonum ejus successore, reddituum et locariorum furni castri de Montepessulano, qui est prope Ordeariam, quia ea sibi in commissum incidisse dicebat, cum de feudo essent quod dominus Montispessulani tenebat ab episcopo Magalonensi, quod alienare non poterat in sanctis, vel clericis, seu militibus, nec etiam in aliis personis, sine consilio episcopi memorati;

Et super eo quod molendinum de Roca quod est in flumine Lesi, supra pontem Castrinovi, quod ad dictam domum Grandismontis pervenerat ex relicto facto, seu dono ipsi domui a Jacobo de Porta, cujus fuerat, idem dominus episcopus dicebat sibi incidisse in comissum, quia asserebat se habere, ut comes Montisferrandi, in eo dominium, laudimium et consilium, et pro usatico, singulis annis, quinque solidos melgorienses, cum a comite Montisferrandi teneretur sub dicto annuo censu, ita etiam quod in personis religionis non poterat alienari, quod dictus corrector diffitebatur verum esse;

Et super eo quod dictus corrector asserebat comitem Raimundum, avum comitis Tholosani presentis seu viventis, dominum quondam dicti castri Melgorii, [domui] jam dicte Grandismontis dedisse, causa elemosine, decem sextaria boni

(1) Cart.: *et*.

frumenti, singulis annis, imperpetuum habenda et percipienda, et solvenda de redditibus suis dicti castri de Melgorio, que, contemplatione dicte donationis, eamdem domum dicebat recepisse fere per quinquaginta annos; et, a tribus annis citra, idem dominus episcopus eamdem domum privaverat a dicta perceptione: unde deinde [imperpetuum], singulis annis, in dicto festo sancti Michaelis, dicte domui ab ipso domino episcopo, et ejus successoribus comitibus Melgorii, predicta decem sextaria frumenti boni dari petebat atque solvi de redditibus dicti castri;

Ad ultimum vero memoratus dominus episcopus, ac comes Melgorii et Montisferrandi, et dictus corrector, nomine domus Grandismontis, et pro toto ejus conventu, cui promisit hec facere rata habere et laudari, mediantibus et interloquentibus communibus amicis, super predictis controversiis et altercationibus, et omnibus aliis questionibus, que esse poterant inter ipsum dominum episcopum et comitem et dictam domum Grandismontis, transactionem et compromissionem fecerunt amicabilem, in hunc modum, videlicet:

Quod memoratus dominus episcopus et comes, per se et omnes successores suos, episcopos et comites Melgorii et Montisferrandi, laudavit et confirmavit dicte domui Grandismontis perpetuo, et dicto correctori, recipienti pro eadem domo et toto ejus conventu, prescriptam donationem omnium reddituum dicti furni castri, factam ipsi domui a dicto Guillelmo, domino quondam Montispessulani, et a dicto domino rege Aragonum ejus successore;

Ac similiter laudavit et consiliavit idem dominus episcopus et comes memorate domui Grandismontis et ejus conventui imperpetuum, et ipsi Gitberto recipienti pro eadem domo, totum dictum molendinum, cum omnibus pertinentiis ejus, et relictum, seu domum inde factum ipsi domui a dicto Jacobo de Porta, ac remittendo omnia jura que habebat in eodem molendino, salvo tamen sibi et successoribus suis comitibus Melgorii et Montisferrandi, singulis annis, in festo sancti Michaelis duodecim denariis melgoriensibus tantum pro usatico; et salvo similiter dominio, laudimio et consilio sibi et

successoribus suis si dictum molendinum alienaretur deinde; et tamen, ad ipsum alienandum, dicta domus Grandismontis cogi non possit ab ipso domino episcopo et comite, vel ab aliquo ejus successore.

Et preterea idem dominus episcopus et comes, per se et omnes successores suos dedit, restituit et solvere promisit semper et imperpetuum deinde in festo sancti Michaelis, singulis annis, dicta decem sextaria boni frumenti, de redditibus dicti castri de Melgorio memorate domui Grandismontis et et dicto fratri Gitberto correctori, stipulanti pro ipsa domo [et] ejus conventu; et ipsa decem sextaria annualia percipienda, ut dictum est, assignavit ipsi domui super suis redditibus dicti castri de Melgorio;.

Et etiam dictam domum Grandismontis, et prefatum correctorem, recipientem pro ejus capitulo, idem dominus episcopus et comes, per se et omnes successores suos, absolvit et liberavit ab omnibus hiis et singulis que ab ipsa domo, vel in bonis ejus, petere posset, faciendo inde generale pactum et generalem intellectum de aliquid non petendo;

Cognoscens idem dominus episcopus et comes se habuisse a dicto correctore, solvente pro dicta domo et ejus conventu, ex hac transactione et compositione, xv libras melgorienses, in quibus renunciavit... et juri scripto...

Qui etiam, idem dominus episcopus et comes, recepit dictam domum Grandismontis, et omnes fratres, et res ac bona eorum presencia et futura, in sua legali proteccione et deffensione omnium personarum.

Sepedictus vero frater Gitbertus, corrector dicte domus Grandismontis, per se et totum conventum ipsius domus, cui promisit hec omnia se facere rata habere et laudari, et effecturum et curaturum ut predicta omnia laudet ipsam transactionem ratam habuit et laudavit expressim;

Ac etiam viva voce cognoscens et asserens, ex vigore hujus transaccionis et composicionis, memoratum dominum episcopum comitem Montisferrandi habere, et habere debere in dicto molendino duodecim denarios melgorienses, singulis annis, in festo sancti Michaelis de usatico tantum; et preterea domi-

nium, laudimium et consilium in futuris alienationibus, que fierent de ipso molendino, ad quod alienandum dicta domus compelli non potest a dicto domino episcopo et comite, vel ab ejus successoribus seu ab alia persona.

Et, eodem modo, idem corrector, pro se et toto conventu Grandismontis, absolvit [et] liberavit eumdem dominum episcopum et comitem ab omnibus, que ab eo peti possent ab ipsa domo Grandismontis; et fecit inde ei pactum generale de aliquid non petendo, salvis tamen ipsi domui dictis sextariis boni frumenti, singulis annis, imperpetuum prestandis, ut dictum est supra : et renunciavit...

Acta sunt hec apud Villamnovam, in stari ejusdem domini episcopi, anno Dominice Incarnationis M° II^c^ XLII°, sexto decimo kalendas maii, in presencia et testimonio domini Bernardi de Muroveteri prepositi Magalonensis, Berengarii Arnaldi archipresbiteri, Poncii de Vezenobre canonici, Raimundi de Lauda canonici, Raimundi de Ulmo officialis ejusdem domini episcopi, et Guillelmi Jordani notarii qui, rogatus a partibus, hec omnia scripsit.

(Reg. D, fol. 159 r°, d'après un vidimus de 1332, et reg. E, fol. 135 r°, d'après un vidimus de 1292 ; édité par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 249).

DXXVIII. — 27 mai 1242

Difficultés entre Jean de Montlaur II et certains chanoines, en particulier Pierre de Conques. Sentence à ce sujet.

(*Déchirure 15 cent.*) (1) B. de Muroveteri (*déch. 4 cent.*) na parte, et nos Petrus (*déch. 14 cent.*) Petrus de Livrano de

1. Cet acte est d'une grande importance, et il est bien regrettable qu'il nous soit arrivé en si mauvais état. Si nous avions employé les réactifs ordinaires, il est bien probable que nous aurions pu le compléter sur plusieurs points. Nous ne l'avons pas fait : 1° parce qu'il nous semble que les lacunes pourront être facilement comblées soit par d'autres passages du *Cartulaire* soit par le *Bullaire* :

(*déch. 11 cent.*) marie (?). Berengarius de Bojano de Centrai (*déch. 3 cent.*) de Sancto Mauricio (*déch. 2 cent.*) eus priores ex altera, compromittimus in dominum Bernardum de Castro episcopali, tenentem locum domini Jacobi, Dei gratia regis Aragonum in Montepessulano et ejus dominatione, et Bernardum, abbatem Sancti Pauli Narbonensis, et Stephanum de Conchis, canonicum Narbonensem, super omnibus questionibus et querelis, quas habemus ad invicem quoquo modo, vel habere possumus, usque ad presentem diem, exprimendis per nos coram eis infra XV dies post roborationem dicti compromissi, et super alia que in ipsa Ecclesia vel pro ipsa viderint ordinanda, dantes eisdem plenariam potestatem, ut questiones ipsas, simul vel separatim, possint terminare, disponere vel ordinare de ipsis juris amore, voluntate seu amicabili compositione, et alia ordinaria que eis visa fuerunt expedire.

Et si forte ipsi tres super hiis non possent unanimiter convenire, sit ratum, et firmum, et stabile, et perpetuam obtineat firmitatem, quod per ipsum dominum Bernardum de Castro episcopali et alterum predictorum ordinatum fuerit, seu statutum, et quod hoc observemus et nunquam contra veniamus; faciemus nos, episcopus, jurare in animam nostram, et nos alii universi et singuli firmabimus proprio juramento, et fidejussores ac pignora dabimus, quandocumque fuerimus requisiti, ducentarum marcharum argenti, supradicto domino Bernardo de Castro episcopali et sociis ejus, prestanda a parte inhobediente parti ipsis hobedienti, dicto, vel statuto, seu ordinatione eorum rata nichilominus permanente; que pena in omnibus et singulis capitulis comitatur.

2° parce que nous n'avons pas voulu détériorer le *Cartulaire*. Nous avons, en effet, constaté que les parties illisibles du *Cartulaire* proviennent de l'humidité: le réactif ne fait que répandre l'encre dans les fibres du parchemin, détériorant le recto ou le verso, suivant le cas, et rendant illisible ce qui était parfaitement lisible.

Pour rendre justice à tous, disons que Messieurs les Employés des Archives ont toujours été à notre disposition; le lecteur doit donc incriminer seulement l'auteur des notes du *Cartulaire*. Nous souhaitons que d'autres soient plus heureux que nous. Pour notre part, nous emploierons très peu les réactifs.

Fuit eciam actum et concessum a nobis, quod nos coram predictis arbitris comparere debemus, quandocumque fuerimus citati per ipsos, vel de eorum mandato; et quod arbitri predicti, die feriato vel non feriato, possint procedere in negocio isto, presente altera parte vel absente; renunciantes omni auxilio juris et facti, quo contra predicta vel eorum aliquod venire possemus.

Durabit autem compromissum istud usque ad Assumptionem Sancte Marie proxime venientem, ita quod, si arbitris visum fuerit, possint dictum terminum prorogare quociens et quamdiu placuerit eis.

Hoc autem compromissum, et omnia que per arbitros predictos, vel per dominum Bernardum de Castro episcopali, cum sociis suis vel cum altero eorum statuta fuerunt vel ordinata, sicut superius est expressum, apud castrum ante hostium camere dicti domini Bernardi de Castro episcopali, laudaverunt, approbaverunt et se ratos habituros perpetuo proprio juramento firmaverunt Petrus de Conchis Sancti Firmini, magister Guiraldus de Castronovo, Petrus de Livrano de Piniano, magister Petrus Juliani de Frontiniano, Berengarius de Bojano de Centrairanicis, et Bernardus de Sancto Mauricio de Novigens, priores; et pro eis, ut predicta omnia observarentur ab eis, obligaverunt se quisque in solidum, et omnia bona sua Thomas de Conchis, Petrus Rigaldi et Berengarius de Conchis pro ducentis marchis argenti, ad cognitionem et voluntatem domini Bernardi de Castro episcopali et sociorum ejus; et promiserunt se pignora reddituros ducentarum marcharum argenti, quandocumque essent a predictis arbitris requisiti, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentisimo XLII°, VI kalendas junii, in presencia et testimonio Petri Rainaldi, canonici Sancti Pauli Narbonensis, Petri Genesii sacerdotis, Jacobi de Bello Podio subdiaconi, Bernardi de Vilella dicti domini Bernardi de Castro episcopali scriptoris, et mei Raimundi Dosca, Montispessulani notarii, qui rogatus hec scripsi.

Quo facto dicti arbitri incontinenti cum eisdem testibus,

ad domum dicti domini episcopi descendentes, lecto ibi compromisso coram arbitris antedictis, dominus episcopus (*déch. et tache d'humidité de 4 cent. au haut du folio 266 r° ; puis large tache d'humidité courant six lignes. Nous donnons les mots que nous avons pu lire, remplaçant les autres par des points*)..

.... per arbitros predictos..............

.... Bernardus] de Castro episcopali...............

....

....

dictus Bernardus de Muroveteri, prepositus, qui, de mandato dicti domini episcopi et in ejus manibus..................

.... et Poncius de Vicenobrio archidiaconus, Michael de Moresio et Guillelmus Christofori archidiaconi, Guillelmus Arnaldi sacrista, Aldeocus (?) prior Sancte Eulalie, Petrus........ prior de Melgorio, Pontius de Cabreria prior de Lunelloveteri, Berengarius..............archipresbiter, Jacobus.......... prior de Adavo, Guillelmus de Montelauro prior de Molinis, Guillelmus de Fabricis (?), Petrus de Roca forcada prior de Buegis, Bricius prior de Lundris et Petrus de .... helemosinarius; et pro domino episcopo, et Bernardo preposito, et Pontio de Vicenobrio archidiacono, ut predicta omnia observarentur ab omnibus suprascriptis, modo obligaverunt se, quisque in solidum, et omnia bona sua Hugo de Quatuor Casis, et Austorgus de Orllaco, in presentia et testimonio testium suprascriptorum, et mei Raimundi Dosca, notarii Montispessulani, qui rogatus hec scripsi.

Item ipsa die apud domum prioris de Montearbedone, idem prior, scilicet Bertrandus de Altiniaco, juravit et predicta habuit rata sub testimonio testium predictorum, presentibus ipsis arbitris, et mei Raimundi Dosca, Montispessulani notarii, qui rogatus hec scripsi.

Item eodem anno, III° kalendas junii, laudaverunt predicta, et proprio juramento firmaverunt Raimundus de Lauda prior de Perolis, Guillelmus de Nozeto operarius, Poncius de Soregio

coquinarius, Pontius Thomas prior de Aquis, et Jordanus infirmarius.

Actum est hoc in aula domini episcopi de Montepessulano, in presentia et testimonio Petri Genesii, sacerdotis, Jacobi de Bello Podio subdiaconi, Bernardi de Vilella, domini Bernardi de Castro episcopali scriptoris, et mei Raimundi Dosca, Montispessulani notarii, qui rogatus hec scripsi.

Item eodem die laudavit et approbavit predicta et proprio juramento firmavit Raimundus Atbrandi prior de Claperiis, in canonica Sancti Firmini, presentibus Bernardo abbate Sancti Pauli Narbonensis, et Stephano de Conchis canonico Narbonensi, in presentia et testimonio Petri Rainaldi canonici Sancti Pauli Narbonensis, Petri Genesii sacerdotis, Jacobi de Bello Podio subdiaconi, et mei Raimundi Dosca, Montispessulani notarii, qui rogatus hec scripsi.

Item ipsa die laudaverunt et approbaverunt predicta et proprio juramento firmaverunt Hugo de Grabiaco prior Sancti Vincenciani (1), Petrus de Nayraco prior Sancte Marie de Gornerio, in posse Bernardi abbatis Sancti Pauli Narbonensis, et in domo ipsius abbatis, et Stephani de Conchis, in presentia et testimonio Petri Raynaldi, Jacobi de Bello Podio predictorum, et mei Raimundi Dosca, Montispessulani notarii, qui rogatus hec scripsi.

Post hec anno quo supra, III° kalendas junii, Petrus prior Sancti Firmini, magister Guiraldus prior de Castronovo, Petrus de Livrano prior de Piniano, Bernardus de Sancto Mauricio prior de Novegens, et Raimundus Atbrandi prior de Claperiis, pro se et sociis suis, addiderunt predictis arbitris quamdam cedulam paperii, cujus tenor talis est :

Quoniam dominus episcopus, de assensu et voluntate totius Capituli Magalonensis, excommunicavit Pontium de Lunello,

---

(1) Cart.: *Vincensani.*

Johannem Albrandi et eorum complices, propter diversa maleficia et rapinas, cum omnibus eisdem participantibus, et domino Pape relationem facti fecerit per discretum virum Raimundum de Mesua (1) condam prepositum, ut per litteras commissionis domini Pape patet, et per testes eciam patebit, si necesse fuerit: eosdem contra hoc et alias multas rationes, Capitulo irrequisito et penitus inscio, de facto, cum de jure non posset, absolvere presumpserit; unde petimus quod illud, quod de facto male actum est, ad statum pristinum revocetur, cum iterum predictos de assensu, consilio et voluntate expressa totius Capituli Magalonensis propter sua maleficia decanonicaverit, et a consortio Magalonensis Ecclesie, perpetuo separaverit sine voluntate et assensu Capituli, multis eciam contradicentibus et appellantibus, ipsos in Ecclesiam Magalonensem intrudere presumpserit; unde petimus quod ab Ecclesia removeantur.

Item contra canonicas sanxiones Bernardum de Muroveteri in preposituram intrusit; unde petimus quod ab eadem prepositura removeatur.

Item Pontio de Vicenobrio archidiaconatum Magalonensem contulit, cum collatio illius archidiaconatus ad Capitulum Magalonense per lapsum temporis devoluta esset; unde petimus quod remoto dicto Pontio capitulum ordina (*déch. 5 cent. et tache d'humidité*)...... laicos excommunicatos.......... dampnis nobis illatis, nulla precedente en (*déch. 4 cent.*).... ..... unde esset........................... imo eosdem reduci in pristinam excommunicationem (2).

---

(1) Voir sur les entreprises de cette bande suivant le sacriste : *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, pp. 512 et suiv.

(2) Ce paragraphe devrait en former deux. Il y a en effet deux plaintes : l'une relative à la nomination de Pons de Vezenobre, l'autre relative à des laïques excommuniés pour avoir porté préjudice à l'Église de Maguelone. Ces laïques ne sont autres, croyons-nous, que les consuls de Montpellier, complices du sacriste Pons de Lunel et de sa bande. Pour comprendre cette pièce, il faut la rapprocher des bulles de Grégoire IX (Voir *Bullaire*, t. II, pp. 509 et suivantes).

Item cum ecclesia Sancti Firm[ini (*dêch. 4 cent.*) c]ausis spiritualibus omnibus, eciam matrimonialibus que inter suos parrochianos vertuntur (*dêch. 2 cent.*) et pacifice habent, dominus episcopus sententias latas a prefata ecclesia revocaverit(?) pro suo libitu voluntatis; unde petimus quod domino episcopo precipiatis ne de cetero similia attemptet.

Item in causis, quas prior Sancti Firmini aliquibus delegat, appellationes a se factas recipit, cum comisso medio ad ipsum non sit appellandum; unde petimus quod ei precipiatis ne de cetero similia attemptet.

Item cum prior Sancti Firmini et amici ejus multas expensas fecerint, et labores multos sustinuerint pro utilitate et honore Magalonensis Ecclesie, petimus ipsis indempnes observari.

[Actum] in presentia et testimonio Raimundi de Sancto Firmino, Johannis de Bariaco, canonicorum Magalonensium, magistri Petri Genesii sacerdotis, et mei Raimundi Dosca, Montispessulani notarii, qui rogatus hec scripsi.

Item IIIIto nonas junii, magister Petrus Juliani, prior de Frontiniano, habuit ratam redditionem dicte cedule paperii, in presencia et testimonio Raimundi de Sancto Firmino, et Johannis de Bariaco, canonicorum Magalonensium predictorum, et mei Raimundi Dosca Montispessulani notarii, qui rogatus hec scripsi.

Item anno quo supra, IIIIto nonas junii, dicti arbitri, in aula domini episcopi apud Montempessulanum, coram ipso preposito, archidiacono, sacrista, et multis prioribus congregatis, auctoritate prefati compromissi sic procedere inceperunt:

In primis attendentes propter multa, que contingere poterant, partibus expedire, ut dictum compromissum prorogetur, ipsum usque ad proximum festum sancti Michaelis concorditer prorogaverunt, retinentes igitur plenariam potestatem, quod si dicta tunc expedita non essent, compromissum ipsum amplius prorogandi.

Item assignaverunt diem partibus ad determinandas questiones propositas et proponendas, usque ad tempus in compro-

misso prefixum, secundam diem intrantis (1) augusti, que (2) erit quarto nonas augusti, et locum apud Montempessulanum, que dies propter negocia emergentia extitit prorogata.

Item quia videbatur utilitati Ecclesie Magalonensis multipliciter expedire, ordinaverunt, preceperunt et mandaverunt sub juramenti religione, quam in compromisso arbitris prestiterunt, preposito, archidiaconibus, sacriste, helemosinario, coquinario et infirmario Magalonensibus, Sancti Firmini et omnibus aliis prioribus ad communitatem Magalonensem pertinentibus, ut de omnibus redditibus, proventibus, obventionibus prioratuum et administrationum suarum integraliter darent decimam, a proximo festo Pentecostes in antea, illis videlicet quos ad collectionem hujusmodi ducerent deputandos, deductis expensis necessariis solummodo, que fient in fructibus colligendis ; ut de peccunia sic collecta dicti arbitri possent disponere et ordinare secundum quod utilitati et honori videretur Magalonensis Ecclesie expedire. Collectioni autem predictorum reddituum deputaverunt helemosinarium et priorem de Castronovo, in presencia et testimonio Petri Rainaldi canonici Sancti Pauli Narbonensis, Petri Genesii sacerdotis, Jacobi de Bello Podio subdiaconi, et mei Raimundi Dosca, Montispessulani notarii, qui rogatus hec scripsi.

Item eodem anno, decimo kalendas octobris, predicti arbitri propter quedam negocia, que ad presens habebant, impediti (3), non valentes intendere antedictis, predictam diem, appositam in compromisso, videlicet festum sancti Michaelis usque ad festum sequens Omnium Sanctorum concorditer prorogaverunt, retinentes tamen sibi plenarium potestatem prorogandi amplius, si viderit expedire.

Actum apud Castrum, in presentia et testimonio Bernardi de Bello Visu militis, Bernardi Rasoris diaconi, et mei Raimundi Dosca, Montispessulani notarii, qui rogatus hec scripsi.

---

(1) Cart.: *instantis*.
(2) Cart.: *qua*.
(3) Cart.: *impeditis*.

Item VI kalendas octobris, dicti arbitri, scilicet Bernardus abbas Sancti Pauli, Stephanus de Conchis, canonicus Narbonensis, in aula domini episcopi et coram ipso preposito, priore Sancti Firmini, et Michaele et Guillelmo archidiaconibus, sacrista et aliis prioribus, convocatis et receptis prius a partibus pignoribus quadringintarum marcharum argenti, primo preceperunt eis quod compromissum factum in eos, et prorogationes factas et faciendas, ac ordinationem decime prioratuum suorum factam per eos, necnon ordinationes alias faciendas per arbitros ipsos quandocumque similiter vel separatim ratas haberent et firmas, et nunquam juris appellatione vel aliqua ratione contravenirent, que omnia omnino sine contradictione aliqua (*fol. 267 r°, déch. 5 cent. 1/2*) uros et observaturos unanimiter promiserunt.

Postmodum (*déch. 5 cent.*) prorogaverunt dictum compromissum usque ad proximum veniens festum Pentecostes (*taches d'humidité jusqu'à la neuvième ligne. Voici ce que nous avons pu déchiffrer*)..............................
plenariam potestatem amplius, quamdiu voluerint, prorogandi ad nutum domini..
et ipsi..
inter dominum (?)...
.... Firmini, prior..............................
Petrus, prior Sancti Firmini, magister Guiraudus de Castronovo, Petrus de Piniano, magister Petrus de Frontiniano, Bernardus de Novegens, Raymundus de Claperiis.........
.... Raimundus de Roca,.............. de Sancto Firmino, Guillelmus Clemens, Poncius........... Johannes de Bariaco [canonici] Magalonenses, dato pacis osculo, Bernardum de Muroveteri in prepositum receperunt, et Pontium de Vicenobrio pro archidiacono habuerunt, in presentia et testimonio Bernardi de Bello Visu militis, Thome de Conchis, Petri Rigaldi, Raimundi de Ulmis, officialis domini Magalonensis episcopi, et plurium aliorum, et mei Raimundi Dosca, Montispessulani notarii, qui rogatus hec scripsi.

Post hec, eodem anno quo supra, tercio kalendas novembris,

nos arbitri superius nominati volumus et mandamus, quod episcopus Magalonensis possit cognoscere de causis matrimonialibus et spiritualibus parrochianorum Sancti Firmini, et aliis quibuscumque committere vel delegare voluerit.

Item quod prior Sancti Firmini, per se vel per alium cui commiserit, possit cognoscere de eisdem causis ; nec episcopus retractet sententias latas, vel processus per eum vel per judicem delegatum ab ipso, nisi ad episcopum per appellationem perferrentur.

Item cum super causis spiritualibus, de quibus judex, delegatus a priore Sancti Firmini, cognoscit, aliquando appelletur, et appellatio hujusmodi fieri debeat a proximo delegante, mandamus quod dominus episcopus de hujusmodi appellatione non cognoscat, sed appelkantes ad priorem Sancti Firmini, sicut debet de jure, remittat.

Recitata fuerunt hec per dictos arbitros, seu de eorum mandato, apud Castrum, presentibus Petro de Conchis, priore Sancti Firmini, et Raimundo de Ulmo procuratore domini episcopi, in presentia et testimonio Raimundi de Roca, Raimundi de Sancto Firmino, Guillelmi Clementis, et Poncii de Casalis canonicorum Magalonensium, magistri Petri de Aron, magistri Petri Hieratoris, Johannis Godafridi, et mei sepedicti Raimundi Dosca, Montispessulani notarii, qui rogatus hec scripsi. Quibus recitatis dictus Raimundus de Ulmo, incontinenti, quantum ad illud quod fuit dictum seu recitatum contra dominum episcopum, viva voce contradixit.

(Reg. B, fol. 265 v°).

DXXIX. — 27 mai 1242

Vente d'une terre en franc-alleu à Villeneuve faite par une mère à ses enfants.

In nomine Domini. Anno Dominice ejusdem Incarnationis M° CC° XLII°, sexto kalendas junii, ego Hermeniardis, uxor quondam Bertrandi Thome de Villanova... vendo... vobis

Petro de Sancta Maria et Stephano de Sancta Maria, filiis meis, et vestris, et cui vel quibus relinquetis, ad omnes vestras et vestrorum voluntates... in francho alodio, sine omni contradictione mea, retencione, excepcione, appellacione vel alterius persone.... totam videlicet unam peciam terre cum omnibus pertinenciis.... que (1) est in decimaria Sancti (2) Stephani de Villanova, in tenezone de Domenova; et confrontatur ex una parte cum honore Guillelmi Saverie, et ex alia cum honore Andree [de] Veruna, ex altera cum carreria publica, que discurrit ad puteum de Domenova, et ex alia cum honore infantum de Vaugeria.

Nomine autem hujus presentis vendicionis... profiteor me a vobis (3) habuisse XX libras melgorienses, nomine precii, quos michi bene et integre exsolvistis, vera numeracione interveniente, renuncians expressim... excepcioni non habite peccunie... Quod quidem predicta pecia terre vendita amplius valet precio supradicto, totum illud... vobis predictis filiis meis dono... me disvestiendo... et omni juri meo et racioni abrenuncio, tradens et concedens vobis ipsius ejusdem pecie terre, in alodio vobis vendite, corporalem apprehendere possessionem... promittens vobis stipulantibus quod ipsam eandem terre peciam... in jure vobis et vestris deffendam... vobis et vestris me et bona mea presencia et futura obligo et astringo, renuncians super hiis consulta exceptioni velleiani senatus consulti, et specialiter juratis dotis et beneficio restitucionis, et omni alii auxilio et beneficio quo contra predicta vel contra aliquod (4) predictorum venire, vel me juvare possem ullo modo: promittens iterato et jurans vobis per hec sancta Dei evangelia, a me tacta, quod hec omnia predicta firma et incommota tenebo et custodiam, et nunquam contravenire faciam, vel venire paciar ullo modo...

Horum testes sunt Guillelmus Valleta jurisperitus, P. Ver-

(1) Cart.: *quod.*
(2) Cart.: *sibi.*
(3) Cart.: *vos.*
(4) Cart.: *aliquam.*

neda, P. Benedicti, Bernardus Gilii, et Petrus Raimundi notarius publicus, qui mandato parcium hec scripsit.

(Reg. F, fol. 312 v°).

DXXX. — 25 janvier 1242 n. s. 1243

Jean de Montlaur II donne à acapte la boucherie caprine de Villeneuve.

Anno Dominice Incarnacionis milesimo ducentesimo quadragesimo secundo, videlicet VIII° kalendas februarii, pateat omnibus... quod nos Johannes, Dei gratia Magalonensis episcopus, ad acaptum donamus... vobis Petro Boca et Raimunde Audine, uxori tue, et vestris, in perpetuum, ne in macello vel bocaria castri Villenove, seu alibi infra terminos ejusdem castri, sit ausus amodo aliquis alicui yrcum nec capram vendere integrum, vel integram, seu frustatim divisam vel divisum, aliquo nomine seu occasione aliqua alicujus fori ad macellum vel bocariam pertinentem, nisi vos vel vestri, seu alteri de vestra licentia et mandato. Et dando nunc vobis et vestris plenam licentiam vendendi ulterius, supradicta animalia, tamen extra macellum scilicet in bocaria, omnibus aliis hominibus de cetero in eodem castro dicte Villenove macellare, vendere mortua hujusmodi pecora prohibemus ; et ut forum ipsius bocarie et ipsam bocariam habeatis, possideatis nomine nostro et successorum nostrorum ; et omne lucrum inde proveniens percipiatis imperpetuum vos et vestri ; et liceat vobis et vestris bocariam sepedictam, quam vobis et vestris ad acaptum donamus et concedimus precio ducentorum solidorum melgoriensium, quos pro acapto nobis donastis et solvistis, ita quod pro pacatis nos tenemur, exceptioni precii non soluti et non numerate peccunie vobis renunciantes, donare, vendere, impignorare aut qualibet alienationis spetie in quoscumque volueritis transferre, clericis exceptis et militaribus, atque religiosis personis omnibus, nostro tamen et nostrorum successorum assensu et consilio precedente, et salvo semper jure nostro, et dominio, et salvo servicio annuali,

videlicet uno carterio bovis vel vacce de melioribus macelli dicti castri Villenove; quod carterium nobis et successoribus nostris annuatim in vigilia Natalis Domini pro dicta bocaria censualiter servietis, vel XII solidos pro ipso carterio;

Pacto (1) tali inter nos et vos habito, ne vos cogi vel vestri possitis ad solvendum ultra dictum precium XII solidorum bocariam sepedictam, nos vobis Petro Boca et Raimunde Audine uxori tue, et vestris, jure salvaturam semper et deffensuram ab omni controversia et interpellante, et acaptum istud nulla racione nos revocaturos vobis stipulantibus promittimus bona fide, res omnes episcopatus Magalonensis ex hoc vobis et vestris imperpetuum obligando.

Actum apud Villamnovam, in domo domini episcopi, in presencia et testimonio Berengarii, archipresbiteri Magalonensis, Guillelmi R. capellani Sancti Michaelis, Btr. de Montelauro, et mei B. de Magalona, publici notarii, qui, rogatus a dicto Petro Boca, mandato et auctoritate dicti domini episcopi, hanc cartam scripsi et signavi.

Et est sciendum quod in VI linea, ubi dicitur *vos vel vestri*, et in ista similiter, et in VIII ubi dicitur *scilicet* feci rasuras.

(Reg. A, fol. 41 v°).

DXXXI. — 25 janvier 1242 n. s. 1243.

Ventes de salines à Villeneuve.

In nomine Domini. Amen. Anno ejusdem Incarnationis M° II° XLII°, scilicet octavo kalendas februarii, ego Guillelma, uxor condam et heres Petri Bertrandi castri de Villanova, et nunc uxor G. Valleta ejusdem castri jurisperiti, voluntate et consilio et auctoritate ejusdem Guillelmi mariti mei, compulsa irrevocabili necessitate, videlicet pro exsolvendis C libris melgoriensibus Vitali de Lunello judeo, quas ab ipso acceperam mutuo, sub usuris gravissimis, pro laudimio exsolvendo domino episcopo de hereditate, michi delata, dicti Petri Bertrandi, ex institutione facta in ejus testamento, omni dolo et

(1) Cart.: *pacato*.

fraude carente, omnibus et singulis rejectis et exclusis quibus presens tractatus in toto vel in parte posset recindi... vendo .. tibi Petro Ortolani dicti castri de Villanova et tuis, et in te et tuos, jure perfecte et validissime venditionis, imperpetuum transfero ad omnes voluntates tuas... exceptis... cum consilio tamen illorum ad quos consilium pertinet, seu pertinere debet, videlicet totam tabulatam salinarum, ad me perventam de hereditate dicti Bertrandi, ejus hereditatis institutione de me facta, cum omnibus aizinis et *cohors* in omnibus pertinentibus, et juribus, et adjacenciis suis, aut que ei pertinere ullo modo possunt seu debent.

Que taulada divisa fuit cum alia taulada (1), quam tu habes; que (2) confrontatur cum (*sic*).

Et similiter in hac venditione insero, et tibi vendo, totum jus usatici, quod ego habeo, ex dicta hereditate P. Bertrandi, in salinis operarii Magalonensis : que taulada (3), a me tibi vendita, est in campo veteri, et confrontatur ex una parte cum salinis tuis, ut dictum est supra, et ex alia parte confrontatur cum salinis uxoris Poncii Albani, et ex alia parte cum salinis dicti Guillelmi Valleti mariti mei, et G. Caballi, et cum salinis dicti operarii.

De hac vendicione excipio brachium dicte taulade inter salinas Poncii Albani et dicti Guillelmi de Valleta mariti mei.

Pro precio autem hujusmodi vendicionis... dedisti michi, vera numeratione interveniente, C libras melgorienses, quas vere solvi, pro causis jam dictis, memorato judeo : in quibus C libris melgoriensibus supradictis, expressim et ex certa scientia, renuncio excepcioni non habitarum a te et non receptarum, et non solutarum sepedicto judeo. Quod precium assero justum esse, qui[a] plus ab aliis personis invenire non potui pro dictis salinis, licet tamen sollicite fuissem indagata multociens cum pluribus personis, predicta venalia exponendo per diversos dies. Verum si plus valere videntur,

(1) Cart.: *taulauda.*
(2) Cart.: *qui.*
(3) Cart.: *teulauda.*

quantumcumque esset, tibi do et tuis; et prestabis usaticum de dicta taulada quod inde consuetum est prestari.

Et cedo tibi jura proprietatis [et] possessionis, et alia que ibi habebam seu habere poteram, nomine hereditatis dicti Petri Bertrandi, vel ex aliqua alia causa; tradens inde tibi et tuis possessionem vacuam ejusdem taulade (1) predicte superius vendite; et pro evictione totali vel particulari... obligo... omnia bona mea... et concedo tibi licenciam, ut, auctoritate propria, ipsam possessionem supradictam inde apprehendere possis; et interim predicta omnia et singula constituo me tuo nomine tenere et possidere, quousque tu eam per te corporaliter apprehenderis, et possidere ceperis per te ipsum... conveniens tibi stipulanti et tuis, quod ego faciam te et tuos semper in pace habere... et te et tuos semper in jure deffendam.

Iterate tibi et tuis firmiter expromittens, et jurans tibi stipulanti per hec sancta Dei evangelia a me tacta, quod hec singula et omnia supradicta firma et incommota semper custodiam... et renuncio, certa de facto et de jure consulta et cerciorata, legi Julie de feudo dotali, et minoris etatis auxilio et restitucionis, et legi prohibenti rem mulieris alienari et omnibus aliis auxiliis...

Et ego dictus Guillelmus Valleta, maritus prescripte Guillelme, cognoscens et asserens dictam venditionem, voluntate mea et ex necessitate predicta factum esse, et hec omnia superius dicta vera esse, eadem omnia et singula prescripta per me et meos imperpetuum laudo et confirmo tibi, dicto Petro Ortolani, et tuis, sine dolo cedendo et remictendo tibi et tuis omnia jura que nomine dicte proprietatis, possessionis, ususfructus, vel ex aliqua de causa, habebam, vel habere debebam, in predictis venditis tibi dicto P. Ortolani a prescripta uxore mea: expressim concedens quod si evictio aliqua tibi aut tuis fieret, in totum vel in partem, in predictis venditis a predicta uxore mea, quod, non obstantibus juribus vel privilegiis meis, tu vel tui preferamini michi et successoribus meis,

(1) Cart.: *taulaude*.

in recuperanda dicta eviccione et vobis restituenda, de bonis dicte uxoris mee, et que cum ea recipi in dotem, et ab ejus persona ; sed me vel bona mea de dicta eviccione non obligo, nec obligari volo. Et nichil dixi... et renuncio specificatim et expressim omnibus renunciationibus suprascriptis... quibus contra venire possem ullo modo. Hec omnia me ita observaturum... promitto per fidem meam plevitam et diligenter requisitam.

Acta sunt hec omnia et laudata, anno et die prefixis, in presencia et testimonio Guillelmi Jordani notarii Montispessulani, G. Bidocii bajuli Villenove, Guillelmi Caballi, P. Ademarii, R. Revelli, Guillelmi Monachi, Jordani notarii similiter Montispessulani, et mei Petri Raymundi notarii publici, qui, mandato et precibus utriusque partis, hec omnia scripsi.

(Reg. F, fol. 31 v°).

DXXXII. — 7 juin 1243

Bermond de Sommières reconnaît tenir de l'évêque de Maguelone le château de Boisseron et ses autres possessions dans le diocèse de Maguelone.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Anno Incarnacionis ejusdem millesimo ducentesimo quadragesimo tercio, scilicet septimo ydus junii, clarum et indubitatum existat perpetuo presentibus et futuris, quod ego Bremundus de Sumidrio, filius quondam nobilis viri domini Bremundi de Sumidrio, prudens de facto et certioratus de jure.... recognosco vobis Bernardo de Fisco, notario et priori de Lestencleriis, procuratori statuto et ordinato ad predictam recognicionem a me recipiendam a venerabili domino meo Johanne de Montelauro, Dei gracia Magalonensi episcopo, comite Melgorii et Montisferrandi, quod dominus pater meus et antecessores mei tenuerunt a dicto domino Magalonensi episcopo, comite Melgorii et Montisferrandi, et ab antecessoribus suis, jurisdiccionem et majus dominium castri de Buxedone, siti in

episcopatu Magalonensi, et omnium pertinencium et appendencium ejusdem castri;

Et majus dominium et majorem dominacionem, quam habeo, vel visus sum habere, in castro de Montelauro et pertinenciis ejusdem; et generaliter omnium que habeo et possideo, vel habere debeo in toto episcopatu Magalonensi, et comitatu predicto, excepta duntaxat villa de Solisinis (1), sub hac videlicet forma quod pro predictis feudis, expressis et non expressis, ego et successores mei dictum dominum meum episcopum et comitem, et omnes successores suos in comitatu predicto, debemus sequi in exercitibus et calvacatis, et hoc in expensis ipsius, et tantum infra episcopatum ipsum et comitatum, et cum quantis ego voluero; excepto tamen quod pro predictis feudis, ego et successores mei non tenemur ipsum dominum meum episcopuñ et comitem, et omnes successores suos, sequi contra alios dominos meos, a quibus feuda teneo, parentes vel proximos, et specialiter contra dominum regem Francorum.

Si tamen contingeret me et successores meos sequi dominum regem Francorum, vel dominum de *Salve*, contra ipsum, vel contra comitatum predictum, feuda predicta non incidant propter hoc in commissum.

Pro quibus recognicionibus faciendis, mutantibus hinc inde dominis, dictus dominus episcopus et comes, et successores sui, michi et successoribus suis palefredum unum dare teneantur.

Item quod ego et successores mei omnia dependencia ab ipso feudo, seu feudis predictis, possimus ego et successores mei vendere, permutare, ad acapitum vel in emphiteosim dare, vel alio modo quo voluero, sine laudimio et consilio ipsius domini episcopi et comitis, et successorum suorum.

Verum jurisdiccionem et dominium majus predictorum feudorum, et omnium jurium que habeo et possideo in toto episcopatu et comitatu predictis, ego et successores mei in

---

(1) Saussines, commune non loin de Boisseron.

potenciorem ipsius domini episcopi et comitis donare, vendere, permutare, seu alio modo alienare, non possumus.

Item scio et cognosco quod, mutantibus hinc inde dominis, quod dictus dominus episcopus et comes, vel alius, nomine ipsius, possunt feudum seu feuda ipsa requirere a me et successoribus meis, recipere et tenere per unam diem tantum et in expensis ipsius; quod feudum seu feuda sine omni extorsione et exaccione, ipsa die elapsa, reddere et restituere teneantur.

Si tamen contingeret quod dictus dominus episcopus et comes, et successores sui, haberent querelam contra me et successores meos, non possint agere nec aliquid petere, quousque ipsa feuda michi et successoribus meis reddita fuerint in integrum et restituta.

Pro quibus omnibus et singulis ego predictus Bremundus de Sumidrio, per me et per omnes successores meos,... tactis prius a me sacrosanctis Dei evangeliis, recipiens omnia et singula a vobis Bernardo de Fisco, procuratore dicti domini episcopi et comitis, pro eo et nomine ipsius, et successoribus suis, juro fidelitatem dicto domino episcopo et vobis recepienti pro eo, vitam et membra ipsius servare, et res suas custodire, et generaliter que sub fidelitatis sacramento possunt seu debent comprehendi.

Volo etiam et statuo imperpetuum, quod successores mei fidelitatis sacramentum et recognicionem plenariam, sicut supra scriptum est, dicto domino episcopo et comiti, et successoribus suis, vel locum eorum tenenti, faciant et facere teneantur, mutantibus hinc inde dominis. Super quibus omnibus et singulis... renuncio, cercioratus de facto et de jure consultus, sub dicto sacramento, minoris etatis beneficio, et accioni et excepcioni de dolo, et accioni in factum, et beneficio juris... promittens sub dicto sacramento vobis Bernardo de Fisco, procuratori dicti domini episcopi et comitis... me nichil dixisse... quominus omnia universa et singula suprascripta perhenni et inviolabili gaudeant firmitate.

Et ego Bernardus de Fisco predictus, procurator dicti domini episcopi et comitis, pro ipso et nomine ipsius, per ipsum

et per omnes successores suos, sciens omnia suprascripta universa et singula vera esse, suprascriptum fidelitatis sacramentum recipiens, laudo et confirmo vobis Bremundo de Sumidrio, et successoribus vestris, omnia suprascripta feuda superius et non expressa, ut ea omnia et singula, racione comitatus Melgorii et Montisferrandi predicti, a dicto domino episcopo et comite et successoribus suis, habeatis et teneatis, sicut superius scriptum est et expressum.

Horum omnium testes sunt Fulco de Casteneto miles, Raymundus de Ulmo, bajulus et officialis dicti domini episcopi, Bernardus de Marginibus, notarius ipsius domini episcopi, Johannes Godafredi clericus, et Petrus Garnerii, Montispessulani notarius publicus, qui hiis omnibus interfuit, et, de mandato utriusque partis, hec omnia scripsit et signum suum apposuit.

(Reg. E, fol. 316 r°; édité par Germain dans *Arnaud de Verdale*, p. 251).

DXXXIII. — 15 juillet 1243

Bertrand de Montferrier reconnaît tenir de l'évêque plusieurs possessions dans le comté de Melgueil.

Anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quadragesimo tertio, idus julii, ego Bertrandus de Insula, armiger de Monteferrario, scio et vere profiteor cum hac publica carta tibi Maurino de *Combalols*, castellano castri de Monteferrando, stipulanti et recipienti pro domino Johanne de Montelauro, Dei gratia Magalonensi episcopo, comite et domino Melgorii et Montisferrandi, me tenere ab ipso domino episcopo et comite, racione castri predicti de Monteferrando, octavum et albergum quatuor militum, que Bertrandus Gombaudus habet et tenet a me in manso de *Roaneques* et de Oliverio, in parrochia Sancti Clementis; et octavum et albergum, que idem Bertrandus Gombaudus habet et tenet a me in manso de Podio Ferrerio, in eadem parrochia; idem albergum est unius militis;

Item octavum et albergum unius militis, que idem Bertrandus Gombaut habet et tenet a me in manso de Sordio in eadem parrochia ;

Item octavum quod idem Bertrandus Gombaut habet et tenet a me in condaminis Sancti Mathei et pertinenciis earumdem.

In quibus omnibus et singulis, ego habeo concilium, laudimium, dominium et usaticum, ita quod dominus episcopus in vendicionibus omnium predictorum nichil percipit, vel percipiet idem dominus episcopus, nisi ego vel mei venderemus illud jus quod ibi habemus ; et tunc idem dominus episcopus recipiet laudimium ab emptore rei.

Et ego dictus Maurinus, castellanus supradictus, promitto tibi Bertrando de Insula, pro domino episcopo comite et domino Melgorii et Montisferrandi, quod dicta octava et alberga, que dictus Bertrandus Gombaut a te habet et tenet in dictis mansis et locis, et in dictis condaminis Sancti Mathei, faciam prestari et dare integre et plenarie dicto Bertrando Gombaudo, tuo feuali, vel suis, seu possessoribus dictorum mansorum, seu feudi, ab hominibus dictorum mansorum et in omnibus pertinentiis eorumdem mansorum et condaminarum predictarum.

Testes sunt R. Pairol, B. de Planis, et ego Petrus de Pamiis, Montispessulani notarii qui, rogatus a partibus, hec omnia scripsi. Sciendum vero quod ego dominus Petrus de Pamiis rasuras feci in dictionibus que dicunt *a me in*.

(Reg. E, fol. 217 r°).

DXXXIV. — 22 novembre 1243

Vente d'une terre sous la directe de Sainte-Marie de Melgueil.

Anno Dominice Incarnationis M° CC° XLIII°, scilicet X kalendas decembris, ego Raimundus Alamberti per me et per filium meum G., et per omnem nostram posteritatem... vendo tibi Stephano Porcarelli et tuis et quibuscumque volueris ad

omnes tuas... exceptis... salvo tamen dominio, et consilio, et laudimio, et usatico II sestariorum ordei et duorum denariorum melgoriensium annuatim, in festo beati Petri mensis augusti, ecclesie Beate Marie de Melgorio et procuratori ejusdem, videlicet quandam peciam terre, que est in decimaria ecclesie Sancti Jacobi de Melgorio; que confrontatur a circio cum terra ecclesie Sancte Marie de Melgorio, et a corina cum caupoleria, a vento cum terra Petri Ademari, ab aquilone cum terra liberorum condam Johannis Drac.

Pro hac autem venditione habui et recepi a te, nomine precii, XII solidos melgorienses, quorum penes te nichil ad solvendum remansit; in quibus XII solidis predictis, exceptioni non numerate peccunie renuncio. Quod si plus dicto precio valet... illud totum tibi dono... et ab omni contradicente jure deffendam. Et si quod inde aliquando ablatum vel evictum fuerit, totum tibi jure restituam... et promitto me facturum et curaturum, quod dictus filius meus, cum factus fuerit pubes, omnia supradicta et singula tibi vel tuis, vel quibus volueris laudabit... et juro per hec sancta Dei euvangelia, que tango corporaliter, et fideliter observabo.

Supradictam venditionem et omnia et singula suprascripta laudavit, approbavit et confirmavit P. Poncii, prior et procurator dicte ecclesie Sancte Marie de Melgorio, et habuit inde, nomine laudimii et consilii, ac recepit tres solidos.

Testes sunt Guillelmus Garini, Raimundus Sicardi, P. Hugo de Ballanicis, et Bertrandus Gaucelmi notarius, qui, mandato dictarum partium, hec omnia scripsit.

(Reg. B, fol. 102 r°).

DXXXV. — 3 décembre 1243

Quittance pour trois années de cens annuel dû par l'Église de Maguelone.

(Reg. E, fol. 331 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone,* t. II, p. 229.

DXXXVI. — 28 janvier 1244

Innocent IV se plaint à l'archevêque d'Aix des sévices que subit l'évêque de Maguelone, et lui ordonne de lui prêter main-forte.

(Reg. F, fol. 35 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 232.

DXXXVII. — 21 mars 1244

Innocent IV confirme à Jean de Montlaur II, évêque de Maguelone, la possession du comté de Melgueil.

(Reg. F, fol. 143 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 235.

DXXXVIII. — 16 juin 1244

Innocent IV ordonne à l'abbé de Saint-Paul de Narbonne et au précenteur de Béziers de faire une enquête sur la cession de Balaruc, faite à Jacques d'Aragon par la veuve de Gui Chef-de-Porc.

(Reg. F, fol. 50 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 236.

DXXXIX. — 24 août 1244

Constitution de Zoen, évêque d'Avignon, légat du Pape, contre le vagabondage des chanoines.

(Reg. B, fol. 271 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 238.

DXL. — 9 octobre 1244

Quittance de 115 livres melgoires faite par Guillaume de Ganges à Maurin de Combaillaux, montant de l'amende infligée pour une offense envers le bayle de Sauve.

Anno ab Incarnacione Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, videlicet septimo idus octobris, domino Ludovico rege Francorum regnante, ego Guillelmus de Agantico... recognosco tibi Maurino de *Comballols*, castellano Montisferrandi, nomine tuo et nomine domini episcopi Magalonensis pro ipso recipienti, me habuisse, numerasse et numerando recepisse a te, nomine domini Odardi de Villario, senescalli Bellicadri et Nemausi, et mandato ejus expresso, videlicet centum libras melgorienses, et amplius quindecim libras melgorienses pro expensis factis; quam summam pecunie predictam tu eam debebas predicto domino senescallo, occasione offense illius que fuit facta, per te et per homines Vallis Montisferrandi, Mileto, bajulo Salviensi, pro domino rege Francorum; ita quod in eis omni excepcioni et expresse excepcioni non numerate et non recepte pecunie penitus renuncio in hoc facto de predictis; ita quod, [de] centum libris melgoriensibus et de predictis quindecim libris melgoriensibus pro expensis factis, te prefatum Maurinum de *Comballols* et tuos, et per te dominum episcopum Magalonensem, et omnes fidejussores tuos, et specialiter R. Gaucelmum, dominum Lunelli, et omnia bona ipsorum, et jura presencia et futura libero, et absolvo, et imperpetuum quitio, de non petendo et non agendo aliquid ulterius tibi faciens paccionem et convencionem perpetuam et realem; promittens et conveniens tibi, sollempniter stipulanti, quod predicta pecunia, a te vel a fidejussoribus tuis, per me vel per dominum senescallum, de cetero non repetetur, et quod hanc recogniciomem et absolucionem predictam, et omnia supradicta et singula rata et firma ac illibata imperpetuum habeam et observem, et observari faciam; et nullo loco vel tempore, per me vel per aliam personam interpositam, contraveniam, tibi per stipulacionem

promitto; cuilibet legum vel canonum auxilio renuncians, quo contra predicta venire possem; promittens tibi me facturum et curaturum quod dominus senescallus omnia supradicta habebit rata, et contra non veniat aliqua racione.

Acta fuerunt hec apud Sumidrium, in stari dicti Guillelmi de Agantico, in presencia et testimonio Poncii prioris de Teirano, Bernardi Massanas, Petri Fabri, Bertrandi Saraman, et mei Bernardi Alamandi, publici Sumidriensis notarii, qui prescripta omnia scripsi mandato utriusque partis et signavi.

(Reg. E, fol. 264 r°).

DXLI. — 20 décembre 1244

Jean de Montlaur confirme à Bernard Gui une terre qu'il a eue en héritage.

Anno Dominice Incarnationis M° CC° kadragesimo quarto, videlicet tercio decimo kalendas januarii, nos J[ohannes], divina permissione episcopus Magalonensis... confirmamus tibi, Bernardo Guidoni de Villanova, et tuis, quandam peciam terre quam, ut asseris, tibi in testamento suo dimisit seu legavit Petrus Bocca, macellarius quondam Villenove; quam terram dominus G[uillelmus], bone memorie quondam Magalonensis episcopus, dedit in emphiteosim seu accaptum Raimundo Bocca et uxori ejus Marie, a quibus dictus Petrus Bocca eam habuit; pro qua terra debetis (1) nobis et nostris successoribus III denarios, nomine usatici, annuatim.

Dicta vero terra confrontatur ab una parte cum honore quondam Raimundi de Puteolis, et ex alia cum honore Poncii Albani, et ex alia cum honore Guillelmi Cavalli.

Nomine autem hujus laudimii, habuimus a te, predicto B. Guidone, VI solidos melgorienses, in quibus renunciamus exceptioni non numerate peccunie et laudimii (2) non soluti.

(1) Cart.: *dicti vis*.
(2) Cart.: *laudimium*.

Testes sunt Berengarius archipresbiter Magalonensis, Guillelmus Bidocii bajulus Villenove, et Bernardus de Fisco, in toto Magalonensi episcopatu et Melgoriensi comitatu notarius publicus, qui mandato parcium hec scripsit, et signum suum hic apposuit.

(Reg. C, fol. 230 v°).

DXLII. — 31 juillet 1245

Jean de Montlaur donne à acapte le mas de Noals, qui était tombé en commis.

In nomime Domini Nostri Jhesu Christi. Anno ejusdem Incarnacionis millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, videlicet pridie kalendas augusti, manifestum sit omnibus quod nos Johannes, Dei permissione Magalonensis episcopus, ad acapitum donamus... tibi, Petro de Montiliis de Montepessulano, et tuis, imperpetuum, ad omnes voluntates tuas... exceptis... nostro tamen et successorum nostrorum assensu et consilio precedente, totum mansum nostrum qui vocatur mansus de Noals, cum omnibus pertinentiis et [ad]jacentiis suis;

Quem mansum quidam de Montepessulano, qui vocabatur Salvatge *peissonier*, quondam a nobis et antecessoribus nostris sub annuo censu tenebat in feudum; et quia de viginti annis et plus non solverat dicti mansi usaticum, ut ipse requisitus nobis fuit publice confessus, dictus mansus nobis cecedit in commissum.

Qui mansus, cum duodecim terrarum peciis ad ipsum spectantibus, est in parrochia situs ecclesie Sancti Johannis de Vedascio; et confrontatur ex una parte cum quadam pecia supradictarum terrarum et ab aliis partibus cum garriga;

Una vero pecia supradictarum terrarum est ibidem juxta mansum, et confrontatur ab una parte cum eodem, et ex una parte cum honore de *na* Prada, et ab alia parte cum garriga;

Alia pecia confrontatur ex una parte cum honore Petri de Lausa, et ab alia cum honore de *na* Cortis, et ex alia parte cum condamina domini episcopi;

Alia pecia confrontatur cum honore Petri Pellegrini, et ab alia parte cum honore de *na* Benofaren, et ab alia parte cum via qua itur apud Villamnovam, et ab alia cum honore Raimundi Joglar;

Alia confrontatur cum honore Thome *Rodier*, et ex alia parte cum garriga, et ab alia cum via qua itur apud Villamnovam;

Alia pecia confrontatur cum honore R. Jocelatoris, et ab alia parte cum infantibus de *na* Pradas, et a parte alia cum garriga, et ab alia parte cum honore Petri de Lausa;

Alia pecia confrontatur cum riperia de Amansione, et cum garriga, et cum honore infantum Guillelmi Andree, via in medio;

Alia pecia confrontatur similiter cum riperia [de] Amansione, et cum honore Petri Bazab, et cum garriga;

Alia pecia, que est in Aigolas, confrontatur cum honore Montisrotundi, et R. Martini, et cum garriga, et cum via qua itur ad pontem de Fabricis;

Alia pecia est in eodem terminio de Aigolas, et confrontatur cum honore Sancti Johannis de Vedascio, et cum honore Guillelmi Thome et R. Martini, et cum honore B. de Sancto Poncio, et cum garriga;

Alia pecia in eodem terminio confrontatur cum honore Petri Rai. et Raimundi Peregrini, et cum via publica.

Alia pecia est in eodem terminio de Aigolas, que confrontatur cum honore Thome Salas a duabus partibus, et cum honore Petri Basab;

Alia pecia est in loco qui dicitur Nozals, que confrontatur cum honore infantum de *na* Pradas, et cum garriga.

Donamus siquidem et concedimus, nomine acapiti, mansum hunc antedictum, tibi dicto Petro de Montiliis, et tuis, cum omnibus terris supradictis et aliis quas de eodem invenire poteris, et cum omnibus suis pertinentiis et apendiciis, sive sint in domibus, casalibus, planis, seu locis quondam edificatis, seu in futurum edificandis, terris, ortis, pascuis, heremis, patuis, et generaliter in omnibus cultis et incultis, ad habendum, tenendum et possidendum, et ad faciendum quicquid utilitatis tue vel tuorum, ut superius similiter est expressum,

in eodem vel de eodem tibi et tuis placuerit faciendum, precio quindecim librarum melgoriensium ; quas quindecim libras, nomine ipsius acapiti, nobis donasti et numerasti, exceptioni non solute et non numerate peccunie renunciantes.

Verum si nunc vel in futurum ipse idem mansus plus dicto precio valere videtur vel videbitur, nos attendentes grata fidelitatis et devotionis servicia, que tu, Petre de Montiliis, nobis diu et multipliciter impendisti, illud totum, quantumcumque sit vel fuerit, licet excederet ultra dimidiam justi precii, per nos et successores nostros, tibi, tanquam bene merito, et tuis imperpetuum donamus, salvo tamen et retento nobis et successoribus nostris dominio, consilio, laudimio et servicio annuali, videlicet unum quarterium bovis vel vacce usque ad valorem decem solidorum melgoriensium ; quod servicium annuatim, in vigilia Natalis Domini, nobis et successoribus nostris tu et tui, pro predicto manso et omnibus ejus juribus censualiter servietis ; quem totum mansum et jura ipsius omnia, nos et nostri successores faciemus te et tuos et quos volueris semper habere et tenere, ac quiete et pacifice possidere, et ab omni contradicente et interpellante, jure salvacionis semper et deffensionis, per stipulacionem promittimus bona fide.

Et pro eviccione restituenda, si in eodem manso vel in ejus pertinenciis fieret in toto vel in parte, nos omnia bona nostri episcopatus mobilia et immobilia tibi et tuis astringimus, ac eciam obligamus.

Actum apud Villamnovam, in presencia et testimonio domini Berengarii archipresbiteri Magalonensis, Poncii Duranti, Bernardoni, et mei B. de Margis, dicti domini episcopi notarii, qui, rogatus a dicto Petro de Montiliis, mandato et auctoritate dicti domini episcopi, hanc scripsi cartam et signum meum apposui in eadem.

(Reg. E, fol. 160 r°).

DXLIII. — 27 août 1245

Délimitation des pâturages de Montferrier.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Anno Incarnacionis ejusdem millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, sexto kalendas septembris... pateat... quod Maurinus de Comballolis, castellanus castri Montisferrandi, Magalonensis diocesis, pro domino J[ohanne], Dei gratia Magalonensi episcopo, et comite Melgorii et Montisferrandi, et de ejus speciali mandato ut ipse castellanus asseruit, accessit, cum dominis et probis hominibus castri Montisferrarii, ad patua infrascripta terminanda et consignanda : que quidem patua pertinent ad dictos dominos et totam universitatem dicti castri Montisferrarii, que quidem patua tenentur a prefato domino episcopo Magalonensi, et comite Melgorii et Montisferrandi.

Visis igitur et recognitis, ac diligenter consideratis dictis patuis, et eorum circumstanciis, habitoque diligenti consilio cum Stephano de Matis, qui dictorum patuorum plenam habebat noticiam, patua illa designavit et consignavit sive terminavit in hunc modum :

Nam patua que sunt de pertinimento mansi de Verreriis, confrontantur ex una parte cum residuis garriguis dicti mansi de Verreriis, sicut terminatum est in lapideis terminis, ibi positis et impressis, et eciam bolis lapideis ibi positis consignatum, et transeunt propre clapum Brunum ; et ex alia parte cum garriguis dicti Maurini de Comballolis, et cum garriguis mansi de Valle Mallaruca, via in medio qua intratur ad vallem Mallarucam ; et ex alia parte cum carreria publica, qua itur ad crucem, que est in camino publico quo itur de Sancto Egidio apud Montempessulanum ; et ex alia parte cum eodem publico camino.

Testes fuerunt Berengarius de Valveria, prior ecclesie de Monteferrario, predictus Stephanus de Matis, Petrus de Sancto Johanne, Durantus de Cairoleto, et Petrus de Ponte, notarius Montispessulani.

Post hec, anno et die quo supra, dictus Maurinus de Comballolis, castellanus dicti castri Montisferrandi, pro dicto domino Magalonensi episcopo, et comite Melgorii et Montisferrandi, et de ejus speciali mandato, prout idem castellanus asseruit, accessit, cum dictis dominis et probis hominibus castri Montisferrarii predicti, ad patua alia infrascripta terminanda et consignanda ; que quidem patua pertinent similiter ad universos dominos et totam universitatem dicti castri Montisferrarii ; que quidem patua tenentur a prefato domino episcopo Magalonensi et comite Melgorii et Montisferrandi. Et visis et recognitis, ac diligenter consideratis ipsis patuis et eorum circonstanciis, habitoque diligenti consilio cum dicto Stephano de Matis, qui eorumdem patuorum plenam habebat noticiam, patua illa designavit et consignavit, sive terminavit in hunc modum :

Patua igitur que sunt de pertinimento mansi de Fraichineto, et de pertinimento mansi de Ranco, sunt ex parte mansi de Vontis ; et confrontantur ex una parte cum residuo honoris dicti mansi de Fraichineto et dicti mansi de Ranco, prout terminatum est terminis lapideis ibi positis et impressis, et etiam bolis lapideis consignatum : ex alia vero parte cum honore dicti mansi de Vontis, prout extenditur usque in camino publico de Fonte Frigido, ubi est quidam lapis magnus positus crucesignatus.

Patua vero que sunt de pertinimento mansi de Lecascio, confrontantur ex una parte cum via qua itur ad Fontem Frigidum, et movetur de trascollo Combe Martine ; et ex alia parte cum honore dicti mansi de Vontis, sicut est divisus cum honore dicti mansi de Lecascio, usque ad laboratum Podii Ginardi ; et inde extenditur usque in dicta via qua itur ad Fontem Frigidum, ubi termini et boli lapidei sunt positi et impressi ; ex alia vero parte cum garriguis residuis dicti mansi de Lecascio, prout termini et boli lapidei sunt ibi impositi et impressi, sicut movetur de planis de Lecascio, et itur versus dictam crucem, que est in dicto camino publico quo itur de Sancto Egidio de Fisco versus apud Montempessulanum.

Illa vero patua que sunt de pertinimento mansi de Matamala, confrontantur ex una parte cum patuis de pertinimento mansi de Lecascio proxime dictis ; et confrontantur ex alia vero parte cum dicto camino publico de cruce, et ex alia parte cum residuis garriguis ejusdem mansi de Matamala, prout terminatum est terminis lapideis ibi positis et impressis, et etiam bolis lapideis ibi positis consignatum, et sicut extenditur usque in dictis planis de Lecascio.

Item sunt patua de pertinimento mansi de Lecascio, sicut movetur de dictis planis de Lecascio et extenditur usque ad pedem Podii Calini, prout est terminatum terminis lapideis ibi positis et impressis, et bolis lapideis ibi positis consignatum.

Patua vero que sunt de pertinimento mansi *dels Crematz*, sunt sicut movetur de termino impresso ad pedem dicti Podii Calini, et extenditur usque in Comba Folleteria, et descenditur usque in flumine Lirunde ; ex alia vero parte confrontantur cum via publica, que est inter honorem mansi *del Tor* et de Cremadellis.

Illa vero patua que sunt de pertinimento mansi *del Tor*, sunt sicut movetur de terminio lapideo posito et impresso juxta honorem Stephani Alari, qui est ad pedem Podii *del Tor*, ex parte Lirunde, et ascenditur usque ad Turrim Calserenhum, et usque ad vistam dictorum planorum de Lecascio, prout est terminatum terminis lapideis ibi positis et impressis, et etiam bolis lapideis ibi positis et impressis consignatum.

Post modum, anno eodem quo supra, videlicet quinto kalendas septembris, memoratus Maurinus de Comballolis castellanus... accessit, cum predictis dominis et probis hominibus dicti castri Montisferrarii, ad alia patua infrascripta terminanda et consignanda, que quidem patua pertinent ad dictos dominos et totam universitatem dicti castri Montisferrarii ; que quidem patua tenentur a predicto domino episcopo Magalonensi, et comite Melgorii et Montisferrandi.

Visis igitur recognitis et diligenter consideratis dictis patuis et eorum circumstanciis, habitoque diligenti consilio cum dicto

Stephano de Matis, qui dictorum patuorum plenam habebat noticiam, ipsa patua (1) designavit, terminavit et consignavit in hunc modum:

Nam patua alia, que sunt de pertinimento mansi *dels Crematz*, et illa que sunt de pertinimento mansi de Vontis, que sunt ad invicem contigua, sunt et confrontantur sicut movetur de camino publico de Fonte Frigido, ubi terminus quidam lapideus est impressus, et itur usque subtus Castellacium, residuo honore dicti mansi *dels Crematz* ex parte venti remanente; et descenditur usque in dictum caminum publicum de Fonte Frigido, ubi et alius terminus positus et impressus, honore vero alio dicti mansi de Vontis ex parte circii remanente, sicut est terminatum terminis lapideis ibi positis et impressis, et eciam bolis lapideis ibi positis consignatum.

Patua vero que sunt de pertinimento mansi de Rohanicis, et illa que sunt de pertinimento mansi de Podio Longo, sunt ad invicem contigua, et confrontantur ex una parte cum camino de Salsis, et ex alia parte cum residuo honore dicti mansi de Roanicis et cum honore mansi de Bozenaco, prout termini lapidei sunt ibi positi et impressi, et etiam boli; ex alia vero parte, cum honore mansi de Rodonellis, et ex alia parte cum residuo honore dicti mansi de Podiolongo, prout est terminatum terminis lapideis ibi positis et impressis, et etiam bolis lapideis ibi positis consignatum, usque in camino de Fonte Frigido; et ex alia parte, cum flumine Lirunde, sicut extenditur usque in dictum caminum de Salsis.

Item sunt et alia patua de pertinimento predicti mansi de Fraicheneto, et sunt et confrontantur ex parte camini de Sancto Egidio de Fisco, sicut movetur de carreria qua itur ad dictum mansum de Fraicheneto, et sequitur vallatum *del Nieriis* (2), usque in dictum caminum de Sancto Egidio, et inde extenditur usque ad Podiolos *del Nieriis*.

Illa vero patua que sunt de pertimento mansi de Elzeto,

---

(1) Cart.: *patuit*.

(2) Cart.: *de Lineriis;* plus bas *del Nieriis*. Nous préférons cette forme.

sunt contigua patuis proxime dictis ; et sunt et confrontantur, sicut movetur de dictis podiolis *del Nieriis*, et extenditur usque in caminum publicum de Matellis, ubi quidam terminus lapideus est impositus et impressus, prout est terminatum terminis lapideis ibi positis et impressis, et etiam bolis lapideis consignatum.

Patua vero que sunt de pertinimento mansi de Cadeneriis, sunt et confrontantur sicut movetur de vallato de Podio Longo, et extenditur usque in viam qua itur de Sancto Egidio versus Bastidam, usque in terminium Campi Rotundi, prout terminatum est terminis lapideis ibi positis et impressis, et bolis lapideis consignatum ; et etiam sicut extenditur et ascenditur de terminio lapideo in dicta via impresso usque ad Turrisellam, prout est terminatum et consignatum terminis et bolis lapideis ibi positis et impressis. Sunt etiam et confrontantur ex parte superiori, sicut movetur de dicta Turissella, et extinditur usque in caminum publicum quo itur de Sancto Johanne de Cocullis apud Montempessulanum ; in quo quidem camino quidam terminus lapideus est impressus, prout est terminatum terminis et bolis lapideis ibi positis et impressis, et consignatum. Item sunt et confrontantur sicut movetur de dicto terminio, in dicto camino impresso, et extenditur redeundo usque in dictum terminum, prout est terminatum terminis lapideis ibi positis et impressis, et eciam bolis lapideis consignatum ; ex altera vero parte sunt et confrontantur, sicut movetur de dicto terminio et descenditur usque in Comba, que est retro Podium Longum, prout est terminatum terminis lapideis ibi positis et impressis, et etiam bolis lapideis consignatum.

Horum omnium testes sunt predictus Berengarius de Valveria prior ecclesie de Monteferrario, predictus Stephanus de Matis, predictus Durantus de Cairoleto, Julianus de Clarensiaco, et predictus Petrus de Ponte notarius.

Post hec, eodem anno quo supra, scilicet quarto kalendas septembris, prenominatus Maurinus de Comballolis, castellanus... accessit, cum predictis dominis et probis hominibus

dicti castri Montisferrarii, ad alia patua infrascripta terminanda et consignanda : que quidem patua similiter pertinent ad universos dominos et totam universitatem dicti castri Montisferrarii ; que quidem patua tenentur a domino episcopo Magalonensi et comite Melgorii et Montisferrandi.

Visis igitur et recognitis, ac diligenter consideratis ipsis patuis, et eorum circumstanciis, habitoque diligenti consilio cum dicto Stephano de Matis, et cum Bernardo de *Rotils*, qui eorumdem patuorum plenam habebant noticiam, consilio cujus Bernardi etiam predicta patua, que sunt de pertinimento dicti mansi de Cadeneriis in parte fuerunt terminata et consignata, predicta patua infrascripta designavit et consignavit in hunc modum, videlicet quod terminavit :

Nam patua que sunt de pertinimento mansi de *Rotils*, sunt et confrontantur, sicut movetur de proxime confrontatis patuis de Cadeneriis, et de dicta Comba, et eciam de Costa de Rovore, et itur et descenditur usque in carreria transversaria, qua itur versus *Bollidor;* et eciam sicut itur recte usque ad ipsum *Bollidor*, ubi est quidam terminus lapideus impressus, et usque in caminum publicum, quo itur de Monteferrario ad Bastidam, prout est terminatum et consignatum terminis et bolis lapideis ibi positis et impressis, residuo honore dicti mansi de Rotils ex parte superiore remanente, et honore mansi de Podio Ferrerio ex parte inferiori remanente. Illa vero patua, que sunt de dicto terminio, qui est ad *Bollidor* impressus, usque ad dictum caminum quo itur de Monteferrario ad Bas tidam, sunt de pertinimento mansi de Valseria.

Sunt et preterea alia patua de pertinimento mansi de Cadaneriis, que sunt in podio Avalsos in media cresta ; et confrontantur ex una parte cum predicto camino de Matellis, ex alia vero parte cum honore dicti mansi de Podiolongo, prout terminatum et consignatum.

Testes fuerunt predicti Stephanus de Matis, Bernardus de *Rotils*, Durantus de Cairoleto, Julianus de Clarensiaco, et Petrus de Ponte notarius.

Postmodum, anno et die predicta, idem Maurinus de Com-

ballolis, castellanus... accessit, cum predictis dominis et probis hominibus dicti castri Montisferrarii, ad alia patua infrascripta terminanda et consignanda: que quidem patua similiter pertinent ad universos dominos et totam universitatem dicti castri Montisferrarii: que quidem patua tenentur a dicto domino episcopo Magalonensi, et comite Melgorii et Montisferrandi. Visis igitur et recognitis, ac diligenter consideratis ipsis patuis et eorum circumstanciis, habitoque diligenti consilio cum dicto Stephano de Matis, qui eorumdem patuorum plenam habebat noticiam, ipsa patua designavit, terminavit et consignavit in hunc modum:

Patua igitur que sunt de pertinimento dicti mansi de Podio Ferrario, sunt ex parte dicti mansi de Redonellis, et confrontantur ex una parte cum honore ipsius mansi de Redonellis, ex alia parte cum planis de Oliverio, et ex alia parte cum dictis patuis que sunt de pertinimento dicti mansi de Podio Longo; ex alia vero parte cum residuo honore dicti mansi de Podio Ferrerio, prout est terminatum et consignatum terminis et bolis lapideis, ibi positis et impressis.

Testes fuerunt predicti Stephanus de Matis, Julianus de Clarenciano, Durantus de Cairoleto, Johannes Gidii, Raimundus Alari, Guillelmus Ademarii, et predictus Petrus de Ponte, notarius Montispessulani.

Post hec vero anno eodem quo supra, videlicet kalendis octobris, prefatus castellanus et domini et probi viri dicti castri Montisferrarii accesserunt ad prefatum dominum J[ohannem], Dei gratia Magalonensem episcopum, et comitem Melgorii et Montisferrandi; et ostensis et perlectis eidem predictis patuis et eorumdem terminacionibus, ut supra dictum est, a jamdicto castellano factis, ipse dominus episcopus Magalonensis et comes Melgorii et Montisferrandi, recognoscens ipsas prefatas determinaciones esse factas a prefato castellano, mandato speciali ejusdem domini Magalonensis episcopi et comitis Melgorii et Montisferrandi, ipsa patua suprascripta, universa et singula, et eorumdem determinaciones et consignaciones superius factas, confrontatas et desi-

gnatas, universas et singulas, per se et per omnes successores suos, cum hoc eodem publico instrumento, laudavit, approbavit et imperpetuum confirmavit, et valitura semper concessit universis et singulis dominis dicti castri Montisferrarii, et suis, et toti universitati ejusdem castri, salvis sibi et suis successoribus in ipsis patuis dominio, laudimio et consilio, et salvo sibi et suis successoribus, pro ipsis patuis, pro alignamento nemoris de Valena, usatico albergui novem militum, sibi et suis successoribus prestando. Quod alignamentum eisdem universis dominis dicti castri Montisferrarii, et suis, et toti universitati ejusdem castri laudavit, per se et per omnes successores suos, imperpetuum, et concessit.

Testes fuerunt Berengarius Arnaudi archipresbiter Magalonensis, predictus Berengarius de Valveria prior ecclesie de Monteferrario, Bernardus de Fisco prior ecclesie de Restincleriis, frater Raimundus conversus Magalonensis, Poncius Marcelli, Guiraudus de Cogullis, et predictus Petrus de Ponte, publicus notarius Montispessulani, qui mandatus hec omnia scripsit.

(Reg. E, fol. 241 r°).

DXLIV. — 23 janvier 1246

Innocent IV renouvelle, en faveur de l'évêque de Maguelone, la bulle de Grégoire IX contre les envahisseurs du comté de Melgueil.

(Reg. F, fol. 120 v°, et fol. 173 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 244.

DXLV. — 25 janvier 1246

Innocent IV, à l'exemple de Grégoire IX, informe l'archevêque de Narbonne et ses suffragants qu'il autorise l'évêque de Maguelone à excommunier les malfaiteurs qui ravagent le comté de Melgueil ; ils ne pourront les absoudre sans sa permission ou celle de l'évêque.

(Reg. F, fol. 174 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 246.

DXLVI. — 2 avril 1246

Échange de deux moulins dont l'un est sous la directe des Trinitaires de Montpellier.

Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, quarto nonas aprilis, ego Stephanus Blanquerius... permuto... tibi Guillelmo Monnerio, et tuis, et quibus volueris ad omnes tuas... exceptis... salvo tamen dominio, et consilio et usatico domine Garsendi, filie condam Gaudalmari de Sancto Damiano, uxoris nunc Bernardi de Lunello militis, et suis, videlicet quoddam molendinum cum suis edifficiis, introitibus et exitibus, et ripis, ripaticis, et cum omnibus pertinenciis suis, quod est in riperia Salaronis, juxta honorem predicte domine Garsendis.

Verumtamen tu et tui dabitis inde prefate domine Garsendi, et suis, annuatim, in festo sancti Michaelis, XII denarios melgorienses pro usatico et censu ; et tu et tui debetis dictum molendinum semper tenere munitum et paratum, sine predicte domine Garcendis expensis ; set ipsa domina debet mittere semper medietatem in vercheriis et aqualibus, inferius et superius ab utraque parte, et in pontibus similiter dimidiam debet mittere.

Et tu et tui debetis semper habere, in unaquaque ebdomada, unum sestarium bladi de molnaria, et farinam, et omnem remoltam ; et de hoc toto quod dictus molendinus fuerit lucratus, deducto predicto sestario, et farina et remolta prescripta, dicta domina Garcendis habebit totam dimidiam, et tu et tui aliam dimidiam.

Et ego predictus Guillelmus Monnerius, nomine permutationis, a te dicto Stephano Blanquerio recipiens permutando... trado et concedo tibi predicto Stephano Blanquerio, et tuis, et quibus volueris ad omnes voluntates... exceptis... salvo tamen dominio, et consilio, et usatico dominis a quibus hec infrascripta tenentur et teneri debent, scilicet dimidiam pro indiviso unius orti, et cujusdam molendini, et unius heremi cum suis edificiis, introitibus et exhitibus, et omnibus suis

pertinenciis et ajacenciis, et que eis pertinere possunt aut debent; que omnia sunt in parrochia seu decimaria Sancte Marie de Ovorio, in quibus omnibus tu habes aliam dimidiam pro indiviso.

Et dictus ortus confrontatur ex una parte cum flumine Salaronis, et ex alia cum honore domus Sancte Trinitatis, et ex alia cum via qua itur de ecclesia Sancte Agnetis versus Montempessulanum.

Dictum vero molendinum confrontatur ex una parte cum dicto orto, et ex alia cum prato domus supradicte, flumine in medio.

Et dictus heremus confrontatur ex una parte cum prato dicte domus Sancte Trinitatis, dicto flumine Salaronis in medio, et ex alia cum dicto orto, ex alia cum honore dicte domus, et ex alia cum honore hospitalis de Salarone.

Et trado et dono eciam amplius tibi VI libras et dimidiam melgorienses in peccunia numerata, de quibus penes me nichil remansit ad solvendum.

Sciendum quod tu predictus Stephanus Blanquerius et tui dabitis, pro toto dicto orto et pro toto dicto molendino, prefate domui Trinitatis et ministro ejusdem, site in Montepessulano, annuatim in festo sancti Michaelis quinque solidos melgorienses tantum, nomine usatici et census; et pro toto dicto heremo dabitis tu et tui, annuatim, in festo sancti Micaelis, hospitali de Salarone et preceptori ejusdem VI denarios melgorienses pro usatico et censu.

Et ego predictus Stephanus Blanquerius, per me et per omnem meam posteritatem (1), ex una parte; et ego jamdictus Guillelmus Monnerius, per me et per omnes meos, ex altera, per stipulationem ad invicem promittimus, quod hanc permutationem, seu scambium, et hec omnia firma teneamus et contra nunquam aliquo jure vel racione veniamus, et ab omni contradiccione semper jure invicem deffendemus; et si quid inde aliquando fuerit evictum uni parti nostrum, ab altera

(1) Cart.: *potestatim*.

totum jure restituetur ; nil a nobis dictum... quominus hec omnia... permaneant ; renunciantes...

Et ego predictus Bernardus de Lunello miles, pro me et predicta Garcenda uxore mea, a qua hoc faciam similiter laudari et confirmari sine dono et servicio, permutationem seu scambium factum dicti molendini, superius primo confrontati, laudo et confirmo tibi, predicto Guillelmo Monnerio, et tuis, et habui inde, nomine laudimii et consilii, XXX solidos melgorienses, quos persolvit dictus S. Blanquerius.

Acta sunt hec omnia apud Melgorium, in stari (1) Johannis Mercaderii (2) notarii, in presencia et testimonio Guillelmi de Altovilari, Gaudalmari de Sancto Damiano, fratris dicte domine Garcendis, Poncii Drac, Petri Blanquerii, R. Fabri de Sancto Genesio, et mei predicti Johannis Mercaderii, publici notarii, qui, mandato partis utriusque, hec omnia scripsi.

(Reg. A, fol. 252 r°).

DXLVII. — 9 avril 1246

Quittance pour deux années de cens annuel dû par l'Église de Maguelone au trésor pontifical.

(Reg. E, fol. 331 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 249.

DXLVIII. — 9 avril 1246

Garsinde, femme de Bernard de Lunel, approuve l'échange fait d'un moulin placé sous sa directe.

Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, videlicet quinto idus aprilis, ego Garcenda, uxor Bernardi de Lunello militis, ipso volente, presente, et mandante, et michi auctoritatem suam prestante,... laudo et

---

(1) Cart.: *stagi*.
(2) Cart.: *Mercadegii*.

confirmo tibi, Guillelmo Monnerio, et tuis, sub conditionibus appositis et scriptis in superiori instrumento, illud molendinum totum, cum suis pertinentiis, juribus et rationibus; quod quidem molendinum tradidit tibi et tuis Stephanus Blanquerius ex causa permutacionis, sicut in superiori instrumento continetur: recognoscens tibi, quod, propter hanc laudationem et confirmationem, habuit et recepit Bernardus de Lunello, maritus meus predictus, XXX solidos melgorienses in peccunia numerata, quos quidem exposuimus ego et dictus maritus meus in utilitatem nostram; promittens tibi dicto Guillelmo Monierio, sollempni stipulatione interposita, me contra hanc laudacionem et confirmacionem jure aliquo non venturam; renuncians omni juris et facti auxilio et beneficio velleyani legis Julie et senatus consulti, quibus posse[m] in contrarium me juvare, a me facto fidei plevimento.

Acta sunt hec apud Lunellum, in presencia et testimonio dicti B. de Lunello, et Bn. de Serinhaco, et B. Fabri, et mei Petri de Serinhaco, notarii Lunelli publici, qui hec scripsi mandatus.

(Reg. A, fol. 253 v°).

DXLIX. — 16 juillet 1246

L'assemblée générale des Hospitaliers de Saint-Jean de Jérusalem, réunie à Saint-Gilles, nomme des délégués pour approuver l'accord conclu en 1204 avec le prévôt de Maguelone (1). Approbation de cet accord.

Hec omnia suprascripta ego Bernardus Faber, publicus villè Sancti Egidii notarius, de speciali mandato magistri Guillelmi Regossa, canonici Magalonensis, prioris Beate Marie de Tabulis in Montepessulano, procuratoris constituti a viro venerabili domino Bernardo, Magalonensi preposito, pro se et Capitulo Magalonensi ad recipiendam laudacionem et confirmacionem, nomine Magalonensis Ecclesie, composicionis olim facte inter

(1) Voir cet acte, Tome II, p. 9. Dans le *Cartulaire*, cet acte et celui de 1204 sont réunis sous un même numéro.

dominum Guidonem, tunc prepositum Magalonensem, nomine Magalonensis Ecclesie ex una parte, et Senioretum, tunc priorem domus Hospitalis Jherosolimitani Sancti Johannis ex altera, per reverendum in Chisto patrem dominum G., Dei gratia tunc Nemausensem episcopum, et dominum G., tunc Avinionensem prepositum; et eciam mandato fratris Guillelmi preceptoris domus Hospitalis Jherosolimitani de Montepessulano, de verbo ad verbum, nullo addito vel diminuto, ab ipsa originali carta, tribus sigillis auttenticis sigillata, non viciata, nec cancellata, nec abolita, nec in aliqua sui parte suspecta, nec corrupta, super ipsam composicionem factam diligenter sumpsi et transcripsi, et cum ipso originali legi et contuli, et perscrutatus fui, et emendavi superius in marginibus hec verba *quod absit*.

Translata igitur carta predicta a me Bernardo Fabri, notario publico ville Sancti Egidii suprascripto, in modum et in formam suprascriptam, anno ab Incarnacione Domini millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, scilicet XVII° kalendas augusti, et congregato toto generali Capitulo in domo Hospitalis Jherosolimitani Sancti Egidii, coram domino Raymbaudo de Betsone, majore preceptore in partibus cismarinis, et coram domino Faraudo de Barracio, priore Sancti Egidii, per ipsos dominum preceptorem majorem, et dominum priorem, et per totum generalem capitulum processum fuit in hunc modum :

Cum totum capitulum interesse non posset, anno ab Incarnacione Domini millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, scilicet XVII° kalendas augusti, regnante Lodoyco, Francorum rege, noverint universi... quod nos frater Raymundus Prepositi, preceptor Burdegalensis, Jordanus de Sancto Andrea, preceptor Caturcensis, frater Guillelmus de Castriis, preceptor Sancti Felicis, frater Poncius de Sancto Marcello, preceptor de Ulmis, frater Johannes preceptor Narbone, frater Stephanus Drogol preceptor Sancti Petri de Mari, frater Bernardus de Momano, preceptor Sancti Nazarii, frater Guillelmus Botini, preceptor Sancti Thome, frater Otto, preceptor de Aquis, frater Berengarius, preceptor Sancti Antonii, frater G. Mata-

ronus, preceptor Belli Loci, frater Bertrandus de Mornacio preceptor de Conis, frater Portalicius preceptor Podii Mosoni, frater Poncius de Corio preceptor Vapicencis, frater Bermundus preceptor Rossilionis, frater Radulphus preceptor Marmaste, frater Bernardus de Espinasso preceptor Cavellionis, frater G. de Corniliano preceptor Poreti, frater Gaucelmus preceptor Sancti Gervasii, frater Guillelmus Poncii preceptor Valentinus, frater Guillelmus Veire preceptor Nicie, frater Bertrandus de Sancto Juliano, preceptor Montilii, frater Raynaudus, preceptor Vivariensis, frater Bertrandus de Monte Accuto, preceptor Gavaldani, frater P. Guitardi preceptor Sancti Vincencii, frater Arnaudus, capellanus domus Hospitalis Jherosolimitani Sancti Egidii, frater Guillelmus de Pradellis, et frater Raymundus, capellanus prioris Sancti Egidii, nos omnes pariter, in generali capitulo congregati, una cum pluribus aliis, tam preceptoribus quam fratribus simplicibus, nos, inquam, et totum capitulum damus vobis domino Raymbaudo, majori preceptori in partibus cismarinis suprascripto, et vobis fratri Faraudo de Barracio, priori Sancti Egidii, et Petro de Cairana priori Tholose, et fratri Rostagno preceptori Sancti Egidii, et fratri Guiraudo Amici preceptori Aurasicensi, et fratri Fulconi de Turnello preceptori Avinionensi, et fratri Bertrando preceptori Alesti, et fratri Jaucerando preceptori Nebiani, et fratri Guillelmo preceptori Montispessulani, et fratri Raimundo Guillelmi preceptori de Campaniolis, presentibus, plenam et liberam potestatem confirmandi, sive corroborandi et approbandi composicionem supra contentam, olim factam inter Magalonensem Ecclesiam ex uno latere, et domum Hospitalis Jherosolimitani ex alio, per viros venerabiles dominum G., Dei gracia tunc Nemausensem episcopum, et dominum G., Avinionensem prepositum, sicut vobis videbitur faciendum, prout ipsa composicio ab ipsa carta originali fideliter est translata, ut superius est expressum, et coram nobis eciam lecta, et recitata, et emendata, collacione coram nobis cum ipsa carta originali facta; ratum perpetuo habituri quicquid per vos actum fuerit super omnibus supradictis.

Actum fuit hoc in domo Hospitalis Jherosolimitani Sancti

Egidii, in aula superiori ubi erat generale capitulum congregatum; et interfuerunt testes rogati Petrus Raymundus, Andreas Finellerius, Guillelmus Raizere, Petrus Arnaldus, Petrus Boisonus, Guillelmus de Balneis, et ego Bernardus Faber, publicus ville Sancti Egidii notarius, qui utrinque rogatus hec scripsi et signavi.

Eodem anno quo supra, XVI° kalendas augusti, nos scilicet frater Raymbaudus de Bosone, major preceptor in partibus cismarinis domorum Hospitalium Jherosolimitani Sancti Johannis, et frater Faraudus de Barracio prior Sancti Egidii, et frater Petrus de Cairana prior Tholose, et frater Rostagnus preceptor Sancti Egidii, et frater Guiraudus Amici preceptor Aurasicensis, et frater Fulco de Turnello preceptor Avinionensis, et frater Jaucerandus preceptor de Nebiano, et frater Guillelmus preceptor Montispessulani, et frater Raymundus Guillelmi preceptor de Campaniolis, nos omnes pariter et singuli suprascriptam compositionem olim factam, ut superius continetur, inter Magalonensem Ecclesiam et domum Hospitalis Jherosolimitani, prout est fideliter sumpta et translata a carta originali, nos omnes et singuli laudamus, approbamus et confirmamus, nomine nostro et tocius capituli generalis cartam presentem, ab ipsa carta originali super ipsam composicionem facta, sumptam fideliter et translatam; et omnia superius contenta laudantes, approbantes et confirmantes, promittentes vobis, bona fide, nos facturos et curaturos, pro posse nostro, quod magister major in partibus transmarinis, cum fuerit a captione liberatus, vel ejus successor, si ipse non liberabitur, eandem composicionem laudabit, approbabit et confirmabit, et cum sigillo suo corroborabit ad requisicionem vestram vel Ecclesie Magalonensis; quam requisicionem sufficientem facere priori Sancti Egidii, qui pro tempore fuerit.

Ad hec ego magister Guillelmus, canonicus Magalonensis, prior Beate Marie de Tabulis in Montepessulano, predictam laudacionem et confirmacionem, nomine domini prepositi, cujus sum adhuc procurator, et nomine Capituli Magalonensis

et Ecclesie Magalonensis, recipio a vobis, suprascriptis dominis Hospitalariis, in modum et formam suprascriptam.

Et nos suprascripti major preceptor, et prior Sancti Egidii, et prior Tholose, et nos omnes preceptores, supra proxime scripti, ad majorem predictorum omnium firmitatem, presentem cartam sigillorum nostrorum appensione duximus confirmandam, et ut predicta omnia et singula robur optineant perpetue firmitatis.

Facta fuit hec confirmacio in domo Hospitalis Jherosolimitani Sancti Egidii coram hiis rogatis testibus magistro Guillelmo Picardo jurisperito, Petro Raimundo, Stephano Basterio, Jacobo Bisa, Raimundo Laurencio clerico, Bernardo de Croso, et me Bernardo Fabri, publico notario ville [Sancti] Egidii, qui, utrinque rogatus, hec scripsi et signavi.

Post hec eodem anno quo supra, pridie nonas augusti, nos fratres Bertrandus de Petra Lata, preceptor domus Hospitalis Jherosolimitani de Alesto, cum post tractatum composicionis prescripte, confirmande de mandato preceptoris majoris cismarini missi, in ipsa confirmacione composicionis non possemus interesse, et sigillum nostrum apponere; postea, cum oportunum fuit nobis apud Montempessulanum accedentes, auctoritate precedencium fratrum, cismarini preceptoris majoris, et aliorum, et tocius capituli generalis, supradictam composicionem approbamus, laudamus, et ratam et firmam habemus, et sigillum nostrum apponimus.

Actum fuit hoc apud Montempessulanum in canonica Sancti Firmini, presentibus et hanc laudacionem et confirmacionem pro Ecclesia Magalonensi recipientibus, domino Bernardo de Muroveteri Magalonensi preposito, et dicto magistro Guillelmo, priore dicte ecclesie Beate Marie de Tabulis; et affuerunt testes rogati, frater Guillelmus Scriptor, preceptor domus Hospitalis Sancti Joannis Jherosolimitani de Montepessulano, Poncius de de Sancto Marcello, preceptor domus Hospitalis Jherosolimitani de Hulmis, Guillelmus de Ruppe Furcata, Albertus de *Salve*, Raimundus de Viridario, Petrus de Gabriaco canonici Magalonenses; Guillelmus Faber, Raimundus Boisseria sacerdotes;

Petrus Raimundi diaconus notarius Villanove, Bertrandus de Campanhis diaconus, Raimundus Cautaloni ordearius, et ego Guillelmus Gormondi, publicus notarius Montispessulani, qui, utrinque mandatus, hec scripsi, et signum apposui.

(Reg. E, fol. 31 v°).

DL. — 13 août 1246

Échange entre Jean de Montlaur II et Pons Poma de Gigean.

Manifestum sit... quod ego Johannes de Montelauro, gratia Dei Magalonensis episcopus... titulo permutationis trado... tibi Poncio Poma de Gigano et tuis successoribus, ad dandum... exceptis... cum consilio tamen meo et meorum successorum, videlicet unam peciam terre, cum arboribas que sunt in illa.

Que pecia terre est in terminio de Gigano, in loco qui dicitur campus de *Amenliers*, et confrontatur ex una parte cum campo de Axe, vallato in medio, quod vallatum est et pertinet predicte pecie terre a me tibi permutate ; ex alia parte cum honore Guillelmi de Costa ; ex alia parte cum via publica que se tenet et se jungit cum vallato seu fossato castri de Gigano ; et in illo loco habet introitum et exitum suum, et ex eadem parte cum honoribus Guillelmi Bertrandi et Guillelme Porcelle et infantum suorum ; et ex alia parte cum honoribus Guillelmi Aiglini, Maurini, Petri Rotgerii, Guillelmi Vitalis, Bertrandi de Combreto, Berengarii de Levaniaco, Petri Simonis, et Andree de Londris.

Et est sciendum quod de predicta pecia terre dabitis tu et tui successores annuatim pro usatico, in festo sancti Petri mensis augusti, duo sextaria ordei michi et meis successoribus.

Preterea promitto... tibi Poncio Poma stipulanti, quod predictam peciam terre cum suis omnibus pertinenciis faciam tibi et tuis successoribus semper habere et tenere in pace... et renuncio... omni juri... quo me possem adjuvare vel tueri, vel causam revocare.

Ego quoque Poncius Poma de Gigano... pro permutacione predicte pecie terre, causa seu titulo permutacionis, dono... tibi domino Johanni de Montelauro, episcopo Magalonensi, et omnibus successoribus tuis, septem solidos melgorienses minus uno denario censuales, quos habeo et accipio, jure meo, annuatim, in hiis terris seu possessionibus infrascriptis, et dominium, consilium et laudimium, quos habeo in illis; eciam pro predicta permutacione et causa permutacionis, dono et trado tibi, domino Johanni de Montelauro, prenominato episcopo Magalonensi, et successoribus tuis; que omnia et singula, scilicet dictos septem solidos melgorienses censuales, et dominum, consilium et laudimium predictum tu laudasti et confirmasti michi quondam.

De istis terris seu possessionibus habet et tenet Martinus Alazardi unam peciam terre, in loco qui dicitur Cannetus, et confrontatur ex una parte cum vinea quondam Graillone, ex alia cum terra Michaelis de Palla, et ex alia cum terris Petri de Puteo et Petri Sigaut, via in medio; et dat inde pro usatico annuatim decem octo denarios.

Item Michael de Palla habet et tenet aliam peciam terre in eodem terminio, et confrontatur ex una parte cum terra Michaelis Alazardi, et ex alia cum honore Bernardi (1) de Manso; et dat inde annuatim pro usatico XII denarios.

Item Petrus Lobon habet et tenet unam domum, que confrontatur ex una parte cum domo (2) quondam Bernardi de Solio, ex alia cum domo Michaelis de Palla; et dat pro ea annuatim, nomine usatici, XII denarios.

Item Berengarius de Lavaniaco habet et tenet aliam peciam terre ad pratum; et confrontatur ex una parte cum terra Guinardis, et ex alia cum terra Petri Genesii; et dat inde annuatim pro usatico VI denarios.

Item Petrus Garnerii habet et tenet aliam peciam terre, que confrontatur ex una parte cum terra Raimundi Johannis,

---

(1) Cart.: *cum cum Bernardi.*

(2) Cart.: *dono.*

et ex alia cum flumine Avene ; et dat inde annuatim pro usatico II denarios.

Item Petrus de Puteo habet et tenet duas pecias terre ; quarum una est in terminio de Valle Vasineria, et confrontatur ex una parte cum terra Ermessandis Poma, ex alia cum rivo de Valle Vasineria, et ex alia cum via publica Sancti Jacobi ; alia pecia, in loco qui dicitur Cannetus, et confrontatur ex una parte cum terra Martini Alazardi via publica in medio, ex alia cum terra Michaelis de Palla, ex alia cum terris Petri Sigaut et Petri Ranulfi ; et dat de illis pro usatico annuatim VII denarios.

Et Guillelma de Puteo habet et tenet aliam peciam terre, in loco qui dicitur Pali ; et confrontatur ex una parte cum terra Ugonis de Noguerio, ex alia cum terra Petri de Levaniaco, et ex alia cum terra Bonalie ; et dat inde annuatim pro usatico unum denarium.

Item Petrus Sigaut habet et tenet aliam peciam terre ad Sanctum Remedium, que confrontatur ex una parte cum terra Petri de Puteo, ex alia cum via que vadit de camino Sancti Jacobi versus Devizens, et ex alia cum via Sancti Jacobi ; et dat inde annuatim pro usatico VI denarios.

Item Ermessandis Sausa habet et tenet aliam peciam terre ad Cannetum ; et confrontatur ex una parte cum terra Raimunde Vitalis, ex alia cum terra quondam Bernardi de Cumba ; et dat inde annuatim pro usatico IIII^or denarios.

Item Deodatus de Broseto habet et tenet unum ortum ad pratum ; et confrontatur ex una parte cum prato, et ex alia cum terra condam Bernardi de Marcellano, et ex aliis duabus partibus cum terra Guillelmi Bertrandi ; et dat inde annuatim pro usatico VI denarios.

Item Petrus Sigaut habet et tenet alias duas pecias terre ; quarum una est ad Burgadam veterem, et confrontatur ex una parte cum terra Raimundi Gui, ex alia cum via publica que tendit versus Villamnovam, et ex alia cum camino veteri ; alia confrontatur ex una parte cum terris Guillelmi Vitalis, Poncii Benedicti et Deodati de Broseto, ex alia cum terra Michaelis de Palla, ex alia cum terra Poncii Bertrandi, et ex

alia cum via publica que tendit versus Villamnovam ; et dat ex illis annuatim pro usatico duos denarios.

Item Poncius Bertrandi habet et tenet unam peciam terre, que confrontatur ex una parte cum terra Guillelmi Bertrandi, ex alia cum via que vadit ad Villamnovam ; et dat inde annuatim pro usatico duos denarios.

Item Poncius Ros habet et tenet unum ortum ad Burgadam ; et confrontatur ex una parte cum camino veteri, ex alia cum terra Petri Genesii de Costa ; et dat inde annuatim pro usatico unum denarium.

Et promitto tibi stipulanti, quod predictos septem solidos melgorienses, et dominium et laudimium dictarum possessionum, sicut superius dictum est, faciam tibi et tuis successoribus semper habere et tenere in pace... renuncians omni juri...

Et ego Johannes de Montelauro predictus, episcopus Magalonensis, per me et omnes successores meos, scio et cognosco tibi, Poncio Poma stipulanti, me laudasse quondam et confirmasse tibi et tuis predicta, et dominium, consilium et laudimium predictorum possessionum ; et habui inde a te pro laudimio IIII^or^ galinas et IIII^or^ saumadas de *socas* de eadem.

Facta sunt hec in presencia et testimonio Berengarii Arnaldi archipresbiteri Magalonensis, Poncii Raimundi, Johannis de Caden, et Guillelmi Bar, notarii publici de Gigano, qui, mandatus a predictis, hec scripsit, anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, idus augusti, cum una suprascriptione, in qua legitur *una*.

(Reg. F, fol. 94 v°, et fol. 57 r°).

DLI. — 5 novembre 1246

Reconnaissance faite à l'évêque pour trois terres sises dans la décimarie de Balaruc.

Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, nonas novembris, ego Bernardus Ot de

Porsano, et ego Petrus Ot de Gigano, nos duo fratres... cognoscimus domino Johanni, Dei gratia episcopo Magalonensi, et tibi Guillelmo Aroman, bajulo de Bazaluco, recipienti pro illo, nos habere et tenere tres pecias terre, in decimaria de Bazaluco, ab ipso domino episcopo ad feudum censatum.

Prima pecia est ad Podium Loberes, et confrontatur ex una parte cum terra Petri Duranti, ex alia cum terra Guillelmi Flandini, ex alia cum terra Petri Carabassa;

Secunda pecia est in terminio de Carboneriis, et confrontatur ex una parte cum terra Arnaldi Bonerii, et ex alia cum terra Guillelmi Gauterii, ex alia cum terra Lause, ex alia cum terra Petri Notberti;

Tercia pecia est in eodem terminio, et confrontatur ex una parte cum terra Petri Matfre, ex alia in via publica, ex alia cum terra Petri Gauterii, ex alia cum terra Petri Johannis.

Et damus inde et dare. tenemur annuatim pro usatico, domino episcopo et successoribus suis, quatuor denarios melgorienses in festo sancti Michaelis septembris.

Et est sciendum quod alii homines tenent a nobis predictas terras; et si predicte pecie terre, vel aliquid ex illis venderetur, aut alio modo alienaretur ab illis qui eas a nobis tenent, vestrum est et ad vos spectaret dominium, laudimium, et consilium; et si nos (1), vel unus ex nobis vel nostris, ibi vel inde aliquid venderet, vel alio modo alienaret, ad predictum dominum episcopum et suos successores pertineret dominium, consilium et laudimium.

Hujus rei sunt testes Raimundus Capolaire, Poncius Poma, Guillelmus Rainulfi et Guillelmus Bar, publicus notarius de Gigano, qui mandatus hec scripsit.

(Reg. F, fol. 94 v°).

---

1) Cart.: *vos*.

DLII. — 12 novembre 1246

Autre reconnaissance de terre sise dans la décimarie de Notre-Dame d'Aix.

Anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, pridie idus novembris, ego Bernardus Salvaire... cognosco domino Johanni episcopo Magalonensi, et tibi Guillelmo Aroman, bajulo de Bazaluco recipienti pro illo, me habere et tenere, ab eodem domino episcopo, tres partes pro indiviso unius pecie terre ad feudum censatum ;

Que pecia terre est in decimaria Sancte Marie de Aquis, in loco qui dicitur Volobre ; et confrontatur ex una parte cum honore Petri Gauterii, ex alia parte cum via publica que vadit de Bazaluco ad ecclesiam de Aquis, ex alia est via media, et ex alia cum planterio Guillelmo Fulquerii.

Item duas pecias terre, que sunt in eadem decimaria, et in eodem terminio ; quarum una confrontatur ex una parte cum via publica, ex alia cum planterio Petri Carabassa, ex alia cum planterio quondam Petri de Maimona, et ex alia cum orto (1) de Aquis.

Alia vero pecia confrontatur ex una parte cum planterio Johannis Flandini, ex alia cum planterio Raimundi de Arenis, ex alia cum orto de Aquis, via in medio.

Et pro isto feudo debeo, et mei successores post me, esse fidelis in omnibus predicto domino episcopo et successoribus suis, et eis semper debeo dare pro usatico annuatim, in festo sancti Michaelis, unam libram piperis pro dicto feudo.

Et est sciendum, quod, si homines qui tenent a me aliquid de dicto feudo, vel unus ex illis aliquid de dicto feudo venderent vel alio modo alienarent, michi et meis pertineret inde laudimium totum et consilium.

Et si ego vel mei aliquid de dicto feudo venderem, vel alio modo alienarem, predicto domino episcopo et successoribus suis pertineret totum laudimium et consilium.

(1) Cart.: *toro*.

Hujus rei sunt testes Raimundus Capolaire, Petrus Carabassa, Petrus Raimundi, Johannes Bonastre, et Guillelmus Bar(1) notarius publicus de Gigano, qui mandatus hec scripsi.

(Reg. F, fol 125 r°).

DLIII. 14 avril 1247

Les consuls de Lattes reconnaissent tenir de l'évêque et de Raimond de Melgueil leurs droits sur l'étang de Melgueil.

Hujus publici instrumenti testimonio sit notum... quod Guillelmus Sonnherius, Borrillonus et Petrus Deodatus consules de Latis, pro se et Raimundo de Romegueriis consule ejusdem castri de Latis, pro omnibus hominibus de Latis presentibus et futuris, recognoverunt Guillelmo de Villa, bajulo Melgorii pro domino Johanne de Montelauro, episcopo Magalonensi, comite et domino Melgorii et Montisferrandi, nomine ipsius domini episcopi, ratione comitatus stipulanti; et Raymundo de Melgorio, pro se et domina Catella, uxore Bertrandi de Bardiaco, stipulanti: quod dictus dominus episcopus, racione comitatus Melgorii, pro dimidia et pro indiviso, et dictus Raymundus de Melgorio, et dicta domina Catella et ejus maritus supradictus, nomine ipsius uxoris sue, pro alia dimidia et pro indiviso, sunt veri domini et justi possessores vel quasi possessores tocius stagni de Melgorio, et habent, et habere debent et percipere ipsi domini ab hominibus de Latis, presentibus et futuris, in dicto stagno piscantibus, quibus licitum sit piscari ibidem, racione dominii quintum piscem pro pulmento, de omnibus piscibus qui a dictis hominibus ibidem fuerint capti.

Quod stagnum supradictum confrontatur et extenditur a terra superiori, scilicet a toro de Amancione, usque ad aquale de Terminis, et inferius usque [ad] mare, a consoa de Bocart usque ad columpnam versus Magalonam.

Item promiserunt dicti consules, pro se et omnibus hominibus de Latis in dicto stagno piscantibus, dicto Guillelmo de

(1) Cart.: *Car.*

Villa, bajulo nomine ipsius domini episcopi, et dicto Raymundo de Melgorio, pro se et dicta domina Catella et ejus marito stipulantibus, quod pro quolibet navigio, sive sit carve vel barca, vel aliud lintre, quam vel quod habebunt homines de Latis, qui piscentur in dicto stagno cum retibus, donent dictis dominis vel nuncio eorum, singulis annis, in festivitate Beate Marie de augusto, unum sestarium ordei pro sensu et usatico.

Item promiserunt dicti consules, quod quilibet piscâtor de Latis, qui piscabitur in dicto stagno, toscando cum fichoira, donet, singulis diebus, quinque anguillas dictis dominis vel nuncio ipsorum pro unoquoque lintre.

Item promiserunt dicti consules, quod quilibet piscator de Latis, qui piscabitur in dicto stagno, a dicto aquali de Terminis et a dicta consoa de Bocardo usque ad punctam Carnonis, accipiat terram ad portum de Carnone pro solvendo usatico.

Item promiserunt dicti consules, quod quelibet barca vel quodlibet aliud navigium de Latis, veniens de stagno de *l'Or* (1), accipiat terram ad dictum portum de Carnone; et illi de barca vel navigio vocent usatgerium, ita quod possit eos audire et videre dictus usatgerius, si esset ibi aliquod, de quo pertineat eisdem predictis dominis usaticum.

Item promiserunt dicti consules, quod quilibet caupolus vel aliud lignum de Latis, faciens transitum per Carnonem cum averibus, eundo et redeundo, accipiat terram ad dictum portum de Carnone, et solvat ibidem usatgerio quatuor denarios pro pedatgio.

Item promiserunt dicti consules, quod si gradus fieret infra dictos terminos, et homines de Latis ibidem piscarentur, quod donent predictis dominis, vel nuncio eorum, quintum piscem vel sextum, de gradu, de omnibus hiis quos ibidem caperent.

Item promiserunt dicti consules, quod, si dicti homines de Latis piscari fuerint cum aliquo genere retis in mari, sive sit *bolios*, vel *sarret*, vel aliud rete, quod apodiet vel traheret se in terram, sicut extenditur de Bocardo usque ad columpnam de Magalona, donent prefati homines predictis dominis, vel

(1) Cart.: *Sorc.*

eorum nuncio, sexdecimum piscem, de omnibus hiis piscibus quos ibi capient.

Item promiserunt dicti consules, quod, si homines de Latis aportaverint ligna, faciencia transitum per dictum stagnum, quod de dictis lignis donent sexdecimum lignum predictis dominis, vel eorum nuncio, sicut consuetum est.

Item promiserunt dicti consules, quod predicti homines de Latis donent predictis dominis, vel eorum nuncio, de omnibus avibus, quas capient infra dictos terminos, undecimam avem, sit integra vel non.

Item promiserunt dicti consules, quod homines de Latis fideliter darent omnia et singula supradicta prefatis dominis, vel eorum nuncio, in portu de Carnone moranti, vel in portu de Latis ; et quod dicta usatica nulli clerico vel laico dabunt dicti homines de Latis, nisi nuncio vel [u]salgerio predicti domini et comitis et pariariorum suorum, et custodiant eos de vi.

Hec omnia supradicta et singula laudaverunt et confirmaverunt pro se et suis Petrus Apalgeri, Petrus Ricardi, Petrus Sonnherius, Bernardus Bertrandi, Guillelmus Scuderius, Johannes Magister, Pètrus Andreas, Petrus de Campo, et Bernardus Apalguerius de Latis, promittentes singuli et predicti consules se ita attendere et complere, prout superius scriptum est, et nunquam aliquo loco vel tempore contra venire per fides suas.

Item predictus Guillelmus de Villa, bajulus nomine dicti domini episcopi, ratione dicti comitatus, a quo promisit hec omnia laudari et confirmari pro omni posse suo ;

Item pro dimidia indivisa, et dictus Raymundus de Melgorio, pro se et dicta domina Catella et ejus marito predicto, a quibus promisit hec omnia rata haberi, laudari et confirmari pro alia dimidia et indivisa, laudationes et confirmaciones, omnia et singula supradicta promiserunt, per fidei sue plevimentum, predictis consulibus, pro se et omnibus hominibus de Latis stipulantibus, et prenominatis aliis hominibus de Latis, quod *bolios* seu batuda, vel *sarret*, vel *solanega*, vel *celamet*, vel *trahin*, vel aliquod rete quod trahet se, excepto brochina, non currant nec piscentur in toto dicto stagno.

Voluerunt tamen et retinuerunt predicti domini, quod, ad opus proprium ipsorum dominorum predictorum vel amicorum suorum, possint piscari vel piscari faciant in dicto stagno, cum pisces eis fuerint necessarii, per quatuor noctes per annum : et quod hoc faciant scire hominibus de Latis una die antea ; et quod hoc faciant similiter dicti domini sine omni fraude.

Item promiserunt dictus bajulus et R. predictus de Melgorio, quod aliqua ullo tempore non fiant infra dictos terminos ; concedentes etiam dictis consulibus et hominibus de Latis, quod possint diruere, auctoritate sua, aqualia que sunt ex terra majori infra dictos terminos ; et si invenirent aliquos, in dicto stagno piscantes genere indebito, possint capere recia et lintrea ; et, ipsis captis, faciant hoc scire predictis dominis, et reddant et restituant ea ipsis dominis vel nuncio eorum.

Et promiserunt dictus bajulus, nomine dicti domini episcopi, et dictus R. de Melgorio, pro se et dicta domina Catella et dicto ejus marito, quod contra predicta vel aliquod predictorum, aliquo loco vel tempore nunquam venirent per se vel per interpositam personam ; ymo ea omnia et singula supradicta firmiter in perpetuum observarent et custodirent.

Acta sunt hec in ecclesia Sancti Marcelli, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, XVIII kalendas maii, in presencia et testimonio Petri Benofaren sacerdotis, Guillelmi de Mesoa clerici, Petri Aperindori militis, Poncii Cigonhaire, et mei Johannis Mercaderii, publici notarii Melgorii, qui mandato et rogatu parcium hec omnia scripsi.

Post hoc anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, VII kalendas augusti, dominus frater R[ainerius], Dei gratia episcopus Magalonensis, comes et dominus Melgorii et Montisferrandi, ratione comitatus, omnia et singula supradicta, a dicto Guillelmo de Villa, bajulo suo in castro Melgorii, facta seu gesta, prout superius scriptum est et expressum, laudavit, approbavit et confirmavit pro se et omnibus successoribus suis, et rata et firma semper haberi voluit et precepit ; volens etiam et jubens, ad majorem firmi-

tatem super hiis habendam, hanc cartam bullari cum bulla sua plumbea ;

Et Guillelmus Sonnherius, bajulus nunc de Latis, et Bernardus Anglicus, consul ejusdem castri, et Petrus Escuderius, et Bernardus Perroti, et Salomon de Latis, omnia et singula supradicta laudantes et confirmantes, promiserunt hec omnia supradicta et singula a domino Guillelmo de Pavo, bajulo in Montepessulano pro domino rege Aragonum, laudari, et confirmari et rata haberi, et sigillum dicti domini Guillelmi de Pavo huic carte imponere, ad majorem firmitatem super hiis habendam.

Acta sunt hec et laudata apud Melgorium, in claustro Beate Marie de Melgorio, in camera dicti domini episcopi, presentibus testibus vocatis et rogatis Americo Bernardo de Melgorio, et Bernardo Barnerio notarius, Petro Ademaro milite, R. de Melgorio, Guillelmo de Villa bajulo, Guillelmo Scuderio, Petro de Campo, magistro Johanne de Latis, et me predicto Johanne Mercaderio, notario Melgorii, qui, mandato dicti domini episcopi, et dicti Guillelmi Sonnherii, et Bernardi Anglici consulis supradicti, et aliorum sociorum suorum de Latis predictorum, hec omnia scripsi signum meum apponendo.

(Reg. A, fol. 214 v°).

DLIV. — 4 mai 1247

Jean de Montlaur II ordonne de rebâtir l'église de Saint-Martin de Londres.

Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, videlicet IIII° nonas maii, notum sit... quod ego Johannes, Dei permissione Magalonensis episcopus, nostram emendantes forisfactam, emendare volumus, et mandamus quatenus corpus, id est navis, ecclesie Sancti Martini de Lundris, quod deterioratum fuerit in occasu clocherii seu fortalicie dicte ecclesie, quem vel quam dirui fecimus pro

conservanda jurisdiccione nostra et dominio, emendetur integre et plenarie reformetur;

Et ad hoc faciendum, super pedagio nostro de Matellis de Valle Montisferrandi, X libras Melgorii recipiendas quolibet anno assignamus; et insuper XX solidos melgorienses, quos, qualibet septimana, recepimus super pedagio Sancte Crucis; et hec tamdiu recipiantur, donec corpus, sive navis, predicte ecclesie, sine turri tamen et fortalicia, sit integre ac plenarie emendatum.

Que omnia tibi, Guiraldo Bastida scriptori nostro, nomine et pro nomine dicte ecclesie Sancti Martini stipulanti, obligantes nichilominus bona nostra comitatus Melgorii et Montisferrandi, sicut dictum est, servare promittimus bona fide.

Actum apud Villamnovam, in presencia et testimonio Bn. archipresbiteri, B. de Fisco diaconi, Bt. de Montelauro, Petri Servicialis, et mei Bernardi de Margis, dicti domini Magalonensis episcopi publici notarii, qui, mandato et auctoritate ipsius domini episcopi, hanc cartam scripsi, et signum meum apposui in eadem.

(Reg. E, fol. 190 v°).

DLV. — Sans date (Vers 1246)

Sentence arbitrale de l'archevêque de Narbonne et de l'evêque de Béziers au sujet des difficultés qui ont surgi entre les chanoines.

(Reg. D, fol. 290 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 266.

DLVI. — Avant le 7 mai 1247

Innocent IV oblige les chanoines de Maguelone à prendre les ordres et à résider dans leurs prieurés.

(Reg. D, fol. 271 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 251.

DLVII. — 20 juin 1247

Reconnaissance d'une terre sise à Balaruc.

Anno D[omini] M[CC] quadragesimo septimo, duodecimo kalendas julii, ego, Stephanus de Valla'u]ques de Porciano, scio et vere profiteor tibi Guillelmo Armanni, bajulo castri de Bazaluco pro domino Bernardo de Muroveteri, preposito Magalonensi, gerente (1) vices episcopi, Sede vacante, me tenere, a domino episcopo Magalonensi et a successoribus suis, unam peciam terre, que est in parrochia Sancti Mauricii de Bazaluco, et in pertinimento de Bazaluco ; et confrontatur ex una parte cum honore Guiraudi, vallato in medio, et ex alia parte cum Agullo.

Pro qua dabo dicto domino Magalonensi episcopo et successoribus suis, annuatim, in festo sancti Michaelis, VIIII denarios Melgorienses pro usatico ; quod usaticum dicto domino Magalonensi episcopo et successoribus suis dare, ut dictum est, promitto, quia inde obligo dicto domino Magalonensi episcopo et suis successoribus terram superius confrontatam.

[Testes] sunt Raimundus Capolayre, Raimundus Daude, Poncius Vitalis, [et] ego Raimundus Benedicti, notarius publicus, qui hec scripsi rogatus a partibus.

In qua pecia dictus dominus episcopus Magalonensis suique successores habent dominium, consilium et laudimium.

(Reg. C, fol. 226 v°).

DLVIII. — 21 novembre 1247

Vente en franc-alleu d'une partie de la forêt de Port aux Hospitaliers de Lunel et de Saint-Christol.

Anno Incarnationis Domini millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, undecimo kalendas decembris, ego Florensa,

(1) Cart.: *gerentes*.

uxor condam Guillelmi de Portu militis, mater Guillelmi de Portu, et Alaycete et Guillelmete liberorum nostrorum, quos ex dicto marito meo habui : et ego Guillelmus de Portu, filius et heres nunc dicti Guillelmi de Portu militis, nos ambo insimul et quisque nostrum in solidum, per se et spontanee, et bona fide nostra, et omni fraude et dolo exclusis, pro maxima et urgenti nostra necessitate, scilicet pro solvenda dote dicte Guillelmete, quia non habuimus aliquid aliud unde comodius ejus dotem solvere valeamus, vendimus... pro precio mille et octingentorum solidorum melgoriensium, ad alodium purum et francum, vobis fratri Rostagno Ricau, preceptori domus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, site apud Sanctum Egidium, ementi, stipulanti et recipienti pro domibus dicti Hospitalis Jerosolimitani, que sunt in Sancto Christoforo et in Lunello, et pro fratribus in dictis domibus commorantibus et comoraturis, imperpetuum, totam partem nostram, quam habemus, vel habere debemus, vel visi sumus habere, usque hodie, in silva de Portu, et in piscationibus de maribus inferius nominatis, et in eorum pertinenciis et appendiciis ;

Et ut certum sit quid est istud, quod vobis vendimus et damus pro dictis MDCCC solidis melgoriensibus, sciendum est quod silva predicta de Portu, hoc est reditus et fructus ejus dividuntur per novem partes inter dominos de Portu ; in quibus novem partibus Poncius Corbus et G. Cadel habent et habere debent duas partes ; et in residuis septem partibus nos habemus et habere debemus octavam partem, quam vobis vendimus et damus pro dicto precio ;

Piscationes vero marium dividuntur in hunc modum : in illo enim mari, quod vulgo dicitur mare vel maria *del Rodes,* nos habemus octavam partem, quam vobis similiter vendimus, damus pro dicto precio ; maria vero alia, que sunt communia inter dominos de Portu, que maria vulgo dicuntur maria *del Sauzet,* dividuntur eodem modo et forma, quo vel qua est et divisa superius dicta silva ; et partes predictas, que nobis contingunt secundum supradictas divisiones, vel contingere debent in predicta silva, et in maribus predictis, et in eorum pertinenciis et appendiciis, vobis vendimus jure proprii et

franci alodii vestri, et eas partes vobis damus et cedimus pro dicto precio ;

Et damus etiam vobis et fratribus dictarum domorum Sancti Christofori et Lunelli, quorum vices et gratias in hoc facto [geritis], licenciam et auctoritatem apprehendendi possessionem et quasi possessionem omnium predictorum, et habendi et possidendi predictas partes nostras, et generaliter quicquid in dicta silva et in dictis maribus habebamus, pro velle et arbitrio vestro, et faciendi inde de cetero vestram plenariam voluntatem.

Et vos et fratres dictarum domorum inde veros dominos facimus, et nos ex toto et nostros etiam inde spoliamus et disvestimus, et vos et dictos fratres inde in integrum investimus et quasi.

Exceptamus tamen de predicta venditione omnem jurisdiccionem et plenam, quam nobis et nostris semper salvam et integram retinemus [in] predicta silva et in dictis maribus, sicut inde habemus in villa de Portu et in ejus pertinenciis ; ita scilicet quod predicte partes dicte silve et dictorum marium remaneant et sint sub districtu et dominacione et jurisdiccione ville de Portu, et nostri, et aliorum dominorum de Portu, sicut antea erant, non obstante predicta venditione.

Item exceptamus de predicta vendicione omnia fossata seu vallata, que recipiunt et in futurum recipient aquam de fossa dominorum de Portu ;

Et est sciendum quod dicta silva confrontatur ab occidente cum silva de Melgorio, et a circio cum fossa Pro[v]ensala, que est dominorum de Portu, et ab oriente cum silva que fuit Sancti Petri de Psalmodio ;

Et dicta maria confrontantur ab oriente cum maribus Psalmodii, et ab occidente cum maribus Poncii de Sozeto ; et si quas alias confrontationes habuerint (1), quicquid juris et rationes habemus, vel habere debemus in dicta silva et in dictis maribus, illud totum vobis et dictis fratribus vendimus et damus pro dicto precio, exceptis tamen supra exceptatis ;

(1) Cart.: *breviter*.

et promittimus vobis, et per vos fratribus presentibus et futuris dictarum domorum Sancti Christofori et Lunelli, quod dictas partes, et quicquid juris in predictis locis habebamus, salvis tamen nobis supra exceptatis, faciemus preceptores et omnes fratres dictarum domorum de cetero habere, tenere et possidere in pace, et easdem partes et juria similiter ipsis semper in suis, in jure et in judicio, cum nostris expensis, ad ipsorum submonimentum, et sua legitime defendemus contra quamlibet personam, ibi petitionem aliquam facientem ; et si quid inde aliquando interfuerit evictioni, illud eis in pace restituemus ; et si forte contigerit fratres dictarum domorum facere aliquas expensas in judicio et jure, pro predictis partibus et juribus defendendis, eis expensas ipsis in pace restituemus, et credemus etiam de quantitate, et eorum fidei tantum pulmento ab uno de fratribus dictarum domorum Sancti Christofori et Lunelli quem ipsi eligerint ; et pro expensis litis et etiam pro evictione, si forte inde aliquid aliquando interfuerit evictum, donamus et assignamus, vobis et omnibus fratribus dictarum domorum, expressam ypothecam et retornum in omnibus bonis nostris presentibus et futuris ;

Et recognoscimus quod fratres dictarum domorum nobis persolverunt, dederunt et tradiderunt, ad mandatum nostrum, dictos M DCCC solidos melgorienses, in pace pro precio convento et taxato predictarum parcium et jurium predictorum ; quod precium confitemur esse justum et equum partibus et juribus supra venditis.

Et ideo in dicto precio et in omnibus aliis, supra et infra dictis, renunciamus, et quisque nostrum, ex certa sciencia, exceptioni non numerate peccunie et precii non soluti, et precii minoris, et precii non conversi in utilitatem nostram, et beneficio velleiani, et sexus, et minoris etatis, et omni alii auxilio quo contra hec juvari possemus ; promittentes iterum vobis, et per vos fratribus et preceptoribus dictarum domorum presentibus et futuris, nomine quorum stipulamini et recipitis, quod omnia supradicta et singula semper firme, in[com]motum et integre tenebimus et complebimus, ad omne commodum vestrum et omnium preceptorum et fratrum predictarum

domorum, quorum [nomine] stipulamini (1) et recipitis, et nunquam in contrarium veniemus, nec faciemus aliquo jure, nec aliqua occasione, nec aliqua arte vel negocio. Et si res supravendite valent plus dicto precio, quod non credimus, quia plus invenire non potuimus, totum illud, quantumcumque sit... donamus, cedimus donatione inter vivos... et nunquam diximus... aliquod, propter quod predicta venditio possit... revocari... Sic Deus nos adjuvet et sancta Dei evangelia a nobis corporaliter tacta, asserentes nos, sub dicto sacramento, ex predicta venditione locupletiores, quia parum commodum respectu dicti precii, ex rebus supravenditis, consequebamur.

Et sub eodem sacramento, ego dictus G. de Portu, major modo viginti annis, promitto vobis dicto fratri Rostagno Ricau, et per vos fratribus dictarum domorum, quod predicta omnia laudabo et confirmabo, cum factus ero major XXV annis, ad omnem vestram voluntatem et ipsorum.

Item ego, dicta Florensa, confiteor me habuisse, ultra dictum precium, X solidos melgorienses ex causa dicte venditionis.

Ad hoc ego dicta Alaicita, major XII annis, de consilio et auctoritate matris mee, et dicti fratris mei, et omnium aliorum amicorum meorum, laudo et confirmo, mera et spontanea voluntate, me a vobis dicto fratre Rostagno Ricau, ordinis Hospitalis Jerosolimitani, stipulanti et recipienti pro fratribus ejusdem ordinis, morantibus et comoraturis in domibus dicti Hospitalis, que sunt in Lunello et Sancto Christoforo, predictam venditionm et quodcumque jus in rebus supra venditis habeo vel habere debeo, aliquo modo vel aliqua causa, illud Deo et fratribus dictarum domorum, presentibus et futuris, et vobis stipulanti et recipienti pro eis, dono, cedo gratis donatione inter vivos perfecta et absoluta, et nunquam aliqua de causa revocanda, pro redemptione anime mee et parentum meorum. Et promitto vobis quod predictam donationem semper firmam et integram observabo, ad omne vestrum comodum et dictorum fratrum, et nunquam in contrarium veniam,

---

(1) Cart.: *stipulabimini*.

nec faciam aliquo jure nec aliqua ratione, neque dixi (1), neque dicam me habere amodo aliquod jus vel demandamentum [in] juribus supra venditis. Sic (2) Deus me adjuvet et sancta Dei evangelia a me corporaliter tacta ; et renuncio in hoc sacramento beneficio minoris etatis et velleyani (3), et sexus, et omni alii auxilio michi, quoad hoc, competenti vel competituro ; et recognosco quod, pro isto laudimio, fratres dictarum domorum Sancti Christofori et Lunelli dederunt michi unam juvengam trium annorum.

Et eodem modo dicta Guillelma, uxor Guillelmi Barrarie, mandato ejus, et matris sue, et fratris sui predictorum, et aliorum amicorum suorum, laudavit et confirmavit predictam venditionem dicto fratri Rostagno Ricau et fratribus dictarum domorum ; et promisit et juravit per fidem suam plevitam quod amodo non petet aliquid in rebus supra venditis, neque dicet se habere aliquod jus vel demandamentum in eis ; et renunciavit beneficio minoris etatis et velleyani (4), et sexus, et omni alii [auxilio], si quo in hoc juvare posset.

Acta sunt hec in stari dicti G. Barrerie, in presencia et testimonio ipsius, et Guillelmi Catelli, camerarii Psalmodiensis, et B. de Portu jurisperiti, et Guitberti de *Vic*, et Guitberti de Sancto Justo, et Poncii Corvi, et R. de *Marges*, et fratris Petri de Bellicadro, subpreceptoris dictarum domorum Sancti Christofori et Lunelli, et fratris Guillelmi Presoeus, et fratris R. Folcranni Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, et mei Petri Polsini, publici Lunelli notarii, qui, etiam utrinque rogatus, scripsi hec in forma publica et subsignavi.

(Reg. A, fol 223 v° ; d'après un vidimus fait par Raimond de Montferrier par ordre de Jean Bonfils, docteur ès lois, official de l'évêque, sans date).

---

(1) Cart.: *peni* surmonté d'un trait.
(2) Cart.: *si*.
(3) Cart.: *vellexani*.
(4) Cart.: *vellexani*.

DLIX. — 11 decembre 1247

Compromis entre Rainier, évêque de Maguelone, et l'abbé de Franquevaux au sujet de la Grange du Pin.

Anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, videlicet tercio idus decembris, notum sit omnibus... quod controversie vertebantur inter venerabilem patrem, fratrem Raineriuin, Dei gratia Magalonensem episcopum, comitem et dominum Melgorii et Montisferrandi, suo et dicti sui comitatus nomine, ex una parte ; et fratrem Rostagnum, abbatem monasterii Francarum Vallium, Cisterciensis ordinis, Nemausensis diocesis, nomine ejusdem monasterii, ex altera ;

Super Grangia de Pinu, et mansis de Euseto, et de Euseriis, et de Rotils, et de Fraisseneto, cum pertinenciis eorumdem, ac super pocessionibus et rebus aliis : que omnia dictum monasterium Francarum Vallium tenet et possidet, vel alius ejus nomine, in parrochiis Sancti Salvatoris de Pinu, et Sancti Egidii de Fisco, et Sancti Clementis Magalonensis diocesis ;

Que omnia dictus dominus Magalonensis episcopus a predictis abbate et monasterio Francarum Vallium injuste possideri dicebat, asserens omnia supradicta esse de feudo comitatus Melgorii et Montisferrandi, qui ab Ecclesia Romana tenetur in feudum : et quia monasterium Francarum Vallium supradictum predicta omnia acquisierat absque domini superioris licentia et consensu ;

Ea sibi restituenda dictus dominus Magalonensis episcopus proponebat, non obstantibus concessionibus comitis vel comitum Melgorii vel Tholose, quibus absque domini Pape licentia memoratum feudum minuere non licebat : unde cum jura dicti comitatus ad mensam Magalonensis episcopi, ex Apostolice Sedis concessione, pervenerint, predicta omnia, tanquam perperam acquisita, ad mensam suam revocari petebat.

Super hiis igitur controversiis, seu peticionibus, quas dictus dominus Magalonensis episcopus contra abbatem et monasterium Francarum Vallium intentabat, vel bone memorie

dominus Johannes, predecessor ejusdem, intentaverat, sive moverat; et generaliter super omnibus controversiis, questionibus, et rancuris, quas dicte partes instituere poterant [ad] invicem vel movere, compromiserunt in Martinum, rectorem ecclesie de Ameglavo, Nemausensis diocesis, in Berengarium, priorem ecclesie de Monteferrario, Magalonensis diocesis; quos arbitros et arbitratores communiter et concorditer elegerunt, data plena et libera potestate eisdem predictas controversias terminandi, servato juris ordine vel obmisso, examinacione facta vel in totum obmissa, presentibus partibus vel absentibus, diebus feriatis vel non feriatis, per senteneiam vel proprie arbitrium voluntatis; hoc acto, quod, si predicti duo arbitri concordare nequiverint, dominus abbas Aniane sit tertius cum eisdem.

Quicquid ergo per dictos dominos arbitros, vel ipsis dissidentibus per unum ex eis cum domino abbate Aniane, super premissis dictum vel ordinatum fuerit, vel mandatum, promiserunt partes ad invicem, sub obligacione omnium bonorum dicti comitatus, ad episcopum pertinencium, et monasterii Francarum Vallium, tenere et complere, et inviolabiliter observare, et nullo jure vel ratione contravenire sub pena centum marcharum argenti, in mutuam stipulacionem deducta, a parte inobediente tociens comitenda quociens contra mandatum vel mandata venerit arbitrorum; qua comissa et exacta, semel vel sepius, mandatum seu mandata predictorum arbitrorum perpetua nichilominus firmitate nitantur; data eciam potestate eisdem arbitris interpretandi et declarandi, si quid questionis vel dubietatis emerserit super eorum mandato, vel mandatis, vel super pena ab alterutra parte comissa, vel eciam comitenda; ita quod super hiis stetur declarationi et eciam voluntati omnino eorumdem.

Et eciam sciendum, quod, pro hiis omnibus observandis, fidejussores ydoneos invicem prestent, et ipsis arbitris, ad cognicionem eorum, et quod compromissum duret usque ad carniprivium proximum; possit tamen usque ad Pasca per ipsos arbitros et subsequens prorogari.

Actum in Montepessulano, in presencia et testimonio domini

B[ernardi] Magalonensis prepositi, fratris Petri prioris Predicatorum, fratris Firmini prioris Francarum Vallium, fratris Deodati vestiarii, fratris Bertrandi, et fratris Jacobi de Trinitate, et mei B. de Margis, dicti domini episcopi publici notarii, qui rogatus hec scripsi.

Post hec igitur, anno quo supra, videlicet decimo quinto kalendas aprilis, perseverante dicto domino fratre Rainerio, Magalonensi episcopo, in peticionibus supradictis, et domino Rostagno, abbate monasterii Francarum Vallium, pro parte negante ea que in petitionibus continentur, et dicente petita fieri non debere, nos Martinus, rector ecclesie de Ameglavo, et Berengarius, prior de Monteferrario, arbitri supradicti, visis et auditis peticionibus, et defensionibus, et instrumentis partium, utraque parte volente et petente quod nostrum proferremus arbitrium :

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi, dominum Rostagnum, abbatem monasterii Francarum Vallium, et per ipsum dictum monasterium, a supradictis peticionibus domini Magalonensis episcopi absolvimus, adjudicantes dicto domino Rostagno, abbati monasterii Francarum Vallium, et per ipsum eidem monasterio in solidum, Grangiam de Pinu, cum omnibus mansis et pertinenciis suis, et expresse mansum de Fraichineto, et de Euseto, et de Euseriis, et de Rotils, et omnia alia que dicta domus per se vel per alium possidet vel tenet, seu possidere vel tenere debet infra parrochias supradictas, sive sint domus, casamenta, edificia, furna, pasturalia, riperie, paludes, census, usatica, aque aquarumve decursus, et piscaciones earum, et generaliter quecumque infra nominatas parrochias, scilicet Sancti Egidii de Fisco, et Sancti Clementis, et Sancti Jacobi de Pratis, et Sancti Salvatoris de Pinu, habet, tenet vel possidet, vel visa est habere, tenere vel possidere per se vel per alium, quocumque modo : precipientes atque mandantes, quod dictus dominus Magalonensis episcopus, comes et dominus Melgorii et Montisferrandi, ad majorem predicti monasterii firmitatem laudet, approbet et confirmet dicto abbati, et per ipsum monasterio Francarum Vallium,

omnia supradicta, salvo et retento sibi domino episcopo et successoribus suis, suo dominio principali, et jurisdiccione, ac censu annuali, scilicet centum solidis melgoriensibus et duobus modiis frumenti ; ita tamen, quod, hiis non obstantibus, dominus abbas Francarum Vallium et successores ejusdem, de possessionibus monasterii, quas habent vel habeant in locis supradictis, possint, pro voluntate sua, dare ad acapitum, vel emphiteosim, seu censum, quibuscumque voluerint, dicto domino episcopo vel comite, vel ipsius successoribus, seu bajulis eorumdem minime requisitis, et, tam de novis acapitis quam de veteribus, laudimia recipere et habere, salvo semper dicto domino episcopo et comiti, et suis successoribus, dominio principali.

Pro bono vero pacis, et ut dominus episcopus et comes, et successores ipsius sint favorabiliores monasterio supradicto, volumus et mandamus, quod dictus dominus abbas, pro se et suo monasterio, medietatem omnium molendinorum, que nunc habet dictum monasterium, vel edificabit in posterum, vel ex donacione, legato, empcione, vel quoquo modo acquiret, donet dicto domino episcopo et comiti, et successoribus suis, et vice versa, dictus dominus episcopus et comes donet dicto abbati, pro se et monasterio suo recipienti, medietatem molendini quod habet in territorio supradicto, et omnium molendinorum que acquiret in posterum, titulo vel causa quacunque ; et hoc dicimus de omnibus molendinis, que utraque pars habet vel habitura est, vel qualitercumque construet, vel acquiret, sive molitoria sive paratoria fuerint, a fonte Lesi usque ad finem parrochie Sancti Bartholomei de Albalhanicis in riperia Lesi.

Volumus tamen, precipimus et statuimus, quod, si alterutra pars in posterum infra terminos supradictos molendinum vel molendina de novo acquireret, pars altera in fructibus eorumdem nichil percipiat, donec parti, que de novo acquisierit, medietatem refundat precii, si empta fuerint, vel valoris eorum, si ex alia causa fuerint acquisita.

Si vero pars alterutra infra predictos terminos novum construere molendinum, vel vetus reedificare voluerit, parti

alteri hoc denunciet, ut, infra mensem, medietatem conferat in expensis; quod si facere noluerit, vel neglexerit, pars altera suum compleat edificium, et tamdiu fructus integros omnium molendinorum percipiat, donec de ipsis redditibus sibi plenarie fuerit satisfactum. Que omnia intelligimus de edificiis necessariis; opera enim non necessaria ab una parte, sine consensu alterius, fieri prohibemus.

Piscationes autem, que in ictibus vel aqualibus molendinorum fient, communes esse volumus et statuimus, aliis piscationibus, que extra ictus vel aqualia fient, nomine dicti monasterii, in aliqua parte alvei dicti fluminis, remanentibus in solidum penes monasterium supradictum.

Item volumus et statuimus, quod expense, que fient in molendinis presentibus et futuris, scilicet in edificiis, paxariis, familia, seu ejusdem mercedibus, de redditibus et proventibus eorumdem comuniter et sine contraditione solvantur.

Item volumus et mandamus, quod predicti dominus episcopus Magalonensis et abbas Francarum Vallium universa et singula teneant et observent supradicta, sub pena centum marcharum in compromisso contenta, et a suis collegiis faciant approbari, et sigilla eorumdem apponi; et quod dictus dominus abbas det et solvat L libras melgorienses pro laudimio domino episcopo supradicto.

Retinemus autem nobis potestatem interpretandi, si qua super hiis dubietas oriretur, et specialiter si dominus episcopus teneretur in aliquo pro questione, quam Guillelmus Princeps, ut nobis dicitur, dixit se facturum contra predictum abbatem; et si convenire non possent partes, eisdem arbitris tertium addiderunt, sacristam Magalonensem.

Ad hec nos frater Rainerius, Dei gratia Magalonensis episcopus, et frater Rostagnus, abbas monasterii Francarum Vallium, predicta omnia et singula in modum predictum invicem laudantes, approbantes et confirmantes, sollempni stipulacione, sub pena predicta, nobis ad invicem promittimus bona fide... nos omnia et singula, prout superius sunt expressa, per nos et omnes nostros successores firmiter et inviolabiliter tenere et servare, et in nullo contra venire aliquo

jure vel racione, que dici vel excogitari possit ; renunciantes omni juris auxilio... per quod possemus contra predicta venire vel contra aliquod de predictis.

Et ad majorem predictorum omnium perpetuam firmitatem, presentem cartam sigillorum nostrorum appensione jussimus roborari.

Acta sunt hec apud Montempessulanum, in presentia et testimonio domini B. de Muroveteri, prepositi Magalonensis, Raimundi de Viridario concanonici, Duranti scriptoris et notarii dicti domini prepositi, et mei B. de Margis, dicti domini episcopi et comitis publici notarii, qui, rogatus a partibus, hiis omnibus presens interfui, ac, mandato et auctoritate ipsarum partium, hec in publicam formam redigens, scripsi, ac etiam apposui signum meum.

Post hec, anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, videlicet IIII^to nonas februarii, hoc instrumento presenti ostenso in capitulo dicti monasterii Francarum Vallium, et ab omnibus tenore diligenter intellecto, omnes de capitulo, scilicet Firminus prior, B. Capellani subprior, Guillelmus de Marsilia cellerarius, Petrus Andabarti cellerarius minor, Deodatus portarius, Guillelmus de Bellicadro infirmarius, Johannes de Melgorio cantor, G. de Guibaco subcantor, Arnaudus camerarius, Guiraudus Marinus, G. Primi, P. Foteaudi, Michaelis, P. Ramerii, Jacobus, fratres monachi ejusdem monasterii, ad peticionem et mandatum dicti domini abbatis, omnia superius scripta laudaverunt, approbaverunt et confirmaverunt, ratum habentes et firmum quidquid super predictis per dictum abbatem factum est, ac si cum eisdem personaliter esset actum ; volentes insuper et precipientes quatinus cum dictum capitulum aliud sigillum non habeat, ipse dominus abbas sigilli sui municione hoc presens roboret instrumentum.

Actum apud dictum monasterium Francarum Vallium, in presencia et testimonio Symonis, Petri, Sabberti, fratrum conversorum dicti monasterii, magistri Raimundi de Sancto Egidio, Guillelmi de *Rodes* diaconi, et mei B. de *Marges* ante-

dicti notarii qui, vocatus et rogatus, hanc cartam scripsi, et signum meum apposui in eadem.

(Reg. E, fol. 185 r° et 200 v° ; édité en partie par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 252).

DLX. — 3 juillet 1248

Innocent IV informe l'archevêque de Narbonne et ses suffragants que l'évêque de Maguelone peut excommunier, de par l'autorité du Saint-Siège, les envahisseurs du comté de Melgueil ; il les exhorte à faire observer cette sentence dans leur diocèse.

(Reg. F, fol. 22 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 257.

DLXI. — 3 juillet 1248

Bulle pareille à la précédente adressée à l'archevêque d'Arles et à ses suffragants.

(Reg. F, fol. 33 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 259.

DLXII. — 6 juillet 1248

Innocent IV, à la demande de Pierre de Conques, sacriste, confie à Rainier le soin de terminer le différend qui s'est élevé au sein de la communauté maguelonaise, et que n'ont pu terminer les évêques de Narbonne et de Béziers.

(Reg. B, fol. 238 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 261.

DLXIII. — 8 juillet 1248

Innocent IV approuve la permutation faite par l'évêque de l'église de Sainte-Marie de Melgueil, dépendant du Chapitre, contre quelques églises dépendant de l'évêque.

(Reg. F, fol. 166 v° et 167 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 270.

DLXIV. — 21 août 1248

Rainier, évêque de Maguelone, cède au prieur de Guzargues les droits seigneuriaux sur Guzargues.

Anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, scilicet duodecimo kalendas septembris, nos frater Raynerius, divina permissione Magalonensis episcopus, comes et dominus Melgorii et Montisferrandi... damus in acapitum seu in emphiteosim... pro evidenti utilitate et necessitate episcopatus Magalonensis, comitatus Melgorii et Montisferrandi, scilicet pro debitis in curia Romana exsolvendis, tibi Stephano de Campo, rectori ecclesie Sancti Michaelis de Agusanicis, et successoribus tuis, nomine ecclesie predicte, et cui vel quibus volueris, ad dandum, vendendum impignorandum, exceptis..., cum consilio tamen nostro, et nostrorum successorum, videlicet omnia pascua, cassiva, nemora, garrigas, prata, aquas, rivos, fontes, montes, valles, mollerias, et omnia culta et inculta, heremos, arbores fructiferas et non fructiferas, homines, usatica, mansos dirutos seu edificatos, feuda, feualia, homagia, consilia et laudimia, et omnia alia que habemus seu possidemus, vel quasi possidemus... vel antecessores nostri habuerunt... infra parrochiam Sancti Michaelis de Agusanicis.

Propter hanc autem acapiti donationem, concessionem, firmam et perpetuo valituram, dedisti et solvisti nobis centum libras melgorienses, quas, vera numeratione et traditione intervenientibus, a te habuimus... renunciamus exceptioni....

Verum pro predictis omnibus supranominatis, dabis tu et

successores tui nobis et successoribus nostris, singulis annis in festo sancti Michaelis, sexaginta quinque solidos tantum pro usatico.

Nos autem per stipulationem tibi promittimus, quod predicta omnia, per nos et omnes successores nostros, faciemus te et omnes successores tuos semper habere, tenere in pace, et sine interpellatione cujusquam quiete ac pacifice possidere, et ab omni contradicente semper jure defendemus, et specialiter ab hominibus castri de Arsacio, offerendo nos personaliter in judicio semper et litigando nostris propriis sumptibus et expensis. Et pro hiis omnibus... obligamus nos tibi et successoribus tuis, et [pro] evictione aliquo tempore ibi contingente, omnia bona nostra episcopatus Magalonensis et comitatus Melgorii et Montisferrandi.

Contemplatione autem istius donationis in acapitum... concedimus tibi Stephano de Campo, priori predicto, et successoribus tuis, quod tu possis, tanquam dominus, omnia supradicta, vel partem supradictorum, alienare, vendere, distrahere aliis quibuscumque volueris tu vel successores tui... et omnia que fuerint alienata... laudabimus et confirmabimus illis quibus vendideris... et hoc faciemus de prima venditione tantum... dicentes et asserentes quod nichil est dictum... quominus hec acapiti donatio, et omnia et singula firma sint... nec aliquo jure... contra prescripta vel prescriptorum aliquod unquam veniemus... sed hec omnia... observare faciemus... Et ut omnibus premissis major fides habeatur, presentem cartam bulla nostra plumbea jussimus communiri.

Testes horum sunt magister Raimundus de Claromonte, canonicus Magalonensis, magister Johannes, prior Sancti Martini de Vinovolo, Petrus de Pamiis notarius, Bermundus de Marginibus, prior ecclesie Sancti Baudilii de Pedusio, Johannes Godafridus prior ecclesie Beate Marie de Montearnaudo, et ego Petrus Garnerii, notarius Montispessulani publicus, qui mandatus hec scripsi.

(Reg. E, fol. 313 r° ; d'après un vidimus de 1339 ; édité par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 264).

DLXV. – 13 décembre 1248

Innocent IV se plaint à l'évêque de Béziers des empiétements du sénéchal Guillaume de Péan sur le comté de Melgueil.

(Reg. F, fol. 171 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 273.

Rainier mourut le 13 janvier 1249, après avoir occupé le siège de Maguelone pendant dix-huit mois. On sait qu'une légende absurde s'est créée sur cet évêque : il aurait été empoisonné par les chanoines. Déjà combattue par M. le comte de Lansade et par M. F. Fabrège, cette légende est à rejeter. Rainier n'a pas joué le rôle que Germain lui a attribué. Nous ne pouvons que renvoyer le lecteur à notre article : *Rainier, évêque de Maguelone, a-t-il été empoisonné par le Chapitre ?* (dans *Revue d'Histoire de l'Église de France*, 2e année, p. 1), et surtout à notre étude : *La Réforme à Maguelone au XIIIe siècle.*

Le grand acte de Rainier, l'érection de la Vestiarié en bénéfice indépendant, n'est pas transcrit dans le *Cartulaire*. Le lecteur le trouvera à la fin du Fascicule X, qui termine ce volume.

DLXVI. — 11 avril 1249

Vente d'un moulin situé sur le Salaison.

Anno Dominice Incarnationis millesimo CC° XLVIII°, videlicet tercio idus aprilis, nos Petrus et Poncius Blanquerius fratres, et ego Beatrix soror eorum, et ego Bartholomea, nomine R., filii mei impuberis (1), a quo hec faciam laudari cum pubes fuerit.... vendimus tibi Stephano Blanquerii et tuis, et quibuscumque volueris, ad omnes tuas et tuorum voluntates perpetuo plenarie faciendas, videlicet quoddam mollendinum in riperia Salaronis, cum omnibus juribus suis, et pertinenciiis, quod tenetur a domina Garsende, filia quondam Gandalmari de Sancto Damiano, uxore nunc Bernardi de Lunello militis, sub certo censu continente in quadam carta, et cetera; et confrontatur ex una parte cum terra ejusdem Garcendis.

Pro hac autem vendicione... habuimus a te, nomine justi precii, centum solidos melgorienses, in quibus renunciamus exceptioni non numerate peccunie...; et si plus dicto precio hec vendicio valet .. totum tibi et tuis donamus gratis et bono animo; et quod de omni jure, ratione, actione, quod et quam in dicto molendino habemus, nos dicti P., et Poncius, et Beatrix, et ego dicta Bartholomea, nomine dicti filii mei, et dictus filius meus habet quocumque modo, nos et nostros disvestientes, et ego Bartholomea dictum Raimundum filium meum et suos, te et tuos investimus, et verum dominum et procuratorem ac justum possessorem, ut in rem tuam propriam facimus, et constituimus; promictentes tibi stipulanti quod predictum mollendinum faciemus te et tuos et quoscumque volueris semper habere... et ab omni contradicente defendemus; et de evictione obligamus tibi et tuis nos et omnia bona nostra presencia et futura; et ego dicta Bartholomea, dominum filium meum et omnia ejus bona; et nichil diximus... quominus hec vendicio firma sit; et renunciantes omni juri quo

(1) Cart.: *inbuberis.*

contra venire possemus, hec omnia firma habere... juramus super hec sancta Dei evangelia.

Hec laudavit Bernardus de Lunello pro se et dicta uxore sua prefato Stephano Blanquerii et suis, et habuit pro laudimio et consilio XV solidos melgorienses.

Testes sunt Damianus Johannes, J. Logrian, et Gandalmarus de Sancto Damiano, et Johannes Mercaderii notarius.

(Reg. A, fol 291 r°; d'après un vidimus fait sous l'épiscopat de Bérenger de Frédol).

L'épiscopat de Pierre de Conques ne semble pas répondre aux espérances que donnait le chanoine de Maguelone, successivement prieur de Saint-Firmin et sacriste. Pour juger cet homme, il faut connaître surtout le rôle important qu'il a joué sous les deux évêques précédents. — Voir, sur lui, les notes que nous avons ajoutées au *Bullaire de l'Église de Maguelone*, et, surtout, notre étude sur *La Réforme à Maguelone au XIIIe siècle*, où il apparaît sous son vrai jour.

DLXVII. — 25 juin 1249

Pierre de Conques, d'une part, et Raimond de Melgueil et Bertrand de Blauzac, d'autre part, donnent à acapte, aux frères Catalan et autres, des maniguières dans l'étang de Melgueil.

Noscant omnes... quod nos P[etrus] de Conchiis, divina miseratione Magalonensis episcopus, comes et dominus Melgorii et Montisferrandi, per nos et omnes successores nostros pro medietate indivisa; et ego Raymundus de Melgorio armiger, filius condam Raymundi de Melgorio, per me et omnes successores meos, et ego Bertrandus de Blausaco miles, pro me et domina Guillelma Cadella uxore mea, filia condam et herede universali Poncii Bn. de Melgorio, nos ambo pro alia medietate indivisa, per nos et nostros; asserentes et manifeste cognoscentes, habito diligenti consilio et tractatu, hoc redundare (1) in utilitatem et augmentum tam dicti comitatus quam

(1) Cart.: *obredundare*.

nostri, Raimundi de Melgorio, Bertrandi de Blausaco et Guillelme Cadelle predictorum.... concedimus imperpetuum in emphiteosim, sive in accapitum, tibi Bernardo Catalani notario et Johanni Cathalani fratribus, filiis condam Johannis Cathalani, pro duabus partibus indivisis, in quibus tu Bn. Cathalani habebis duas partes, et tu Johannes residuam terciam partem; et tibi Guillelmo Senherio de Latis pro quinta parte indivisa, et tibi Guillelmo Clevello pro alia quinta parte indivisa, et tibi Raimundo Bolgari, recipienti pro te et liberis condam Bn. Raimundi Deodati de Latis, pro residua quinta indivisa; tamen vos Guillelmus Senherii et G. Clevelli debetis habere precipuam undecimam partem rei infrascripte concesse in accapitum: damus, inquam, vobis et vestris, et quibuscumque volueritis seu dimiseritis ad omnes voluntates vestras... exceptis... cum consilio tamen nostrorum pro partibus pretaxatis tantum, videlicet quandam partem stagni ad maneguerias seu ramerias faciendas, in loco quo malueritis. Que res est in stangno de Melgorio, sicut extenditur a magnegueras de *Transvers* de Canali usque ad salinas de *Rosalbon*, et usque ad Astellam.

Quam, inquam, partem stagni cum suis pertinentiis, et adjacentiis constituimus nos pro vobis et vestro nomine ac precario tenere et possidere, quousque vos eandem rem corporaliter apprehenderitis et possidere ceperitis per vos ipsos; quod propria auctoritate vos facturos volumus et mandamus, nobis ignorantibus et irrequisitis. Pro hoc (1) autem accapito scimus et recognoscimus nos a vobis habuisse pro dictis partibus X libras melgorienses, quas vere nobis exsolvistis; in quibus ex certa scientia renunciamus exceptioni non numerate peccunie et accapiti non soluti; quod precium dicimus et asserimus esse justum et ydoneum, et quod tantum ab aliquo non potuimus invenire, licet hoc sollicite et diligenter per multum tempus fuerimus indagati; et si amplius valet vel valere poterit precio pretaxato, illud totum, quodcumque sit vel fuerit, vobis et vestris donamus, et in vos et vestros transferimus,

(1) Cart.: *hac*.

licet dimidiam justi precii et plus excedet : et promittimus et convenimus vobis quod predictam rem datam in accapitum, cum omnibus suis pertinentiis, efficiemus vos et vestros, et quoscumque volueritis seu dimiseritis, semper... possidere pacifice et quiete, et deffendemus in jure et extra jus, nostris propriis sumptibus, ab omni contradictione, controversia et interpellatione, si qua, de ea re vel ejus occasione, facta seu mota fuerit : cui questioni, controversie seu interpellationi nos ponemus, et eam ducemus, et usque ad finem exercebimus ; et evictionem, si exinde fieri contingeret ullo jure, in parte vel in toto, vobis et vestris in integrum restituemus.

Verumtamen vos et vestri dabitis nobis et nostris successoribus, pro dictis partibus, tantum quintam partem piscium in dictis manegueriis capiendorum, levatis prius exinde qualibet die manegueriis piscatorum, scilicet una plana sive decem anguillis mareis correns pro quolibet piscante in dictis manegueriis. Et insuper dabitis nobis annuatim, in festo Natalis Domini, pro dictis partibus, nomine census sive usatici, pro qualibet libra, mediam libram piperis, et pro quolibet retornero, giton, erbenda, seu renegau unum quartayronem piperis.

Et pro hiis omnibus... observandis, obligamus et astringimus predictis partibus, nos dictus P[etrus] de Conchis, Magalonensis episcopus et comes Melgorii, bona ejusdem comitatus ; et nos Raymundus de Melgorio et Bertrandus de Blauzaco, nos et omnia bona nostra, habita et habenda ; renunciamus ex certa sciencia accioni et exceptioni de dolo... et omni alii juri quo contra prescripta vel aliquod prescriptorum opitulari seu tueri nos possemus. Et sic predicta omnia et singula vestra esse scientes, nos ea observaturos et completuros, et contra nunquam venturos promitimus et convenimus vobis per sollemnem stipulationem interpositam ; asserentes quod nihil diximus... quominus prescripta effectum obtineant inconcussum. Que omnia promittimus nos, dicti Raymundus de Melgorio et Bertrandus de Blauzaco, per fides nostras datas et irrequisitas ; sub quo plevio, et sub obligatione bonorum meorum, promito ego Bertrandus de Blauzaco vobis me facturum et curaturum tantum, quod dicta domina Guillelma Cadella,

uxor mea, prescripta omnia et singula rata habebit et tenebit imperpetuum, et ea laudabit, approbabit, et ratificabit, et confirmabit vobis et vestris ad commonitionem vestram, gratis et sine donatione peccunie, et cum omni renunciatione necessaria et cautela, et pro eviccione se obligavit.

Sciendum tamen est quod istud pactum deducimus, quod illi, qui dictas maneguerias piscabunt, facient annuatim sacramentum, quod dictam quintam partem piscium nos contingentem, bene et fideliter reddent, levatis prius dictis mangillis suis. Insuper vos, et res vestras, et omnes piscantes in dictis maneguerriis recipimus, et habebimus perpetuo in salvataria, protectione et deffencione nostra. Et per hec, que in hac presenti serie continentur, nolumus quod fiat vobis prejudicium in instrumentis que habetis super facto stagni, nec aliquibus in eisdem instrumentis contentis.

Preterea vos facietis et facere tenebimini, hinc ad festum sancti Michaelis, manegueriias in dicto loco; et piscatores qui piscabunt dictas manegueriias, accipient portum ad capud menegueriarum de Canali in terra Majoris, et expectabunt usatgerium ibi, sicut(1) est consuetum.

Acta fuerunt hec anno Dominice Incarnacionis M° II° XLIX, VII kalendas julii, in presencia et testimonio Poncii de Cazalis canonici Magalonensis, Turpini de Anglata, Berengarii de Sancto Firmino et plurium aliorum, et mei Johannis Brunenc, dicti domini episcopi in sua dyocesi et comitatu Melgorii et Montisferrandi publici notarii, qui mandatus hec scripsi et signo meo signavi.

(Reg. F, fol. 298 v°)

DLXVIII. — Juin 1249

Lettre de Blanche de Castille sur le péage de Restinclières.

Blancha, Dei gratia Francorum regina, universis presentes litteras inspecturis, salutem.

---

(1) Cart.: *nec*.

Noveritis quod nos volumus quod strata publica de Alesto, de Andusio et de Sancto Ambrosio, que vadit per Sanctam Crucem apud Montempessulanum divertatur per Sumidrium, quamdiu carissimo filio nostro regi et nobis placuerit, salvo jure venerabilis patris episcopi Magalonensis de pedagio suo, quod percipiebat apud Sanctam Crucem, ita quod illud pedagium percipiat apud villam de Lentrescleriis, et salvo jure alieno.

Actum apud Pontys[aram], anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo nono, mense junio.

(Reg. E, fol. 231 v°; reg. A, fol. 291 v°; et reg. F, fol. 204 v°).

Le Registre A est en mauvais état par suite d'une déchirure. La copie en a été faite, d'après un vidimus, sous l'épiscopat de Pictavin de Montesquiou.

C'est la première fois que nous voyons dans le *Cartulaire* entrer en scène le gouvernement de saint Louis, et que nous constatons son action envahissante dans le comté de Melgueil. Blanche de Castille avait déjà revendiqué des droits sur le fief pontifical dès 1227. (Cf. *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, *passim*, et aussi notre étude sur *Saint Louis et le comté de Melgueil*, dans *Revue d'Histoire de l'Église de France*, 5e année, mars 1914).

DLXIX. — 4 août 1249

Innocent IV se plaint des envahissements des nobles et des seigneurs sur le comté de Melgueil.

(Reg. F, fol. 117 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 281.

DLXX. — 17 août 1249

Innocent IV accorde à l'évêque de Maguelone de ne pouvoir être excommunié par aucun légat ni vice-légat.

(Reg. B, fol. 270 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 282.

DLXXI. — 5 décembre 1249

Pierre de Conques accorde des privilèges aux habitants de Villeneuve.

Presentis scripture testimonio pateat universis... quod nos Petrus de Conchis, divina miseratione Magalonensis episcopus, licet ad incrementa locorum omnium, que nostre atque Magalonensis Ecclesie noscuntur supposita dictioni, ex injuncto nobis officio intendamus, castrum nostrum de Villanova et habitatores ipsius eo tenemur favore prosequi ampliori, quo iidem ad Ecclesie memorate servicium et Jhesu Christo famulancium in eadem, quasi portus ipsius et membrum vicinius et frequentius se exponunt.

Et ideo, attendentes quod, quanto favorabiliori libertatum largicione senserint se ditatos, tanto in hoc ipsorum concrescat devocio et affectus, et ad habitandum cum eis ibidem libencius confluant homines aliunde, diligenti consideracione habita et tractatu, ejusdem castri universitati libertates infrascriptas, dilectis in Christo Bernardo de Muroveteri ex hiis nullum sibi vel suis successoribus irrogari prejudicium protestante, aliisque pluribus canonicis Magalonensibus, necnon et ejusdem castri hominibus paulominus universis, pro se ac aliis absentibus, presentibus et futuris, id humiliter postulantibus, et devote in nostra presencia constitutis, per nos et nostros successores duximus concedendas :

Videlicet quod de illis, in quibus fratres aut sorores fratribus vel sororibus suis, sive nepotes neptesve, recta linea descendentes, avo vel avie successerint, ex testamento vel ab intestato, laudimium aliquod nec pertineat, nec solvatur.

Rursus paterno affectu, modum illum in exigendis et recipiendis laudimiis in eodem castro a nostris predecessoribus actenus observatum, eisdem hominibus, ut ipsi asserunt, non mediocriter onerosum, volentes aliquantulum temperare, statuimus quod vendiciones ceterique contractus, pro quibus laudandis (1) solet Sedes episcopalis requiri, laudentur et

(1) Cart.: *levandis*.

confirmentur de cetero ad sciennium ; hoc est quod de qualibet libra quatuor solidi, et sic juxta formam ipsam, secundum quod majus vel minus fuerit, pro laudimio persolvantur, nisi forte ipse laudator, ea que laudari requirentur pro precio in ipsis oblato ad manum suam, racione dominii, voluerit retinere.

Item diligenter attento quod communis utilitas preferri debeat speciali, statuimus et concedimus, interdictum super hoc edictum relaxantes, quod in castro predicto, tam ab ipsius habitatoribus quam aliorum locorum hominibus, illis exceptis quibus est ipsius castri aditus penaliter interdictus, panis coctus ibidem, vel alibi, vendi et emi libere valeat et quiete, salva tamen nobis et nostris successoribus lesda, que proinde noscitur pertinere.

Preterea pastorali provisione, predicti castri habitatoribus duximus concedendum, quod pascua nostra, infra ipsius castri juridictionem existencia et districtum, possint ipsi, ad opus sui, pro illo precio quod inveriri posset et oblatum fuerit ab aliis, libere pre aliis retinere.

Que omnia et singula supradicta nos predictus episcopus, per nos et nostros successores, concedimus, donamus, tradimus et laudamus predicti castri habitatoribus, presentibus et futuris ; promittentes quod ipsa vel ipsorum aliquid non immutabimus, nec eciam infringemus, [nec] mutari nec infringi faciemus ; sed, sicut premissum est, integre observabimus, et a nostris successoribus imposterum irrevocabiliter volumus observari.

Acta fuerunt [hec] apud dictum castrum, in pleno parlamento, anno Dominice Incarnacionis millesimo CC^{mo} XL° nono, nonas decembris, in presencia et testimonio magistri Florencii, magistri Johannis de Baronia jurisperiti, Bertrandi de Lugnano, et plurium aliorum, et mei Johannis Brunenc, publici dicti domini episcopi in sua diocesi et comitatu Melgorii et Montisferrandi notarii, qui mandatus hec scripsi et signo meo signavi.

(Reg. E, fol. 345 v° ; édité par Germain dans *Villeneuve-les-Maguelone*, p. 50).

DLXXII. — 12 decembre 1249

Innocent IV accorde à l'évêque de Maguelone de ne pas payer les décimes au roi de France.

(Reg. F, fol. 169 v° et 173 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Eglise de Maguelone*, t. II, p. 284.

DLXXIII. — 31 janvier 1249 (n. s. 1250)

Ermessens et Guillemette, filles de Pons Poma, de Gigean, vendent à l'évêque sept sols melgoires de cens, moins un denier.

Anno Incarnacionis Domini M° ducentesimo XL nono, videlicet pridie kalendas februarii, ego Ermecens, uxor Bernardi Chatgerii, et ego Guillelma, uxor Johannis Pelliparii, nos due, filie quondam domini Poncii Poma de Gijano, voluntate dictorum virorum nostrorum, quod ego Bernardus Cathgerii, maritus dicte Ermecens, et ego Johannes Pelliparii, maritus dicte Guillelme, verum esse cognoscimus.... vendimus... domino Magalonensi episcopo et successoribus suis, et vobis domino B. de Solano sacerdoti, bajulo de Gijano, pro dicto domino episcopo stipulanti, et omnibus successoribus vestris ad omnes voluntates vestras... scilicet septem solidos melgorienses, minus uno denario, censuales, quos habemus in honoribus infrascriptis, et dominium et consilium, et laudimium dictorum septem solidorum melgoriensium, minus uno denario, et dictorum infrascriptorum honorum : que omnia scilicet dictos septem solidos melgorienses, minus uno denario, et dominium, et consilium, et laudimium nobis pervenerunt, ultra dotes nostras, ex successione seu hereditate nostra, de bonis que quondam fuerunt dicti domini Poncii Poma, patris quondam nostri.

Dicti honores, pro quibus dicta usatica dantur et dari debentur, sunt in terminio castri de Gijano.

De quibus tenebat Martinus Alasardi quondam unam peciam terre, in loco qui dicitur Cannetus; et confrontatur ex una parte cum vinea quondam Grallone, et ex alia cum honore Michaelis de Palla, et ex alia cum terris Petri de Puteo et Petri Sigaut, via in medio; et dat inde pro usatico annuatim XVIII denarios.

Item Michael de Palla habet et tenet aliam peciam terre in eodem terminio: et confrontatur ex una parte cum honore quondam Martini Alasardi, et ex alia est terra quondam Petri Bertrandi, et ex alia est terra Bernardi de Manso; et dat annuatim pro usatico XII denarios.

Item Petrus Lorubonis unam domum, que confrontatur ex una parte cum domo quondam Bernardi de Solio, et ex alia cum domo Michaelis de Palla; et dat annuatim pro usatico XII denarios.

Item Berengarius de Lavanaco tenet aliam peciam terre ad pratum; et confrontatur ex una parte cum terra Guinardis, et ex alia cum terra Petri Genesii; et dat inde annuatim pro usatico VI denarios.

Item Petrus Garini tenet aliam peciam terre, que confrontatur ex una parte cum terra Raimundi Johannis, et ex alia cum flumine Avene; et dat inde annuatim pro usatico II denarios.

Item Petrus de Puteo tenet duas pecias terre; quarum una est in terminio de Valle Vasimeira (1), et confrontatur ex una parte cum terra Ermecendis Poma, et ex alia cum rivo de Valle Vasimeira, et ex alia cum via publica Sancti Jacobi; alia pecia est in loco qui dicitur Cannetus, et confrontatur ex una parte cum terra quondam Martini Alasardi via publica in medio, et ex alia cum terra Michaelis de Palla, et ex alia cum terris Petri Sigaut et Petri Rainulfi; et dat de illis pro usatico annuatim VII denarios.

Item Guillelma de Puteo habet et tenet aliam peciam terre, in loco qui dicitur Pali; et confrontatur ex una parte cum terra Ugonis de Noguerio, et ex alia cum terra Petri de Leva-

(1) Cart.: *Vasimesta*.

naco, et ex alia cum terra Bonasie : et dat idem annuatim pro usatico I denarium.

Item Petrus Sigaut habet et tenet aliam peciam terre ad Sanctum Remedium, que confrontatur ex una parte cum terra Petri de Puteo, et ex alia cum via qua itur de camino Sancti Jacobi in *isus deurtous*, et ex alia est via Sancti Jacobi ; et dat michi annuatim pro usatico VI denarios.

Item Ermencens Sausa tenet aliam peciam terre ad Canetum, et confrontatur ex una parte cum terra Raymunde Vitalie, et ex alia est terra quondam Bernardi de Comba ; et dat michi annuatim pro usatico IIII denarios.

Item Deodatus de Broseto tenet unum ortum ad pratum ; et confrontatur ex una parte cum prato, et ex alia est terra quondam Bernardi de Marcellano, et ex aliis duabus partibus est terra Guillelmi Bertrandi ; et dat inde annuatim pro usatico VI denarios.

Item Petrus Sigaut tenet alias duas pecias terre ; quarum una est ad Burgadam Veterem, et confrontatur ex una parte cum terra Raymundi Gui, et ex alia est via publica qua itur versus Villamnovam, et ex alia cum camino veteri ; alia confrontatur ex una parte cum terris quondam G. Vitalis et Poncii Benedicti, et Deodati de Broseto, et ex alia est terra Michaelis de Palla, et ex alia est terra Poncii Bertrandi, et ex alia cum via publica qua itur versus Villamnovam ; et dat ex illis annuatim pro usatico VI denarios.

Item Poncius Bertrandi tenet unam peciam terre, que confrontatur ex una parte cum terra Guillelmi Bertrandi, et ex alia est via qua itur ad Villamnovam ; et dat inde annuatim pro usatico duos denarios.

Item Poncius Ros tenet unum ortum ad Burgadam ; et confrontatur ex una parte cum camino veteri, et ex alia est terra Petri Genesii de Costa ; et dat michi annuatim pro usatico unum denarium.

Omnia et singula suprascripta, et rationes reales et personales, mixtas, utiles et directas, et prosecuciones que et quas habemus, vel habere debemus.... in supradictis usaticis, dominiis, consiliis, et laudimiis, dicto domino episcopo Maga-

lonensi, et successoribus suis, et vobis, dicto domino B. de Solano, bajulo de Gijano, recipienti et stipulanti pro ipso domino episcopo, cujus negocium geritur utiliter in hac parte, tradimus et concedimus nunc et imperpetuum; et nos et nostros inde disvestiendo, vos et vestros investimus; cedentes vobis et successoribus vestris totum jus proprietatis et possessionis, et quodlibet aliud jus nobis vel nostris competens et deinceps competiturum, et vestros dominos et certos, ac speciales procuratores, ut in rem vestram propriam, vos facimus et constituimus, sicud melius et utilius ad vestrum vestrorumque commodum dici et scribi poterit, vel ab aliquo sapiente dictari vel eciam cogitari potest, nulla possessione, vel proprietate, nec aliqua alia re penes nos remanente. Et volumus et precipimus quod dicta usatica, consilia, dominia et laudimia, auctoritate vestra propria, sine nostri licentia, sciencia, et concessione, et curie et judicii, et alterius cujuslibet persone, corporaliter apprehendatis; et ut rem vestram propriam perpetuo habeatis, et in proprias voluntates vestras perpetuo faciatis.

Pro hac quippe vendicione..., et pro composicione facta de quadam pecia terre, de qua quondam scambia facta fuerant, cognoscimus nos habuisse sex libras et quinque solidos melgorienses, in quibus excepcioni non numerate peccunie et non habiti precii renunciamus; quicquid vero dicta vendicio plus valet aut unquam valebit precio antedicto, hanc medietatem justi precii, aut ultra quamcumque excesserit, illam magis valenciam dicto domino episcopo et successoribus suis damus, et solvimus nunc et imperpetuum. Et ita omnia supradicta eidem domino episcopo faciemus habere et tenere quiete, et ab omni contradicente jure semper deffendemus; et pro eviccione... obligamus predicto domino episcopo et successoribus suis nos et omnia bona nostra... renunciando, . beneficio velleiani consulti senatus consulti, et omni juri yppotecharum et omni alii juri, et rationi, et consuetudini quibus contra predicta vel aliquod predictorum, per nos vel alios, venire seu tueri nos possemus; et... contra non venire promictimus et juramus per hec sancta Dei evangelia, a nobis

gratis corporaliter tacta; sub quo sacramento per stipulacionem promictimus nil esse dictum... quominus predicta omnia et singula inviolabili gaudeant firmitate.

Testes sunt Johannes Berengarii sacerdos, Petrus Alaman diaconus, Johannes Lamberti, Bernardus Anjan, Raimundus de Noguerio, Raimundus Fabri, et Salvator, notarius publicus tocius episcopatus Magalonensis, qui, de mandato parcium, hec scripsit, et superius, in locis quibus continetur *jus*, superscripsit.

(Reg. D, fol. 36 r°).

DLXXIV. — 22 avril 1250

Innocent IV défend à l'évêque de Maguelone de comparaître devant les arbitres laïques que saint Louis a choisis pour prononcer entre lui et l'évêque, au sujet de certaines localités du comté de Melgueil.

(Reg. F, fol. 121 r°, et fol. 173 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 287.

DLXXV. — 26 avril 1250

Pierre de Conques, évêque de Maguelone, donne à acapte à maître Florence, son chancelier pour le comté de Melgueil, un emplacement pour construire une maison à Montpellier.

Noverint universi... quod nos Petrus de Conchis, divina miseracione Magalonensis episcopus,... titulo puri, perfecti atque irrevocabili[s] acapiti derelinquimus tibi, magistro Florencio clerico, et tuis et quibuscumque volueris seu dimiseris ad omnes voluntates tuas... exceptis... cum consilio tamen nostro et successorum nostrorum, videlicet quoddam locale cum quodam casali, in quo olim fuit domus, que nunc diruta est propter opressionem nivium; que sunt juxta viridarium nostrum, cum omnibus eorum pertinenciis et que eis pertinere

debent : et confrontantur cum dicto viridario, et ante cum via publica et cum puteo, et ex alia cum domo quondam Petri Garnerii notarii et ejus uxoris;

Et totum jus integre et usum putei supradicti, qui est, in parte seu in toto, infra dictum locum; quod jus et qui usus dicti putei nobis et nostris successoribus pertinent, seu pertinere debent aut possunt;

Scientes atque specialiter cognoscentes predicta tibi, a nobis in acapitum tradita et concessa, modicum, imo quod nichil utilitatis, afferre nobis seu nostris successoribus, eo quia unus puteus alius infra domum nostram de Montepessulano, in loco factus apciori, et domus ibidem constructa cum suis plateis et viridariis satis, ad nostrum et nostrorum successorum domicilium seu habitacionem ibidem contrahendam, suficere videatur;

Cedimus tibi... atque in te ac tuos transferimus omnes omnino acciones, peticiones, jura, demandamenta, possessionem, seu quasi possessionem, et proprietatem, que nobis seu nostris successoribus competunt, seu competere possunt vel debent, super predictis vel predictorum occasione, facientes et constituentes te verum dominum et procuratorem in rem tuam, salvo tamen duntaxat et expressim retento super predictis, tibi a nobis datis in acapitum, directo dominio, consilio et laudimio nobis et successoribus nostris.

Nomine autem acapiti supradicti, perpetuo et irrevocabiliter revocaturi, nos predictus episcopus scimus... nos habuisse atque in numerata pecunia integre recepisse a te, dicto magistro Florencio, triginta libras melgorienses in pecunia numerata, quod exinde penes te nichil remansit in debitum vel ad solvendum; in quibus... renunciamus excepcioni non numerate pecunie et non habiti acapiti. Si vero predicta a nobis tibi tradita in acapitum,... predicto precio amplius valent, quod in veritate, cum, jam adhibita sollempni diligencia, non posset ab alio amplius inveniri, non credimus, vel eciam ex melioracione qualibet valebunt imposterum, totam illam majorem valenciam, licet dimidiam justi precii excederet, tibi dicto magistro Florencio, cui, si diligenter serviciorum altitu-

dinem, que fecisti nostris predecessoribus, et Magalonensi Ecclesie, et cotidie nobis et eidem Ecclesie atque comitatui Melgorii et Montisferrandi, quorum existis cancellarius, coňaris facere cum diligencia, pensaremus, ad multo majora tenemur et eciam teneamur, donacione inter vivos tibi, saltem in remuneracionem tui servicii, tradimus, concedimus perpetuo, et irrevocabiliter donamus; profitentes et cognoscentes dictam pecuniam esse versam in utilitatem nostram et episcopatus nostri, videlicet in quibusdam nostris et Ecclesie Magalonensis negociis magnis et inevitabilibus, in domini Innocentii pape quarti curia procurandis: et promictimus tibi, magistro Florencio sollempniter stipulanti, quod dicta omnia tibi, a nobis in acapitum tradita et concessa, faciemus te et tuos semper habere, tenere pacifice et quiete, et ab omni persona contradicente, impugnante, seu tibi sive tuis injuriante, vel violenciam inferente, super predictis vel aliquo predictorum, in jure et extra jus deffendemus; obligantes tibi et tuis pro evictione... omnia bona et jura episcopatus Magalonensis; super quibus donamus et concedimus tibi et tuis, pro dicta evictione, retornum specialiter et regressum. Promittimus eciam tibi dicto magistro... quod contra dicti acapiti dacionem... non veniemus nec aliqua persona ecclesiastica vel civilis... sed omnia et singula supradicta firma et inconcussa volumus perpetuo et irrevocabiliter permanere; promittentes... quod non diximus aliquid... quominus predicta omnia et singula imperpetuum firma et irrevocabili gaudeant firmitate; et inspecta diligenter et attenta exinde confluente utilitate, non solum nostra, ymo et nostre diocesis, et precipue partis nostre ville Montispessulani, tum quia eadem pars nostra, propter edificia que in dicto locali proponis et asseris te facturum, non modicum decoretur, tum quia quanto domui nostre, in eadem parte constructe, dignosceris vicinior, tanto et nos et nostri successores in emergentibus negociis, de tue discrecionis circumspectione, poterimus facilius et sepius communiri: renunciamus specialiter... beneficio restitucionis in integrum.... et generaliter omni juri,... quibus... predicta vel de predictis aliquid infirmare vel eciam irritare.

Dabitis autem annuatim nobis et successoribus nostris, in festo sancti Petri de augusto, pro predictis, duos solidos melgorienses pro usatico.

Acta sunt hec anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quinquagesimo, sexto kalendas maii, in presencia et testimonio Johannis Brunenchi, prioris de Cornone sico, Guillelmi Desiderii canonici, Salvatoris clerici, Bernardi Rasoris sacerdotis, et aliorum, et mei Petri de Pamiis, publici Montispessulani notarii, qui, mandato parcium, hec omnia scripsi.

(Reg. E, fol. 144 v°).

DLXXVI. — 9 octobre 1250

Vente d'une terre sous la directe de Sainte-Croix de Melgueil.

Anno Dominice Incarnationis M° ducentesimo quinquagesimo, scilicet VII idus octobris, ego Petrus Blanchardi faber, et ego Maria, uxor ejus, nos ambo insimul... vendimus... tibi Stephano Blancherio fusterio, et tuis, et quibus volueris, ad omnes tuas et tuorum voluntates... exceptis... salvo tamen dominio, et consilio, et usatico unius eimine ordei et unius oboli melgoriensis annuatim, in festo sancti Petri augusti, dandorum ecclesie Sancte Crucis (1) de Melgorio et priori ejusdem, videlicet totam unam peciam terre, que est in decimaria Sancte Marie de Melgorio ; et confrontatur a circio cum via qua itur de Melgorio versus Montempessulanum, ab aquilone cum terra Bernardi Raserii, a vento cum terra Stephani de *Rabastenzs*, a corina cum terra uxoris Bernardi de Rocafurcata.

Pro hac autem venditione... recepimus a te, nomine precii, sex libras Melgorii quarum penes te nichil (2) remansit in debito, et in hiis renunciamus exceptioni pecunie non numerate, et precii non soluti. Et si plus dicto precio valet hec res

---

(1) Cart.: *Crusis*.

(2) Cart.: *michi*.

vendita, vel in futurum valebit duplum, triplum vel amplius, illud totum... tibi et tuis donamus, et in te et tuos prorsus transferimus : et de omni jure, quod de dicta terra habemus vel habere debemus, nos et nostros disvestimus, et te ac tuos investimus ; et in corporalem possessionem predicte terre, tua propria auctoritate, te ingredi volumus et mandamus ; et tibi stipulanti promitimus, quod contra hanc venditionem... nunquam veniemus : imo te et tuos habere et tenere quiete faciemus, et ab omni contradictione semper jure te defendemus. Et si quid in aliquando fuit evictum, totum jure tibi restituemus, et te et tuos indempnes inde conservabimus ; nil a nobis dictum... quominus hec omnia firma sint ; et renunciantes omni juri (1)... et omnibus auxiliis et beneficiis, quibus contra hec aut horum quid, nunc vel in posterum, venire seu nos juvare possemus. Hec omnia supradicta et singula per hec sancta evangelia, corporaliter a nobis tacta, firmiter imperpetuum observabimus.

Testes sunt Guillelmus de Rocafurcata, Damianus Johannes, et ego Johannes Mercaderii, notarius Melgorii, qui, mandato parcium, hec scripsi.

(Reg. C, fol. 141 v°).

DLXXVII. — 14 octobre 1250

Vente d'une maison, sise à Villeneuve, sous la directe de l'évêque.

Anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quinquagesimo, pridie idus octobris, ego Petronilla, uxor quondam Guillelmi de Lundris de Villanova, per me et per omnes infantes meos, quod michi et eisdem est utile et necesse, et ex pro solvendis debitis Judeis, quibus ego et dicti filii mei sumus multum obligati et constituti sub usuris gravissimis : que debita solvi non possunt sine vendicione hujus rei infrascripte... vendo... tibi Guillelmo Piqueti et Ermenssendi, tue uxori, vestris et quibus volueris, ad omnes voluntates tuas...

(1) Cart.: *renunciantes cum jugri.*

exceptis... cum consilio et laudimio domini episcopi Magalonensis et ejus successorum, totam scilicet unam domum, ad potestatem meam pertinentem, cum omnibus suis pertinenciis et juribus, que est infra castrum Villenove.

Et confrontatur a vento et ab aquilone cum castro domini episcopi supradicti ex una parte, et ex alia cum carreria publica, qua itur apud mercatum et apud *comomed,* et ex alia cum domo Raimunde de Montigniaco.

Pro precio autem hujus domus predicte, dedisti michi triginta solidos melgorienses, nomine precii, in quibus renuncio excepcioni non habite peccunie et precii non soluti, et non solute et non tradite in solutum dictis Judeis; et quod amplius valet hoc precio ipsa domus vendita, illud totum, quantumcumque sit, de mera liberalitate et pura inter vivos donacione tibi dicto G. Piqueti, et dicte uxori tue, et vestris... dono...; et ipsius domus predicte et omnium ad eam pertinencium, te et predictam uxorem tuam et vestros verum dominum justum [et] possessorem facio et constituo, ut in rem tuam; me et meos inde disvestiendo, te et tuos investio, de toto jure et actione quod ibi habeo et habere debeo ullomodo.

Et dabitis vos et vestri domino episcopo Magalonensi et suis successoribus, annuatim, pro usatico, unam eiminam ordei tantum in festo sancti Petri de augusto; et promitto firmiter vobis stipulantibus et vestris, quod ego et mei faciemus vos et vestros ipsam domum predictam, cum suis pertinenciis... semper possidere, et ab omni contradicente semper in jure defendam vos inde et vestros; et pro toto hoc et pro eviccione... me et omnia bona mea presencia et futura, et meorum infantum presencium et futurorum, vobis et vestris obligo; promittens vobis et per hec sancta Dei euvangelia, manu corporaliter tacta, vobis jurans quod hec omnia predicta tenebo...; renuncians inde legi Julie de fundo dotali, privilegio dotali, et velleiano, et juri ypothecarum, et omnibus auxiliis quibus contravenire possem ullo modo.

Testes sunt Ber. de Valle, G. de Castronovo, G. Alacer et Petrus R., notarius dicti castri Villenove, qui, mandato parcium, hec scripsit.

Post hec in eodem anno quo supra, XV kalendas novembris, dominus de Conchis, Magalonensis episcopus, ad preces Poncii de Lunello (1), sacriste Magalonensis, dictam domum superius confrontatam Ermessendi, uxori quondam Guillelmi Piqueti, et liberis suis laudavit et perpetuo confirmavit ; et habuit ab ipsa Ermessenda inde sex solidos melgorienses.

Testes sunt Johannes Blanchi prior Sancti Georgii, G. Bedocii bajulus Villenove, dominus P. sacrista predictus, Petrus R. notarius antedictus, qui, mandatus ut supra a partibus, hec scripsit.

(Reg. F, fol. 317 r°).

DLXXVIII. — 10 novembre 1250

Sentence arbitrale entre Pierre de Conques et la prieure du Vignogoul.

In nomine Domini Nostri Jesu Christi. Amen. Noverint universi... quod dominus P[etrus] de Conchis, Dei gratia Magalonensis episcopus, comes et dominus Melgorii et Montisferrandi, pro se suisque successoribus ex una parte ; et domina Elizabet, priorissa monasterii Beate Marie de Bono loco, quo[d] alio nomine de Vinovolo nuncupatur, pro se suoque conventu et futuris priorissis ejusdem monasterii ex altera ; compromiserunt se in dominum Bernardum de Muro veteri, prepositum Magalonensem, et Guillelmum Lamberti, et Guidonem de Capite Porci jurisperitum, super omnibus et singulis peticionibus, questionibus et demandamentis, quas et que dictus dominus P[etrus], Magalonensis episcopus, faciebat, seu facere poterat, in toto vineto seu tenemento de Serra, quod est in parrochia Sancte Marie de Veiruna ; et confrontatur a circio cum camino *monnares*, a corina cum riperia de Sadirone, a vento cum via qua itur de Scafiacco in Gardiolas (2), et ab aquilone cum via qua itur de villa Sancti Georgii ad

(1) Cart.: *Lunelli.*

(2) Cart.: *de Quarrefiacco in Gradiolas.*

Verumtamen: occasione alicujus commissi censi non prestiti, seu alienacionis facte predicti tenementi, sine concilio et voluntate ipsius domini episcopi et antecessorum suorum in Ecclesia supradicta, vel aliqua alia ratione vel causa, que dici vel excogitari possit usque in odiernum diem ;

Et eosdem arbitros, arbitratores, amicabiles compositores, seu communes amicos concorditer elegerunt, promitentes invicem dicte partes, sub pena L librarum melgoriensium, vicissim stipulata sollempniter et promissa, danda et solvenda a parte non obediente parti obedienti, quod quicquid predicti arbitri, arbitratores, amicabiles compositores seu communes amici, vel duo ex ipsis, per se vel per alium vel alios, concorditer dicent, statuent, recitabunt seu pronunciabunt, dici, statui, ordinari, recitari seu pronunciari facient super predictis, jure, amore, proprio arbitrio aut propria voluntate, vel simul vel separatim, in uno tempore vel diverso, in scriptis vel sine scriptis, diebus feriatis vel non feriatis, servato juris ordine vel penitus pretermisso, custodient, tenebunt imperpetuum, et inviolabiliter observabunt, et contra nunquam venient aliquo jure, ratione, modo vel causa, que dici vel excogitari possit, per se vel alios, arte sua, consilio, ingenio vel assensu. Que pena tociens commitatur, quociens ventum fuerit contra dictum, statutum, recitatum, ordinatum, seu pronunciatum per predictos arbitros vel per aliquem, aut aliquos vice ipsorum, ratis et firmis nichilominus duraturis hiis omnibus et singulis qué, per ipsos arbitros seu per alium seu alios vice ipsorum, dicta fuerint, statuta, ordinata, seu pronunciata, licet semel vel pluries dicta pena exacta fuerit et soluta a parte non obediente parti obedienti.

Et hec omnia attendere et servare, sicud superius dictum est, per fides plevitas et requisitas ad invicem promiserunt, renunciantes dicte partes cerciorate expresse beneficio restitutionis in integrum et auctentico Decrevimus, quod inhibet ne compromissum fiat cum religione juramenti, et legi que inhibet ne compromissum fiat in judicem ejus rei de qua judex est, et omni juri...., et privilegio quo vel quibus contra venire possent vel in aliquo se thueri.

Insuper promisit dicta priorissa(1) predicto domino episcopo stipulanti, sub pena predicta, quod ipsa faciet et procurabit infra quindecim dies, postquam monita fuerit per dictum dominum episcopum quod dictum compromissum et quecumque dicta, statuta, recitata, ordinata, seu pronunciata fuerint per dictos arbitros, arbitratores, amicabiles compositores vel communes amicos, vel per alios vice ipsorum, sicud in compromisso continetur, approbentur, ratificentur cum instrumento publico a conventu et a singulis de conventu monasterii de Vinovolo supradicti.

Acta fuerunt hec apud Montempessulanum, in aula dicti domini episcopi, anno Dominice Incarnationis M° II° quinquagesimo, scilicet quarto idus novembris, in presencia et testimonio Johannis Blanchi rectoris ecclesie Sancti Georgii, Petri Rotberti clerici, Bernardi Petri, Bernardi Lobeti, et mei Johannis Brunenc, publici dicti domini episcopi in sua dyocesi et comitatu Melgorii et Montisferrandi notarii, qui, mandatus a partibus, hec scripsi.

Post hec vero anno et die predictis, auditis et intellectis et cum diligencia discussis rationibus dictarum parcium, habitoque cum ipsis concilio et tractatu, predicti arbitri... amicabili compositione predictas questiones, petitiones et demandamenta finierunt et terminaverunt in hunc modum :

Videlicet quod dictum vinetum seu tenementum, sicud superius est terminatum, cum omnibus suis pertinentiis, omnia et singula, que infra dictos confines continentur, sive sint culta vel inculta, nemora vel pascua, et ejusdem vineti seu tenementi et omnium predictorum dominationem, laudimia, concilia, usatica, census et servicia, explecta et banna, justicias, firmancias, satisdationes et omnia alia corporalia vel incorporalia, scita vel non scita, tacita vel expressa, sint pleniore jure dicte priorisse et monasterii supradicti ; et quod dicta priorissa et dictum monasterium ac alie priorisse, que pro tempore erunt in dicto monasterio, habeant, teneant et

(1) Cart.: *promissa*.

possideant dictum vinetum seu tenementum, a dicto domino episcopo et successoribus suis, sub annuo censu sex denariorum melgoriensium, solvendo a dicta priorissa et successoribus ejusdem monasterii predicto domino episcopo et suis successoribus, annuatim, in festo sancti Michaelis, cum dicta priorissa vel alie, que pro tempore erunt, fuerunt requisite; ita quod si predicta priorissa seu alie, que pro tempore erunt, non requisite, cessaverint in solutione dicti census, predictum vinetum seu tenementum non possit incidere in commissum, licet dictum monasterium, retroactis temporibus, continue et pacifice dictum tenementum seu vinetum per quinquaginta et tres annos possederit sine cujuscumque interpellatione et sine omni annua prestatione : ita tamen quod dicta priorissa seu dictum monasterium non possint vendere, dare aut aliquo modo alienare dictum vinetum seu tenementum, sine concilio et laudimio dicti domini episcopi et successorum suorum; dare vero et concedere valeat in accapitum dicta priorissa cuicumque voluerit in ipso et de ipso vineto, et, in eis que concesserit in accapitum, certum usaticum ad manum suam retinere: venditiones eciam et contractus, que debent et solent laudari, que vel qui celebrabuntur seu fient de datis, concessis, dandis vel concedendis in accapitum, sive de hiis que sunt infra dictum vinetum, laudare atque laudimium recipere dicta priorissa valeat [absque] requisicione atque laudimio dicti domini episcopi et successorum suorum.

Item dixerunt et statuerunt dicti arbitri, quod, in presenti, statim dicta priorissa recognoscat se tenere dictum vinetum a dicto domino episcopo, sub dicto censu dando et solvendo, cum fuerit requisita, annuatim, in festo sancti Michaelis, dicto domino episcopo et successoribus suis, sicud superius dictum est;

Et ita voluerunt dicti arbitri, et dixerunt quod bonus finis, et pax, et concordia permaneat inter ipsas partes.

Que omnia et singula supradicta dictus dominus episcopus et dicta priorissa per se et suos laudaverunt, approbaverunt et ratificaverunt; et profitentes predicta ad utilitatem suam et suorum Ecclesie et monasterii esse amicabiliter terminata, se

ad invicem absolverunt, promictentes quod nunquam contra venient, nec veniri facient seu permictent; sed prefatus dominus episcopus faciet dictum monasterium omnia supradicta et singula quiete et pacifice possidere, et ab omni contradicente seu contraveniente jure deffendet; et ut predicta omnia et singula firmitatem sortiri valeant ampliorem, voluit et precepit dictus dominus episcopus presentem cartam bulla sua plumbea communiri.

Acta fuerunt hec, anno, die et loco predictis in presencia et testimonio prescriptorum, et mei Johannis Brunnenc, predicti publici dicti domini episcopi in sua dyocesi et comitatu Melgorii et Montisferrandi notarii, qui mandatus hec scripsi.

Post hec autem, anno quo supra, scilicet quintodecimo kalendas januarii, memorata priorissa, presente, volente eciam et mandante, totus predicti monasterii conventus, videlicet Jarzions priorissa, Berengaria de Piniano, Guillelma Merceria, Gurra de Graniaco, Johanna de Vencallon, Doucelina Helias, Alazaicia de Pezena, Alazaicia Gandabriga, Maria Boqueta, Marqueza de Latis, Rostagna de Montearbedone, Beatrix de Rosson, Aiglina de Caucio, Alburgis de Vallauquesio, Maria de Linhano, Johanna Gamella, Beatrix Boccadossa, Doucelina Boccadossa, Maria Albranda, Litburgis de Veiruna, Doucelina de Baudaco, G. de Rocaforcada, Ermessendis de Sancto Marciali, Astruga de Roais, ipsaque priorissa, per se et alias presentes et futuras priorissas et moniales ipsius monasterii, certificate de omnibus et singulis supradictis, scientes et recognoscentes predicta esse facta et redundare in utilitatem suam et ipsius monasterii, laudaverunt, approbaverunt et ratificaverunt predicta omnia et singula suprascripta, que sigillatim et seriatim, de verbo ad verbum, lecta et explanata vulgariter in apertum eisdem et coram eis antea extiterunt, rursus eciam laudantes et approbantes recognicionem predicti vineti seu tenementi, statim post (*blanc de 1 cent.*) nacionem seu recitationem predictorum, factam ab ipsa priorissa, sub annuo censu predicto dando et solvendo, cum fuerit requisita,

annuatim in festo sancti Michaelis, dicto domino episcopo et successoribus suis, sicud superius est expressum.

Et ipsa priorissa iterato et predictus conventus pariter fecerunt eandem recognicionem dicti vineti seu tenementi prescripto Johanni Blanchi, rectori ecclesie Sancti Georgii, presenti, stipulanti et recipienti pro dicto domino episcopo et nomine ipsius; promictentes omnes et singule quod contra predicta vel de predictis non venient, nec veniri facient, vel permictent; sed ea omnia et singula volunt firma et inconcussa imperpetuum et irrevocabiliter permanere.

Acta fuerunt hec apud dictum monasterium, in presencia et testimonio fratris Guillelmi de Sauzeto subprioris Vallis magne, fratris Petri de Roveria presbiteri, fratris Deodati Boquerii, Bertrandi de Boisseto dyaconi, Petri Rotberti clerici, et mei predicti Johannis Brunenc, publici dicti domini episcopi in sua dyocesi et comitatu Melgorii et Montisferrandi notarii, qui mandatus hec scripsi et signo meo signavi.

(Reg. F, fol. 34 r°, et reg. D, fol. 341 v°).

DLXXIX. — 15 janvier 1250 (n. s. 1251)

Échange entre Pierre de Conques, évêque de Maguelone, et les procureurs de Raimond de la Roche, vestiaire de Maguelone.

Notum sit cunctis... quod super albergis et de albergis militum, quas Poncius de Vallauquesio, pro feudo de Grabellis, quod ipse Poncius tenet ibidem de vestiario Magalonensi, faciebat annuatim, et facere tenebatur aliquo modo eidem vestiario; et super illa quantitate pecunie, seu parte ipsius, sive super vestiario, vel quadam parte vestiarii, quam vel quod dominus episcopus Magalonensis habet et recepit pro suo vestiario, habere et recipere consuevit, a vestiario Magalonensi, dominus Petrus de Conchis, Dei gratia Magalonensis episcopus, pro se suisque successoribus, ex una parte; et dominus Guillelmus Christofori, archidiaconus Magalonensis,

prior Sancti Firmini, et Johannes Blanc, rector ecclesie Sancti Georgii, procuratores Raymundi de Ruppe, vestiarii Magalonensis, Parisius nunc studentis, pro ipso vestiario et ejus nomine, ex altera ; pensata evidenti utilitate, fecerunt hinc et inde permutacionem, cessionem, excambium, seu convenienciam mutuam, in hunc modum :

Nos Petrus, divina miseracione Magalonensis episcopus supradictus,... titulo permutacionis seu excambii, perpetuo derelinquimus vobis, Guillelmo Christofori, archidiacono Magalonensi, et Johanni Blanc predictis, stipulantibus et recipientibus pro dicto vestiario, et nomine ipsius, ac per vos eidem vestiario et successoribus suis, scilicet viginti solidos melgorienses de nostro vestiario, seu de hiis que per vestiarium, seu ratione vestiarii, percipiebamus annuatim, vel percipere debebamus ; necnon etiam et quicquid, ipsius occasione vestiarii, quantum ad dictos viginti solidos, nobis, vel nostris successoribus, pertinet, vel posset in antea pertinere ; quos viginti solidos extenuamus et penitus removemus de dicto vestiario, et remotos, solutos, quictos et deductos esse volumus et mandamus, reservatis nobis et successoribus nostris specialiter, et retentis aliis omnibus que preter dictos viginti solidos, et jus, pro eis pertinens nobis et nostris successoribus, pro nostro vestiario exhibentur, vel debet aut consuevit hactenus exhiberi : ita quod ipsum vestiarium solitum non nisi in XX solidis minuatur.

Propter hoc autem nos predictus episcopus habuimus, et ex causa et titulo permutacionis, vel excambii, a vobis, archidiacono et Johanne Blanc predictis, pro dicto vestiario, et nomine ipsius, habita utrinque ac adhibita deliberacione ac compensacione diligenti, predictas albergas militum, quas dictus Poncius faciebat, pro dicto feudo, predicto vestiario, et facere tenebatur, salvis tamen predicto vestiario, et a vobis, ad opus ejus, specialiter retentis, alio jure et dominio, quod ibi habet et habere debet, et duodecim denariis melgoriensibus pro usatico, dandis et reddendis, in festo sancti Michaelis, a dicto Poncio eidem vestiario et suis successoribus annuatim,

cum ipse Poncius fuerit requisitus. Pro annis vero, in quibus non fuerit requisitus, solvere non teneatur, nec propter cessacionem, sive requisicionem, feudum ipsum cadere valeat in commissum.

Ideoque nos archidiaconus et rector predicti, pro nobis et dicto Raimundo vestiario, et successoribus suis.... titulo permutacionis, seu escambii derelinquimus vobis domino Petro, episcopo supradicto, et successoribus vestris, et quibus volueritis, ad omnes voluntates vestras et vestrorum plenarie faciendas, predictas albergas, petendas a dicto Poncio et suis, qui dictum feudum tenuerint, percipiendas etiam in perpetuum et habendas, et quicquid, albergarum intuitu, a dicto Poncio peti posset, salvis tamen, retentis et reservatis nobis, pro dicto vestiario, et ipsi et successoribus suis, dominio et omni alio jure, quod in dicto feudo, propter dictas albergas, vestiarius predictus et ejus predecessores habuerunt, et habere debuerunt, seu visi sunt habere; et salvis etiam, ut supradictum est, duodecim denariis melgoriensibus, dandis pro usatico, et solvendis dicto vestiario et successoribus suis, pro dicto feudo, in dicto festo annuatim, a memorato Poncio et suis successoribus, tenentibus dictum feudum.

Quarum siquidem albergarum prestacionem, requisicionem et percepcionem, et jus requirendi et percipiendi, in vos et vestros successores transferentes et transportantes, vos in hiis et super hiis verum dominum et procuratorem in rem vestram facimus et constituimus, liberantes totaliter et solventes dictum Poncium et suos, ipsumque feudum, ab obligacione, subjectione et servitute, in quibus nobis et dicto vestiario, et suis successoribus, ratione dictarum albergarum, dictus Poncius aliquatenus tenebatur, ipsumque vobis obligamus, et obligatum esse volumus in predictis albergis, salvis tamen, sicut premissum est, jure, dominio et usatico supradictis.

Nomine autem hujus cessionis, permutationis et excambii, nos archidiaconus et rector predicti, pro dicto vestiario, et nomine ipsius, cognoscimus vobis, domino episcopo memo-

rato, quod vos donastis, cessistis, permutastis, seu remisistis nobis et dicto vestiario, suisque successoribus, viginti solidos melgorienses de vestro vestiario, seu de hiis que, ipsius ratione vestiarii, hactenus percepistis, et antecessores vestri consueverunt percipere et habere, sicut superius est expressum.

Ad hec autem nos predictus episcopus, ex una parte, et nos archidiaconus et rector predicti, pro dicto vestiario, et nomine ipsius, ex altera, cognoscentes pariter et scientes omnia et singula suprascripta in nostrum commodum mutuum redundare, ac ipsius contemplacione contractus, multum jus et dominium augeri, promittimus et convenimus invicèm, sollempni stipulacione interposita, quod contra predicta vel aliquod predictorum per nos vel alium non veniemus ; nec diximus... aliquid propter quod predicta in solidum vel in parte munus obtineant firmitatis... renunciantes... beneficio restitucionis in integrum et omnibus privilegiis... quibus possemus nos juvare... scientes dictam permutationem cum multa deliberacione et equo libramine esse factam, nec ex hoc aliquam partium esse lesam

Acta fuerunt hec, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo, octavodecimo kalendas februarii, in presencia et testimonio Michaelis de Moresio, magistri Raimundi de Claromonte, Bernardi de Viridario, Guillelmi de Royre, canonicorum Magalonensium, Petri et Berengarii de Fabricis, Bernardi de Marginibus, et plurium aliorum, et mei Johannis Brunenc, dicti domini episcopi in sua diocesi et comitatu Melgorii et Montisferrandi publici notarii, qui mandatus hec scripsi.

Post hec vero anno quo supra, scilicet kalendis marcii, dominus Bernardus de Muroveteri prepositus, et conventus Magalonensis, ibidem in capitulo congregati, laudaverunt, et rata ac firma habuerunt omnia et singula supradicta, ita quod, si, cum requisicione a solucione dicti usatici cessaretur, feudum pro quo et cui solvitur, cadere debeat in commissum.

Hujus rei sunt testes Petrus de Fabricis, Berengarius de Sobeiracio, Berengarius de Fabricis, Armandus de Vallauquesio, Petrus Gaucelmi de Follaquerio, Bertrandus de Arsassio, Raimundus de Cavomonte, et Johannes Brunenc, dicti domini episcopi in sua diocesi et comitatu Melgorii et Montisferrandi publicus notarius, qui mandatus hec scripsit, et signo suo signavit.

(Reg. E, fol. 41 v°; édité par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 267).

DLXXX. — 21 février 1250 (n. s. 1251)

Compromis entre Jacques, roi d'Aragon, et Pierre de Conques.

Sit omnibus manifestum quod dominus Jacobus, Dei gratia rex Aragonum, Majoricarum et Valencie, comes Barchinone et Urgelli, ac dominus Montispessulani ex una parte; et venerabilis pater P[etrus], Dei gratia Magalonensis episcopus, comes et dominus Melgorii et Montisferrandi ex altera, unanimiter ac pari consensu compromiserunt in venerabilem patrem dominum G., Dei gratia Narbonensem archiepiscopum, et in nobilem virum dominum Poncium Hugonis comitem Empuriarum, et in nobilem virum dominum Aynerium de Rupe Ayneria; et ipsos arbitros, seu arbitratores, vel amicabiles compositores communiter elegerunt super omnibus et singulis peticionibus, demandamentis et questionibus, motis jam et movendis inter dictas partes, et que moveri possent, aliquo jure, vel ratione, vel aliquacumque causa, inter easdem partes usque in hunc diem presentem;

Dantes et concedentes invicem dicte partes predictis arbitris, seu arbitratoribus, ab ipsis partibus communiter electis, quod ipsi arbitri de predictis omnibus et singulis peticionibus, questionibus et demandamentis possint cognoscere simul omnes ipsi arbitri; aut si unus eorum interresse non posset, vel nollet, ab aliis commonitus vel vocatus, duo ipsorum possint

cognoscere et in cognicione procedere, usque ad determinacionem finalem dicti negocii; in terminacione dicti negocii omnes tres intersint et interesse debeant;

Promittentes dicte partes, quod quicquid dicti tres arbitri concorditer simul de predictis questionibus dixerint, vel ordinaverint, jure vel amore, vel composicione, ratum et firmum habebunt imperpetuum et observabunt;

Eo acto, quod, si alter dictorum trium arbitrorum in pronunciacione dissentiret, duorum pronunciacio non valeret.

Promiserunt eciam reddere pignora, et venire ad diem et dies, et loca per se vel per procuratores, ab ipsis tribus arbitris, vel a duobus ab ipsis, secundum formam predictam, assignandas et assignanda.

Et hec omnia promiserunt sub pena quinquaginta marcharum argenti, invicem stipulata et promissa, committenda a parte que ultime seu finali terminacioni tocius negocii non pareret. Quod si committentur ab aliqua parcium, solvetur parti parenti et obedienti a parte inobediente, deffinicionis ultime rato manente arbitrio, et omnibus et singulis tunc recitatis in sua firmitate remanentibus.

Et si forte, aliqua die vel aliquibus diebus, assignanda vel assignandis a dictis arbitris, aliqua parcium non compareret, quod illa pars que non compareret, solveret alteri parti comparenti decem marchas argenti, nomine pene seu expensarum, nisi haberet juxtam excusacionem, et sic pro singulis diebus.

Actum eciam fuit quod presens compromissum debet durare a proximo venientibus kalendis marcii in unum annum tantum; ita tamen quod dicte tres partes concorditer possint dictum tempus et terminum compromissi, ultra dictum terminum, pro voluntate sua prolongare, partibus presentibus et absentibus.

Actum eciam fuit inter dictas partes, quod quelibet pars habeat et habere debet suum arbitrum suis propriis expensis; sed tercius arbiter intererit communibus expensis partium.

Omnia premissa promiserunt servare et adimplere, et nullo jure vel ratione contravenire, obligando dominus rex se et omnia bona sua, et dominus episcopus se et omnia bona

episcopatus Magalonensis et comitatus Melgorii et Montisferrandi: et eciam promisit dominus episcopus, quod predicta omnia faciet laudari et confirmari a conventu et capitulo Magalonensi.

Et eciam recitata, renunciaverunt dicte partes appellacioni, contradictioni et emendacioni cujuslibet boni viri, et omni alii juri canonico et civili, generali et speciali, quibus quelibet pars posset se contra predicta deffendere vel tueri.

Et nos Bernardus de Muroveteri, Magalonensis prepositus, et nos Michael de Moresio, Johannes Atbrandi, archidiaconi Magalonenses, Poncius de Lunello sacrista, Raimundus de Claromonte canonicus et prior Sancti Andree de Novegens, Petrus de Liurano prior de Fabricis, Willelmus de Roure prior de *Adau*, Willelmus Salvator prior Sancti Desiderii, Willelmus Bricci canonicorum Magalonencium, licencia, mandato et voluntate dicti prepositi, predicta omnia laudamus, approbamus et confirmamus, scientes et recognocentes omnia et singula supradicta voluntate et assensu nostro fore facta.

Acta sunt hec omnia et singula supradicta apud Montempessulanum, in camera domini regis que est juxta palacium, scilicet anno Dominice Incarnacionis M° CC° quinquagesimo, nono kalendas marcii, in presencia et testimonio Berengarii Guillelmi domini de Claromonte, Petri de Fabricis de Frontiniano, Willelmi de Pavo, Petri Bonifacii, Raimundi de Conchis et Raimundi de Conchis ejus filii, Marchi de Tornamira jurisperiti, Petri de Cumbis jurisperiti, Bertrandi *d'Agones* (1), Raimundi de Pavo et Guillelmi de Pavo juvenis militum, et plurium aliorum, et mei Johannis Virarelli, publici Montispessulani notarii, qui, mandato dictarum parcium, hec omnia scripsi.

Post hec anno eodem quo supra, scilicet III kalendas marcii, Guido Caput Porci jurisperitus, veniens apud Magalonam, reddidit domino P[etro], Dei gratia Magalonensi episcopo, et capitulo ejusdem loci, quasdam litteras apertas domini regis Aragonum, sigillo eciam suo sigillatas, quarum tenor talis est.

(1) Cart.: *Dahones*.

Ja[c]obus [I], Dei gratia rex Aragonum, Majoricarum et Valencie, comes Barchinone et Urgelli, et dominus Montispessulani, venerabilibus et dilectis episcopo et capitulo Magalonensi, salutem et dilectionem.

Rogamus vos, quatinus credatis, ex parte nostra, dilecto nostro Guidoni [de] Capite Porci super hiis que vobis duxerit proponenda.

Datum apud Montempessulanum, III kalendas marcii.

Quibus litteris redditis et perlectis, dictus Guido Capud Porci dixit dicto domino Magalonensi episcopo, quod ipse erat paratus recipere laudimium dicti capituli super compromisso, facto inter dictum dominum regem ex una parte, et ipsum dominum episcopum ex altera.

Qui dictus dominus episcopus respondit, quod libenter; et dixit dicto capitulo, quod laudaret dictum compromissum. Quod et fecit in hunc modum :

Nos, supradictum capitulum seu conventus Magalonensis, scilicet Guillelmus Christofori archidiaconus Magalonensis et prior ecclesie Sancti Firmini, Berengarius archipresbiter et prior Beate Marie de Lundris, Raimundus de Viridario prior de Gornerio, Willelmus Ebrardi prior de Castro novo, Hugo de Gabriaco operarius Magalonensis, Petrus Juliani prior de Bueja, Willelmus de Fabricis prior de Frontiniano, Willelmus de Montelauro prior de Ovorio, Villelmus de Tripolis prior de Centrairanicis, Petrus de Rocha Forcada, prior Montispessulaneti, Albertus de *Salve* prior de Cornone, Audebertus de Montanhaco helemosinarius, Poncius de Cabreria canonicus, Raimundus de Lanteseleriis, Jacobus de Orllaco, Willelmus de Alairanicis, Bernardus Morut, magister Petrus Burgensis, Willelmus de Nalbona, Poncius de Cabreria juvenis, Willelmus de Sancto Boneto, Poncius de Follacherio, Poncius de Alairaco, Bernardus Juliani, Willelmus Gauzimi, Poncius de Sancto Justo sacrista Sancti Firmini, Raimundus de Latis, Johannes de Centrairanicis, Raimundus Gauzi, Raimundus Alberti,

Bertrandus da Mesua, Berengarius de Mesua, Willelmus Arnaudi, Poncius de Casalibus, canonici Magalonenses, mandato, licencia et voluntate supradicti domini B. de Muroveteri, Magalonensis prepositi presentis, quod ego, dictus prepositus dicte Ecclesie, confiteor esse verum, supradictum compromissum laudamus, approbamus et confirmamus tibi, dicto Guidoni Capud Porci, pro domino rege Aragonum recipienti; cognoscentes ipsum compromisum, et omnia et singula supradicta, voluntate et assensu nostro fore facta.

Acta laudata sunt hec et singula, superius contenta a palagrafo citra incipiente *post hec*, suprafacta citra, apud Magalonam in capitulo, scilicet anno et die proximum dictis, in presentia et testimonio Willelmi Princer, Arnaudi Ebrardi, et mei dicti Johannis Virarelli notarii, qui, mandato et precibus dicti capituli et dicti Guidonis Capud Porci, hec omnia scripsi et signum meum apposui.

(Reg. E, fol. 116 r°).

DLXXXI. — 9 mars 1250 (n. s. 1251)

Pons de Vaillauquès, Pierre et Bérenger de Fabrègues reconnaissent tenir de l'évêque la tour et le château de Fabrègues.

Pateat universis... quod ego Poncius de Vallauquesio, et nos Petrus et Berengarius de Fabricis nos omnes pariter et singuli... recognoscimus vobis domino Petro de Conchis, Dei gratia Magalonensi episcopo, comiti et domino Melgorii et Montisferrandi, quod nos tenemus et tenere debemus a vobis et successoribus vestris, comitibus Melgorii et Montisferrandi, in feudum, racione ipsius comitatus, turrem et castrum de Fabricis, pro partibus quas ibi habemus, vel sumus visi habere; et quicquid in eis, vel in districtu et pertinenciis ipsorum, habemus, vel habere debemus seu possemus, aut visi sumus habere, sit in hominibus, feminis, fortaliciis, municionibus factis et faciendis, et quibuslibet aliis nobis ibidem, racione,

intuitu vel contemplacione jurisdictionis, dominii et senhorie spectantibus quoquomodo ;

Pro quibus omnibus et singulis supradictis, vobis recognitis, nos et nostri successores, dictum feudum tenentes, debemus et tenemur jurare et tenere fidelitatem vobis et vestris successoribus, comitibus et dominis Melgorii et Montisferrandi.

Et nos, in presenti, pro predictis juramus vobis, super sancta Dei evangelia, a nobis corporaliter tacta, vitam et membra, et alia que in sacramento fidelitatis continentur, dato firmitatis osculo atque pacis; promictentes, sub eodem juramento, vobis domino episcopo supradicto, comiti et domino Melgorii et Montisferrandi, quod in persona vestra, membris vestris, castris, villis, municionibus, juribus et rationibus vestris et dicti comitatus deffensandis et custodiendis, dampnis eciam et periculis pro viribus evitandis, secreto tenendo, necnon et in aliis universis et singulis servandis et implendis, que in sacramento fidelitatis continentur, fideles erimus et devoti.

Faciemus eciam pro dicto feudo, nos et nostri successores, ipsum feudum tenentes, vobis et vestris successoribus, comitibus et dominis Melgorii et Montisferrandi, annuatim, cum fuerimus requisiti et non aliter, ego dictus Poncius albergam duobus militibus, et ego dictus Petrus, albergam uni militi, et ego dictus Berengarius, albergam uni militi; ita tamen quod, in annis et pro annis in quibus non requiremur, minime teneamur, nec, propter cessacionem sine requisitione, feudum incidat in comissum.

Et nos predictus episcopus, comes et dominus Melgorii et Montisferrandi, predicta omnia vera esse scientes, per nos et nostros successores recipimus vos, tanquam fideles vassallos et feudatarios, in protectione et deffensione, atque in Dei fide et nostra ; laudantes et confirmantes vobis et vestris omnia et singula supradicta.

Insuper eciam concedimus vobis, de speciali gratia et favore, quod, si confeudales vel pariarii vestri alienarent illa que in turre et castro predictis habent, vel visi sunt habere, vos possitis, si volueritis, pre nobis et pre aliis retinere, et habere

illa ad opus vestri, pro precio quod in eis et pro eis ab aliis offerretur, laudimio tamen competituro propter hoc nobis salvo.

Acta fuerunt hec apud castrum de Fabricis. Et statim Johannes Blanc, rector ecclesie Sancti Georgii, Turpinus de Anglata, et alii de familia dicti domini episcopi, ipsius nomine et mandato, ascenderunt predictam turrim; et in ejus cacumine, per girum, vexillo predicti domini domini expanso et ventilato, clamaverunt in signum dominii et senhiorie: *Melguer et Montferran, Melguer et Montferran, pro domino episcopo Magalonensi, comite et domino Melgorii et Montisferrandi*, anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quinquagesimo, scilicet VII idus marcii.

Verumptamen predictus Berengarius de Fabricis excepit, a dicta recognicione, molendinum de Rocarolis, et quandam domum, quam se asserit accaptasse a Petro de Fabris Rascas, que confrontatur ex tribus partibus cum honore suo, et ex alia cum honore Pastoris.

Horum sunt testes Guillelmus de Rocaforcada prior Sancti Dionisii de Montepessulaneto, Bernardus de Liurano prior de Fabricis, Petrus de Fabricis prior de Frontiniano, Johannes de Centrayranicis, Guillelmus Desiderii canonici Magalonenses, Florencius, Berengarius de Sobeiracio miles, Bermundus de Omelacio miles, Berengarius de Conchis, Petrus Christofori jurisperitus, Petrus de Pinu miles, et Johannes Brunenc, predicti domini episcopi in sua diocesi et comitatu Melgorii et Montisferrandi publicus notarius, qui mandatus hec scripsit et signo suo signavit.

(Reg. F, fol. 192 r°).

DLXXXII. — 22 mars 1250 (n. s. 1251)

Élisabeth de Roquefeuil, femme de Hugues, comte de Rodez, demande à Raimond Pierre, de Ganges, de lui reconnaître les fiefs qu'il possède sous sa directe.

Sit notum cunctis... quod anno Incarnacionis Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo, videlicet undecimo kalendas

aprilis, dominus Deodatus de Canilhaco, mandato et auctoritate domine Helysabelt, filie quondam nobilis viri domini Raymundi de Rocafolio, et eciam ipsa domina Helisabelt presente et consenciente, peciit a domino Raimundo Petri de Agantico, nomine dicte domine Helysabelt et domini Hugonis comitis Ruthenensis, viri dicte domine Helysabelt, quod ipse dominus Raimundus Petri recognosceret ipsi domine Helysabelt, et eciam traderet feudum seu feuda, quod vel que ipse dominus Raimundus Petri tenet, seu tenere debet, ab ipsa in tota villa de Agantico. Et ista precepit predictus dominus Deodatus de Canilhaco, in presencia dicte domine Helysabelz et ejus mandato, predicto domino Raimundo Petri primo, secundo et tercio, sub pena feudorum, que tam ab ipsa domina Helysabelz, quam a predicto domino comite tenet.

Ad quod dictus dominus Raimundus Petri respondit, quod non recognosceret dicte domine Helysabelz feuda, que ab ipsa tenet, nisi prius ipsa faceret ipsi domino Raimundo Petri sacramentum de restituendis sibi incontinenti feudis, que ipse dominus Raimundus Petri sibi recognosceret, et eciam traderet.

Ad quod dictus dominus Deodatus de Canilhaco dicto domino Raimundo Petri respondit, quod dicta domina Helisabelz non tenebatur de predictis feudis restituendis jurare, nec quod restitueret fidem aliquam prestare ipsi Raimundo Petri, vel alicui pro eo : ex eo quod non extitit, nec unquam fuit consuetum ; sed ipsa domina Helisabelz, recognitis et traditis sibi feudis, parata erat suam legaltatem super hiis facere.

Unde predictus dominus Deodatus de Canillaco iterum peciit a dicto domino Raimundo Petri, utrum volebat recognoscere et tradere feuda, ipsi domine Helisabelz predicte, ville de Agantico, que ab ipsa tenet ; et ipse dominus Raimundus Petri respondit, quod nonnisi cum forma supradicta.

Acta fuerunt hec in villa de Agantico, in ecclesia Sancti Petri, in presencia et testimonio domini Poncii de Montelauro, Thome Romani jurisperiti, Berengarii de Fara, Fulconis de Sancto Marciali, Raines de Mairusio, Poncii de Valveria, Bertrandi de Montedisderio, Guillelmi de Monterodato, Poncii

Comart, Geraldi Jaule, Bertrandi de Petra Grossa, Guillelmi Frotardi militum, Raimundi de Mandagoto, Adzemari de Arre, Raimundi et Gaucelmi de Genestoso, Bernardi Adzemari de Calatorio, Berardi de Montedisderio, Bertrandi de Mairusio, Guillelmi de Sancto Floro, Bertrandi de Plano, Petri Albarici, Bertrandi de Apierra, Petri Parguez de Mairusio, et plurium aliorum, et mei Petri de Castlario, publici notarii, qui, mandato predicte domine Helisabelz michi incontinenti post predicta verba et precepta, dum ipsa exiebat dictam ecclesiam, in presencia infrascriptorum testium facto, videlicet domini Deodati de Canillaco, domini Poncii de Montelauro, Thome Romani jurisperiti, Guillelmi Frotardi, Raynes de Mairusio militum, Raimundi de Mandagoto, hec scripsi pariter et signavi.

(Reg. F, fol. 191 r°).

DLXXXIII. — 1er avril 1251

Innocent IV exhorte les chevaliers et les hommes de Melgueil à venir en aide à l'évêque, qui a fait quelques acquisitions.

(Reg. F, fol. 167 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 294.

DLXXXIV. — 23 mai 1251

Pierre et Barthélemy Simon vendent à Pierre de Conques une pièce de terre sise à Gigean.

Anno Incarnacionis Dominice millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, videlicet X kalendas junii, ego Petrus Symon et ego Bartolomeus Symon, nos ambos fratres... vendimus... domino Petro de Conchis, Dei gratia Magalonensi episcopo, et successoribus suis, et tibi Guillelmo de Ventallone, bajulo castri de Gigano pro dicto domino episcopo, omnia infrascripta et singula petenti et recipienti, ad omnes voluntates suas et successorum suorum... scilicet, totam unam

peciam terre cum omnibus pertinenciis suis, quam ab ipso dicto domino episcopo tenebamus;

Que pecia est in terminio de Gella, et confrontatur ex una parte cum honore Bernardi Longi, et ex altera cum honore Berengarii Ermengavi, et ex altera cum carreria de Gella, et ex altera cum honore Petri Rainolfi.

Pro precio hujus vendicionis, cognoscimus nos habuisse sexaginta solidos melgorienses, quos vere tu, dictus Guillelmus de Ventallone, pro dicto domino episcopo persolvisti; in quibus ex certa scientia renunciamus excepcioni non numerate peccunie et non soluti precii, et si plus valet dicta res... illud totum... damus... et nos et nostros inde disvestimus... et pro evictione... Sic tibi, dicto Guillelmo de Ventallone, pro dicto domino Magalonensi episcopo stipulanti, promittimus et juramus super sancta quatuor Dei evangelia, a nobis gratis corporaliter tacta.

Et est sciendum, quod nos dabamus, pro dicta pecia terre vendita, annuatim pro usatico, Raimundo Pairolis unum sextarium ordei, pro sexta parte frumenti, que quondam ibi habebat.

Testes sunt Raimundus Alaman, Petrus de Levannaco, et ego Salvator, notarius publicus castri de Porsiano, et dicti domini Magalonensis episcopi, qui, mandato parcium, hec scripsi, et superius, ubi legitur *episcopum*, superscripsi.

(Reg. F, fol 95 v°)

DLXXXV. — 23 juin 1251

Accord entre Pierre de Conques et Bernard de Lattes.

Noverint universi, quod hec est carta amicabilis composicionis seu transaccionis facte inter dominum P[etrum] de Conchis, Dei gratia episcopum Magalonensem, agentem ex una parte; et Bernardum de Latis deffendentem, filium quondam et heredem in hac parte Johannis de Latis jurisperiti, ex altera; super peticione seu peticionibus, quam seu quas prefatus dominus episcopus a dicto Bernardo faciebat, vel facere

poterat seu intendebat, nomine vel occasione feudi et tocius juris, quodcumque habebat et tenebat predictus Bernardus, vel dictus pater suus habebat tempore mortis sue, et que acquisierat sibi seu emerat a Guillelmo Arnaldi de Clareto et Raimundo de Cocone, in villa Sancti Martini de Cresio, seu in aliqua parte ipsius ville, et in manso de Salis, et manso de Noalis, et in valle de Bozigis, et in garriga que vocatur *la Rocha*, et in manso qui dicitur Mansus Marinus, et in manso de Cuca, et in toto pertinimento de Garrussionne, et in manso de Cabanis, et in pertinenciis et territoriis et appendiciis eorumdem locorum, sint culta vel inculta ; necnon eciam et in parrochiis Sancti Martini de Cresio predicti, et Sancti Theodoriti de Venranicis, et Sancti Felicis de Sustancione. Que composicio, super omnibus et singulis superius comprehensis, seu eorum occasione, facta est in hunc modum :

Videlicet quod ego dictus Bernardus de Latis, filius quondam et heres in parte prefati domini Johannis de Latis, bona fide et absque aliqua retencione dono... vobis, prefato domino episcopo, hanc presentem donacionem et cessionem recipienti, et per vos episcopatui Magalonensi, seu vestris successoribus, omne jus, et omnes omnino actiones, peticiones et prosecutiones reales et personales, seu mixtas, ordinarias et extraordinarias, directas seu utiles, michi competentes vel competituras, et que unquam dicto domino quondam patri meo compecierunt, in dictis locis seu in eorum pertinenciis, seu in aliqua eorum parte, nomine vel occasione alicujus empcionis seu acquisicionis, in eisdem locis olim facte per predictum patrem meum a Guillelmo Arnaldo et Raimundo de Cocone suprascriptis ;

Et ipsa omnia jura, michi quoquomodo in dictis locis competencia, prout unquam dictus pater meus et ego, post mortem suam, ipsa habuimus, tenemus vel possidemus post acquisicionem, factam ab eodem quondam patre meo, de eisdem a prefatis Guillelmo Arnaldo et Raimundo de Cocone, superius nominatis, in vos prefatum dominum episcopum et vestros successores plenarie transfero, ad omnes voluntates vestras

plenarie faciendas; et omne jus, si quod habeo vel habere possem in eis, seu in aliqua parte ipsorum, ratione proprietatis, possessionis, successionis vel hereditatis paterne, in vos et successores vestros plenarie transfero; et concedo vobis jura omnia ordinaria vel extraordinaria, in re vel in persona, vel mixtim, utiliter, vel directo, vel quocumque alio modo michi, in ipsis vel pro ipsis, competencia contra quascumque personas vel res, in vos dominum P[etrum] et successores vestros transfero; et in rem vestram de hiis omnibus vos procuratorem facio; volens, et concedens, et mandans quod predictorum omnium jurium et singulorum possessionem, vestra propria auctoritate, apprehendatis, constituens me interim premissa jura, vestro nomine precario, possidere et quasi possidere, nulla possessione penes me remanente, sed penes vos et successores vestros et quos volueritis existente.

Adhuc vobis, domino episcopo stipulanti, promitto quod [si] in predictis, per me vel per dictum dominum patrem meum, factum fuerat impedimentum aliquod, quominus predicta jura omnia et singula, a me vobis cessa, habere et tenere [non] possetis, illud totum ad voluntatem vestram curabo et faciam penitus revocari.

Necnon et universa omnia instrumenta et singula, que habeo et que imposterum habere potero, ad predicta faciencia seu ad aliquam partem ipsorum, quam cicius ea inveniam, vobis restituam absque aliqua questione; et illa que nunc habeo, ad predicta spectancia, trado vobis de presenti; et quoad me omnia instrumenta et singula, quibus juvari possem in aliquo ad contraveniendum predictis, deleo de presenti penitus, et anullo, et nullius valoris esse volo;

Et omni privilegio... renuncio, et omni juri quod michi possit opitulari ad contraveniendum predictis. Et si forte predicta non observarem, quod Deus advertat, seu adimplerem, totum dampnum et gravamen et expensas, quas inde vos facere oporteret, restituam vobis libere et in pace. Pro quibus omnibus et singulis, superius a me promissis, complendis et observandis, vobis et vestris successoribus restituendis, obligo me et omnia bona mea habita et habenda.

Verum sciendum est, quod ego et mei successores, et bona mea, bonaque quondam dicti patris mei et suorum, erimus a vobis et vestris successoribus liberi et absoluti ab omnibus hiis et singulis que, in dictis locis, seu pro ipsis locis, seu ab aliquibus personis, nomine vel occasione ipsorum locorum, a nobis quocumque modo seu ab aliquo nostrorum, usque in hodiernum diem, habitis et receptis, petere vel exigere possetis; ita quod ipsa omnia per vos et vestros et successores intelligantur esse remissa, que a nobis seu aliquo nostrorum sunt percepta; et acapitorum daciones, per nos seu per aliquem nostrorum quibuslibet personis concesse in dictis locis, in sua semper firmitate consistant.

Est tamen sciendum quod de cetero usatica et census, que et qui pro ipsis acapitis nobis prestari debebant, vobis de cetero prestabuntur; et dominia, consilia et laudimia ipsorum acapitorum, et que ex ipsis provenient, de cetero ad vos et successores vestros totaliter pertinebunt.

Promittens et conveniens vobis, prefato domino episcopo stipulanti, quod contra ea, que in hac carta superius continentur, nunquam contra veniam, nec dicam vel faciam quominus hec omnia supradicta in sua semper maneant firmitate; sed hec omnia ita complere et observare promitto, prout superius est expressum, per fidem meam plevitam et requisitam; super hiis, certus de facto et de jure consultus, renuncians omni juri quo possem juvari ad contraveniendum predictis;

Sciens preterea et recognoscens me a vobis, prefato domino episcopo, habuisse et recepisse plenarie numerando, post hanc donacionem, solucionem et cessionem, a me vobis factam, nomine composicionis seu transactionis hujusmodi, triginta libras melgorienses, in quibus renuncio excepcioni non numerate pecunie et non recepte; que quidem penes me et meos, et quos voluero, perpetuo remanebunt.

Et nos P[etrus], divina miseracione Magalonensis episcopus, scientes et vere cognoscentes hanc compositionem amicabilem seu transaccionem factam esse inter nos ex una parte, et te Bernardum de Latis predictum ex altera et nos tibi dedisse

de nostro, ex vi hujus presentis composicionis seu transaccionis, dictas triginta libras melgorienses, que semper penes te et tuos, vel quos volueris, remanebunt, idcirco ipsam et omnia... laudamus, approbamus, et confirmamus, et semper valere volumus, et mandamus; et de omnibus hiis et singulis, que a te dicto Bernardo, vel in bonis tuis, seu in bonis dicti quondam patris tui, nos vel aliquis successor noster petere vel exigere possemus, nomine vel occasione aliquarum obvencionum, reddituum, fructuum, usque in hodiernum diem perceptorum a dicto quondam patre tuo, vel a te post mortem suam, seu ab aliquo alio pro vobis seu voluntate vestra et assensu, in dictis locis seu pro ipsis locis et juribus aliquo modo, te dictum Bernardum et per te dictum patrem tuum et bona vestra, necnon et omnes et quaslibet personas et res, ex vi hujus composicionis, liberamus imperpetuum et absolvimus cum hac carta; pactumque inde facientes de non inquietando et de non petendo aliquid in futurum; et absolucionem validam et generalem promittentes tibi, dicto Bernardo stipulanti, per nos et successores nostros, facta renunciacione omnis juris ... quod nunquam contra predicta vel predictorum aliquid nullatenus veniemus.

Et si nos vel aliquis successor noster, quod Deus advertat, contra predicta venire attemptaremus, totum dampnum, et gravamen, et expensas, quas inde te vel tuos facere oporteret, aut quod inde dederis aut sustinueris, illud totum, cum omni interesse inde contingenti, tibi et tuis promittimus in integrum resarcire, composicione predicta et transaccione semper in suo robore existente; et pro hiis complendis et ratis manendis obligamus tibi, dicto Bernardo stipulanti, per nos et successores nostros, bona omnia et jura, quecumque sint et ubicumque, ad episcopatum Magalonensem spectancia.

Acta sunt hec omnia supradicta et singula et laudata a partibus, anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, nono kalendas julii, in presencia et testimonio Raimundi de Claromonte canonici Magalonensis, Raimundi de Altiniaco jurisperiti, Poncii de Casali, Jacobi Rotberti, Johannis de Barraco canonicorum, Turpini de An-

glada, Mathei Ricardi prioris de Cresio, et mei Duranti de Melgorio, notarii Montispessulani, qui, rogatus a partibus, hec scripsi, facta suprascripcione in secunda linea, a prima computanda, ubi dicit: *agentem*, et in quintadecima linea a penultima computanda ubi dicit: *diem*.

(Reg. E, fol. 151 v°).

DLXXXVI. — 17 juillet 1251

Échange entre Pierre de Conques et les Hospitaliers de Montpellier.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Anno Incarnacionis ejusdem millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, sextodecimo kalendas augusti,... pateat..., quod nos Petrus de Conchis, Dei gratia Magalonensis episcopus,... concedimus imperpetuum, nomine permutacionis seu escambii irrevocabiliter revocaturi, domui Hospitalis Sancti Johannis de Montepessulano, et omnibus fratribus presentibus et futuris ejusdem domus, et tibi fratri Guillelmo Scriptori, preceptori predicte domus Sancti Johannis, recipienti et stipulanti hec pro dicta domo Sancti Johannis et ad utilitatem ejusdem domus, ad omnes voluntates vestras, pro libero et franco alodio, plenarie faciendas, sine contradictione nostra et Ecclesie Magalonensis;

Videlicet unam libram piperis, quam sine dominio et laudimio, et sine omni alio jure habebamus in orto vestro et domibus ipsius orti; qui ortus et domus sunt in barriis ville Montispessulani, juxta domum milicie Templi, et confrontantur cum predicta domo Milicie, carreria publica in medio, qua itur ad Prunetum ex una parte; et ex alia parte cum domo hospitalis de *Rossas nals*, alia carreria publica in medio, qua itur ad ecclesiam Sancti Bartholomei, que via vocatur via Jacobi; et ex alia parte confrontatur cum anteportali barriorum ville predicte Montispessulani, plano seu via in medio, per quam itur ad predictas duas vias publicas; et ex alia parte cum domibus et honore Petri Bonifacii et domine Fulcranne.

Item, eodem modo, vobis et dicte domui Sancti Johannis damus et concedimus imperpetuum, nomine permutacionis seu scambii, pro libero et franco allodio, ad faciendas libere omnes voluntates vestras, aliam scilicet libram piperis censualem, quam sine dominio et laudimio, et sine omni alio jure habebamus in una pecia terre vestra, que vocatur Campus de Area, et est subtus Prunetum. Et confrontatur ex una parte cum honore vestro, qui fuit domine Galiane et liberorum ejus; et ex alia parte cum carreria, qua itur de Pruneto ad Preverranca; et ex alia cum honore domus Milicie, viaculo in medio; et ex alia cum carreria qua itur de predicta domo Milicie versus Preverranca.

Item, eodem modo, vobis et predicte domui Sancti Johannis damus et concedimus imperpetuum, jure permutacionis seu escambii, pro libero et franco alodio, ad faciendas libere omnes voluntates vestras, videlicet unam libram cere censualem, quam sine dominio et laudimio, et alio jure habebamus in toto honore, quam olim donavit dicte domui Sancti Johannis Raimundus Bec de Cornone, que est in terminio de Vico; qui honor vocatur Bairaran, prout continetur in instrumento dicte donacionis, et in aliis instrumentis ad ipsum honorem pertinentibus.

Que usatica predicta damus et permutamus vobis et predicte domui Sancti Johannis, habita deliberacione jam et consilio super hiis diligenti, pro subscriptis quatuor sextariis ordei et duobus denariis censualibus, et pro dominio, et laudimio, et consilio que vos habebatis in subscriptis honoribus Petri de Sancto Paulo, qui sunt in Equa longa; et confrontantur, ut inferius scriptum est. Que quidem quatuor sestaria, et duos denarios melgorienses cum dominio, et laudimio, et consilio scimus et cognoscimus large valere, et eciam plus valere quam usatica predicta duarum librarum piperis et unius libre cere, cum nullum dominium vel aliud jus haberemus in predicto orto, vel in domibus ipsius orti, nec in honore predicto qui fuit Raimundi Bec.

Promittimus igitur vobis, prefato fratri G. Scriptori, preceptori predicte domus Sancti Johannis, stipulanti pro dicta

domo Sancti Johannis, quod hec usatica predicta piperis et cere faciemus vos habere pro alodio, et ab omni persona, que de cetero vobis ea peteret, semper deffendemus. Et pro hiis ita observandis obligamus vobis [et] dicte domui Sancti Johannis, nos et bona Ecclesie Magalonensis; promittentes eciam vobis per stipulacionem, quod in hiis nunquam aliquid contradicemus, vel impediemus vel de cetero aliquid ibi petemus, vel fieri paciemur, vel consentiemus, sed hanc permutacionem et hec omnia rata semper tenebimus et observabimus; et, nulla racione vel occasione, unquam ea revocabimus nos vel successores nostri per nos vel interpositam personam.

Quapropter nos, prefatus Guillelmus Scriptor dicte domus Sancti Johannis,... damus, pro suprascriptis duabus libris piperis et pro libra cere, vobis, prescripto domino P[etro] de Conchis, Magalonensi episcopo, et successoribus vestris, nomine permutacionis seu scambii, et imperpetuum concedimus, pro libero et franco alodio, ad faciendas plenarie et libere omnes voluntates vestras sine omni contradictione, videlicet quatuor sestaria ordei censualia, et duos denarios melgorienses censuales, et dominia, et laudimia, et consilia, que habemus in toto honore Petri de Sancto Paulo, qui honor est in terminio de Equa longa, in quo honore sunt vinee; et confrontantur ex una parte cum alio honore predicti Petri de Sancto Paulo, et ex alia parte cum via qua itur ad riperiam Ferrandi, et ex alia cum garriga de Malestar, et ex alia cum honore Petri Gramato, filii quondam Petri de Gramato.

Et damus et cedimus vobis, domino episcopo, et Ecclesie Magalonensi, et successoribus vestris, omne jus, in dicto honore predicti Petri de Sancto Paulo superius confrontato, michi preceptori vel dicte domui Sancti Johannis competens aliquo modo; et inde vos dominum episcopum Magalonensem investiendo, nos et domum Sancti Johannis disvestimus, et dominos et procuratores vos et successores vestros in rem propriam Ecclesie Magalonensis super hiis facimus, prout melius et plenius vestro et Ecclesie Magalonensis comodo dici, scribi vel excogitari potest, profitentes, in veritate, predicta usatica duarum librarum piperis et unius libre cere plenarie et large

valere predicta quatuor sestaria ordei et duos denarios melgorienses cum dominio et laudimio vobis a nobis, ut predictum est, in escambium data.

Quapropter vobis, domino Magalonensi episcopo, per stipulacionem promittimus, quod hec vobis data in escambium faciemus vos et successores vestros libere habere, tenere et percipere plenarie et quiete, et ab omni persona, que aliquid ibi vobis impediret, peteret vel contradiceret, jure semper vobis defendemus pro libero et franco alodio. Et pro hiis ita servandis, et pro evictione. . nos et bona dicte domus Sancti Johannis, vobis et Ecclesie Magalonensi firmiter astringimus et obligamus; promittentes vobis per stipulacionem, quod hec rata semper tenebimus et observabimus ; et nil diximus... quominus hec firma semper sint, et vobis et Ecclesie Magalonensi semper prosint; nec aliquo jure... contra prescripta vel eorum aliquid nunquam veniemus, vel aliquam personam contra venire faciemus, permittemus vel consentiemus; scientes... hec omnia ad utilitatem nostram et dicte domus Sancti Johannis pertinere, eo quia dictum ortum nostrum, et domos ejus, et campum nostrum de Area et totum honorem, qui fuit Raimundi Bec, habemus de cetero in alodium imperpetuum.

Testes sunt magister Florencius, Johannes Blanc prior ecclesie Sancti Georgii (1), Johannes Godafridus prior de Montearnaldo, frater Raimundus sacerdos, frater domus Sancti Johannis, et Guiraldus de Porta, qui, rogatus a domino predicto Magalonensi et a dicto preceptore, hec scripsit.

(Reg. E, fol. 33 r°).

DLXXXVII. — 20 septembre 1251

Le prieur de Murviel échange tous ses droits temporels sur cette paroisse contre certaines redevances.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi, anno Incarnacionis ejusdem millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, scilicet

(1) Cart.: *Jeorgii*.

octavo kalendas octobris, ego magister Johannes, rector ecclesie de Muroveteri, atente et diligenter inspecta cum multâ deliberatione, atque consilio plurium habito, per me et meos successores... permutacionis irrevocabilis titulo in perpetuum derelinquo vobis domino P[etro] de Conchis, Dei gratia Magalonensi episcopo, et omnibus et singulis successoribus vestris, episcopis Magalonensibus, totum videlicet castrum de Muroveteri, cum omni ejus districtu et jurisdiccione temporali, atque suis juribus, et omnibus pertinenciis et appenditiis, que michi et ecclesie mee competunt vel competere possunt seu debent, aut meis predecessoribus dominis ejusdem castri, ratione, occasione vel nomine majoris dominii aut senhorie, sive meri imperii atque mixti, vel jurisdiccionis temporalis, compecierunt vel competere ullo unquam tempore debuerunt, sint homines vel femine, dominia, laudimia, consilia, census, usatica, quartones, tasque, tolte, quiste, lesde, explecte, feuda, servicia, pascua, prata, patua, garrice, devesia, nemora, devia, riperie, foriscapia, seu acapita, municiones, venaciones, dominaciones, districtiones, banna, excorrentie, preconizaciones, firmancie, justicie, pignoraciones, empciones, placita et districta in causis civilibus, pecuniariis et criminalibus, causarumque omnium et justiciarum execuciones, actiones, peticiones, prosecuciones, demandamenta, et alia omnia jura corporalia et incorporalia, ordinaria vel extraordinaria, rerum principalium vel accessionum, [quod (1) castrum et alia omnia et singula supradicta tenebam, et tenere debebam, a vobis et successoribus vestris, et me atque meos predecessores in eadem ecclesia fateor tenuisse]: cujus castri cum omni suo districtu, et omnium predictorum, et aliorum eciam que michi seu Ecclesie mee ejusdem loci pertinent, pertinere possunt vel debent, aliquo modo, racione, vel occasione dominii, senhorie, vel jurisdiccionis temporalis majoris, aut meri imperii atque mixti, proprietatem veram et vacuam possessionem, seu quasi possessionem, vobis tradens, vos et vestros successores veros dominos et procuratores facio et

(1) Les mots entre crochets ne se trouvent que dans le registre C.

constituo in rem vestram, me et meos subcessores et ipsam Ecclesiam disvestiendo de omnibus et singulis supradictis, et vos et vestros investiendo, et totum jus corporale vel incorporale, michi vel Ecclesie mee pertinens in predictis, in vos et vestros successores transfero penitus et transporto ; constituens me interim pro vobis et nomine vestro precario possidere vel quasi possidere, donec vos ea possidere vel quasi inceperitis per vos ipsum ; quod volo auctoritate propria vos facturum.

Nomine hujus permutacionis vel escambii, scio et in veritate fateor vos donasse, cessisse ac imperpetuum tradidisse michi et Ecclesie mee predicte, et successoribus meis, illa duo modia, unum videlicet frumenti, et aliud vini, pro quo quartone vos et successores vestri in ipsa ecclesia habebatis.

Item etiam et aliud modium bladi mitadenc a me et meis successoribus nomine ipsius ecclesie annuatim percipiendum de blado illo usaticorum, que in dicto castro percipietis.

Que omnia et singula supradicta ego magister Johannes, rector ecclesie predicte, sciens et in veritate cognoscens predicta omnia et singula, in utilitatem meam et ecclesie michi comisse, redundare et sine dubio facta esse, eo quia propter molestantium instantem oppressionem (1) vix a me et dicta ecclesia poterat plenarie optineri ;

Et promitto vobis, dicto domino episcopo, solempniter stipulanti, quod predictam jurisdiccionem, et alia omnia superius expressa, vel non expressa, eidem jurisdiccioni pertinentia, faciam vos et vestros successores possidere, vel quasi, pascifice et quiete, et ab omni persona contradicente defendam ; promitto etiam quod contra predicta... non veniam, nec aliquis arte mea, consilio, vel ingenio ; sed omnia et singula supradicta firma et inconcussa volo imperpetuum obtineri ; renuncians beneficio restitucionis in integrum et omni privilegio...

Et nos, Petrus de Conchis, divina miseracione Magalonensis episcopus, per nos et nostros successores... concedimus in escambium... tibi magistro Johanni, rectori predicto, et suc-

---

1) Cart.: *propter molestationem intantem impressionem vix.*

cessoribus tuis, et ecclesie tue de Muroveteri, illa duo modia, unum videlicet frumenti, et aliud vini, que (1) annuatim, in ecclesia ipsa percipiebamus et percipere debebamus; item unum modium bladi mitadenc. annuatim habendum et percipiendum a te tuisque successoribus, de blado illo quod habebimus et percipiemus in dicto castro, de usaticis. Que omnia et singula modia supradicta concedimus et donamus tibi et tuis successoribus et ecclesie supradicte, scientes et vere profitentes te donasse, tradidisse et cessisse nobis, et nostris successoribus, jurisdiccionem temporalem dicti castri de Muroveteri, et alia omnia supradicta eidem jurisdiccioni annexa. Que omnia et singula scimus... in utilitatem nostram et episcopatus, et speciale comodum redundare; promittens, cum solemni stipulacione interposita, tibi magistro Johanni, rectori predicto, quod contra predicta... non veniemus.... sed ipsa omnia et singula firma et inconcussa volumus imperpetuum remanere; renunciantes specialiter et expresse beneficio restitucionis in integrum et omni privilegio... Et ad majorem horum omnium firmitatem habendam, nos, predictus episcopus, presentem cartam facimus sigilli nostri munimine roborari.

Acta sunt hec anno et die proximo dictis, in presentia et testimonio Guillelmi Ebrardi prioris de Castronovo, Bertrandi Dorchas prioris ecclesie de Arssacio, Johannis Blanchi prioris ecclesie Sancti Georgii, Raimundi de Manso, et mei Petri Garnerii, publici Montispessulani notarii, qui, mandatus a partibus, hec scripsi, et eciam rogatus, et signum meum apposui.

(Reg. A, fol. 57 r°; reg. C, fol. 177 v°; édité par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 269, d'après le seul reg. A).

---

(1) Cart.: *quo*.

DLXXXVIII. — 6 août 1252

Pierre de Conques renouvelle un acapte, dont le propriétaire avait perdu les actes.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Anno Incarnacionis ejusdem millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, septimo decimo kalendas septembris, nos, Petrus de Conchis, Dei gratia Magolonensis episcopus per nos et omnes successores nostros episcopos... jure acapiti tradimus et concedimus tibi Guillelme, filie quondam Bernardi de Noals, et tuis, et quia asseruisti coram nobis quod instrumenta ad honorem infrascriptum amiseras, videlicet cujusdem tenencie quorumdam honorum, qui sunt in parrochia Sancti Stephani de Bejanicis infra tres carrerias, scilicet infra illam carreriam, que movet de camino Sancti Jacobi et tenet versus Latas; et infra aliam que movet de Terrallo et tenet versus Villamnovam; et infra aliam que movet [de] manso de Lausa et ferit ad caminum Sancti Jacobi.

Vero pro predicta tenencia honorum, qui sunt infra predictas carrerias et ad te pertinentes, dabis nobis et successoribus nostris, quolibet anno, in festo sancti Petri intrante augusto, pro usatico duodecim sextaria ordei et duodecim denarios melgorienses, aportatos in domo nostra infra villam Montispessulani.

Et promittimus et convenimus tibi per stipulacionem quod tenenciam honorum predictorum faciam te et tuos semper habere... et ab omni contradicente... jure semper deffendemus: et pro hiis omnibus... et eviccione... tibi obligamus et tuis bona nostra omnia episcopatus nostri Magalonensis; dicentes et asserentes quod nichil est dictum... quominus hec acapiti datio et omnia et singula supradicta firma sint et inviolabili gaudeant firmitate; nec aliquo jure... unquam contra veniemus, nec aliquis arte nostra, consilio vel ingenio; et ita tibi iterata stipulacione promittimus simplici verbo nostro; renuncians inde omni juri et racioni quo vel qua

contra predicta vel aliquod predictorum venire vel obviare possemus.

Testes sunt dominus Stephanus de Conchis canonicus Narbonensis, Cosma presbyter bajulus de Terrallo, frater Raymundus hospitalarius hospitalis de Bejanicis, Bernardus Sabaterius prior ecclesie Sancti Michaelis de Banheriis et ego Petrus Garnerii notarius Montispessulani publicus, qui, de speciali mandato dicti domini episcopi predicti, hec omnia scripsi et signum meum apposui.

In quorum eciam presencia scimus et recognoscimus nos a te habuisse, et numerando, nomine acapiti, quatuor libras melgorienses : et in eis scienter renunciamus excepcioni non tradite pecunie et acapiti non soluti, et inde te nos absolvimus et quittamus.

(Reg. E, fol. 160 v°, d'après un vidimus fait en 1276).

DLXXXIX. — 28 septembre 1252

Échange entre Pierre de Conques et Bernard de Lauza.

In nomime Domini Nostri Jhesu Christi. Anno Incarnacionis ejusdem millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, quarto kalendas octobris, manifestum sit... quod Bernardus de Lausa, draperius de Montepessulano, filius quondam Bernardi de Lausa soccellerii, faciebat inter totum viginti et tria sextaria ordei et unam eminam pro usatico, et viginti tres denarios et obolum tantum domino episcopo Magalonensi :

Scilicet, ex una parte, decem sextaria ordei et decem denarios pro decem sextariis ordei censualibus, et pro duabus peciis terrarum, que pater supradicti Bernardi emit a Raimundo de Bejanicis, ut patet in quodam instrumento publico, scripto per manum Jacobi Laurencii notarii ; in quo eciam instrumento continetur quod dominus Bernardus de Mesoa, quondam Magalonensis episcopus, laudavit illam vendicionem.

Residua tresdecim sextaria ordei et residuos tresdecim denarios faciebat dictus Ber. de Lausa, pro sex peciis terrarum, et pro sex peciis vinearum, et pro omnibus heremis, et pratis, et cultis, et pro illo toto [quod] ad partem suam mansi de Lausa pertinet et pertinere debet, ut patet in duobus instrumentis publicis, quorum unum scripsit Guillelmus Raimundi ; et ea que in ipso continentur, laudavit dominus Guillelmus Raimundi, quondam Magalonensis episcopus. Aliud instrumentum scripsit Johannes Scriptor, notarius ; et ea que in illo continentur, laudavit dominus G. de Flexio, quondam Magalonensis episcopus (1).

Residuam eminam ordei et residuum obolum faciebat dictus Ber. de Lausa pro una pecia terre, que est in parrochia Sancti Stephani de Bejanicis, quam peciam terre emit Ber. de Lausa, pater supradicti Ber. a Guillelmo Blanchardi, et illam vendicionem laudavit dominus G., quondam Magalonensis episcopus, ut continetur in quodam instrumento publico, scripto per manum Hugonis Laurencii, notarii.

Et ita omnibus supradictis computatis, faciebat, domino episcopo Magalonensi, viginti tria sextaria, et unam eminam ordei, et viginti et tres denarios et obolum tantum dictus Ber. de Lausa.

Ipsi vero B. de Lausa faciebant plures homines usatica, pro possessionibus quas ab eo tenebant in enfiteosim ; quidam, sextaria ordei ; quidam, eminam ; et quidam, plus, et quidam, minus ; et tamen dominus Magalonensis episcopus habebat dominium, laudimium et consilium in omnibus illis possessionibus, pro quibus illi homines faciebant usatica ordei dicto B. de Lauza.

Et ita inter dominum episcopum et predictum B. de Lauza erant quidam circuitus, in eo quod ipse B. de Lauza faciebat predicto domino episcopo Magalonensi, et alii faciebant ipsi B. usatica, pro possessionibus in quibus dominus episcopus dominium, laudimium et consilium habebat. Et eciam possessiones, pro quibus homines faciebant usatica dicto B. de Lausa.

---

1. Voir ces deux actes dans *Cart. de Mag.*, édit., t. I, pp. 408 et 478.

minoris precii erant, et minus vendebantur; et sic dominus episcopus Magalonensis minus laudimium et rarius habebat, pro eo quod pluribus erant subjecte ille possessiones.

Et ideo, causa hujus circuitus vitandi, et quia per dictas rationes, et causas, et eciam plures alias rationes multum visum fuit utile et expediens Ecclesie Magalonensi, convenit inter dominum P[etrum] de Conchis, Magalonensem episcopum, et predictum B. de Lausa draperium, quod ipse B. de Lausa assignaret domino episcopo Magalonensi de illis usaticis, que ipse Bernardus suo nomine percipiebat, saltim suo nomine, usque ad concurrentem quantitatem, scilicet viginti tria sextaria et eminam; et ipse B. et omnes ejus successores, et omnes possessiones et omnia jura, que possidet per se vel per alium, vel infuturum ipse B. vel alius pro ipso possidebit, essent perpetuo immunes omnino a predicto usatico ordei.

Quibus sic rite peractis, ego prefatus Bernardus de Lausa draperius, gratia hujus contractus, sive permutationis seu excambii, bona fide... derelinquo imperpetuum... vobis, predicto domino P[etro] de Conchis, Dei gracia Magalonensi episcopo, et successoribus vestris, ad omnes vestras et successorum vestrorum voluntates quoquomodo volueritis faciendas, sine aliqua retencione mea vel meorum, videlicet viginti et tria sextaria et unam eiminam ordei censualia, que habebam et percipiebam, quolibet anno, in festo sancti Petri de augusto, in honoribus et pro honoribus inferius confrontatis; qui quidem honores sunt in parrochia Sancti Stephani de Bejanicis; et que michi pro eisdem honoribus, nomine usatici, fiebant a personis infrascriptis.

Quorum viginti trium sextariorum et emine facit et dat, facere et dare debet Guiraldus Maltendict duo sextaria, pro quadam pecia vinee, que confrontatur ex una parte cum honore Poncii de Terrallo, et ex alia parte cum carreria qua itur de Bejanicis ad Terrallum.

Item Petrus Roncelli pellicerius, tres eminas pro alia pecia vinee, que confrontatur ex una parte cum honore Hugonis Rotberti, ex alia parte cum honore Bernardi de Melgorio, et ex alia parte cum carreria.

Item Michael Peleti draperius, unum sextarium pro alia pecia vinee, que confrontatur ex una parte cum honore Augerii Arnaldi advocati, et ex alia parte cum carreria qua itur ad Montempessulanum.

Item Augerius Arnaldi advocatus, unum sextarium pro alia pecia vinee, que confrontatur ex una parte cum honore dicti Michaelis Peleti, et ex alia parte cum honore dicti B. de Melgorio.

Item Petrus Raych laborator, unum sextarium pro alia pecia vinee, que confrontatur ex una parte cum honore dicti Michaelis Peleti, et ex alia parte cum honore Guillelmi Thome.

Item Albertus Razeire, duo sextaria et unum cartale pro alia pecia vinee, que confrontatur cum honore Guillelmi Chauzaudi, et ex alia parte cum honore Laurencii Argenterii.

Item Laurentius Argenterii, duo sextaria et unam eminam pro alia pecia vinee, que confrontatur ex una parte cum honore Alberti Razeire, et ex alia cum honore Sabaterie.

Item Raimundus Martini soccellerius, unum sextarium pro alia pecia vinee, que confrontatur ex una parte cum honore Johannis Textoris, et ex alia parte cum honore *d'en* Bossaguas.

Item Guillelmus Bohazon textor, tria quartalia pro alia pecia vinee, que confrontatur ex una parte cum honore Duranti Bossonerii, et ex alia parte cum carreria qua itur de Villanova ad Terrallum.

Item Guillelmus Syriberti peissonerius, unum sextarium pro alia pecia vinee, que confrontatur ex una parte cum honore Johannis Razeire, et ex alia parte cum carreria qua itur de Villanova ad Terrallum.

Item Johannes Razeire, unum sextarium pro alia pecia vinee, que confrontatur ex una parte cum honore Guillelmi Syriberti, et ex alia parte cum honore Petri de Lauza laboratoris.

Item Petrus Marchesii sabaterius pro alia pecia vinee, que confrontatur ex una parte cum honore Petri de Lauza, et ex alia parte cum honore Petri Arssagneti (*sic*).

Item Guillelmus Arssagneti laborator, unum sextarium pro alia pecia vinee, que confrontatur ex una parte cum campo Petri de Lauza, et ex alia parte cum honore Petri Marchesii.

Item Durantus Benedicti sartor, unum sextarium pro alia pecia vinee, que confrontatur ex una parte cum honore Poncii de Terrallo, et ex alia parte cum carreria qua itur de Cocone ad Latas.

Item Petrus de Lausa laborator, unum sextarium pro alia pecia vinee, que confrontatur ex una parte cum carreria qua itur de Terrallo ad Peirerias, et ex alia parte cum garrica mea.

Item Guillelmus Syriberti peissonerius, unam eminam pro alia pecia terre, que confrontatur ex una parte cum honore Petri Cozonrerii, et ex alia parte cum rivo Columbo.

Item Petrus Cozonrerii, unam eminam pro una pecia vinee, que confrontatur ex una parte cum honore Guillelmi Syriberti, et ex alia cum rivo Columbo.

Item Petrus Jogons pellicerius, duo sextaria minus uno quartali pro alia pecia vinee, que confrontatur ex una parte cum honore Petri Pastoris, et ex alia parte cum carreria qua itur de Cornone (1) ad Latas.

Item Petrus Pastor laborator, unum sextarium minus medio quartali, pro alia pecia vinee, que confrontatur ex una parte cum honore Petri Joguons, et ex alia parte cum honore Petri Dominici laboratoris.

Item Petrus Dominici laborator, unum sextarium minus medio cartali, pro alia pecia vinee que confrontatur ex una parte cum honore Raimundi Pellicerii, et ex alia parte cum honore Petri Pastoris.

De quibus quidem omnibus supradictis, a me vobis in escambium datis, et de omni jure quod in ipsis habebam, habere poteram vel debebam, nomine proprietatis, quasi possessionis, vel alio modo, me et meos penitus disvestiens, vos et vestros investio successores, et veros dominos justos, quasi possessores, ac in rem propriam procuratores vos facio

---

1 Nous laissons *Cornone* dans le texte : il nous paraît fautif ; il faudrait lire *Cocone*. Voir ci-dessus.

et constituo... volens quod deinde, auctoritate propria, per vos vel per alios, quasi possessionem supradictorum omnium, a me vobis in escambium datorum, nanciscamini et apprehendatis. Interim vero constituo et cognosco me ipsa omnia pro vobis et vestro nomine ac precario, quasi possidere, nulla penes me quasi possessione remanente; promittens vobis, stipulacione interveniente, quod predicta omnia, in escambium a me data, faciam vos et vestros successores jure permutacionis seu escambii habere semper... Et pro evictione... obligo vobis et successoribus vestris me et omnia bona mea; iterata stipulacione vobis expromictens nil esse dictum... quominus predicta omnia et singula plenam et perpetuam obtineant firmitatem; renuncians ex certa scientia beneficio totius juris... quo posset obviari alicui de premissis; et hec omnia et singula suprascripta me observare... vobis promicto stipulacione interveniente sollempni.

Et nos, prefatus Petrus de Conchis, divina permissione Magalonensis episcopus, predictam assignacionem usaticorum acceptantes gratia hujus contractus seu scambii... donamus tibi, predicto Bernardo de Lauza draperio, et tuis, jure permutacionis seu escambii, ad omnes voluntates tuas et tuorum plenarie faciendas, videlicet illa viginti et tria sextaria censualia ordei et eminam, que nobis tenebaris prestare pro usatico quolibet anno. De quibus viginti tribus sextariis (1) et emina ordei, decem prestabas pro decem sextariis ordei censualibus, et pro duabus peciis terre, que pater tuus emit a Raimundo de Bejanicis; salvo tamen et retento nobis et successoribus nostris, et in istis predictis duabus peciis terre, et in istis decem sextariis ordei censualibus que dictus pater tuus emit, dominio, consilio, et laudimio, et illo usatico decem denariorium tantum, quod ante hunc contractum prestabas; quos decem denarios nobis solvere teneris quolibet anno, et aportare in domo nostra in festo sancti Egidii.

Item residua tresdecim sextaria ordei nobis prestabas, pro

(1) Cart.: *tria sextaria.*

sex peciis terrarum, et pro sex peciis vinearum, et pro omnibus heremis, et pratis, et cultis, et pro illo toto quod ad partem tuam mansi de Lauza pervenit; de qua parte et de quo toto plures pecias terrarum in emphitheosim dedisti, pro pluribus inde usaticis ordei tibi retentis, et tuis, et a te et tuis percipiendis nomine census quolibet anno. Que tresdecim sextaria tibi et tuis perpetuo, gratia hujus contractus, sive permutationis, seu scambii, remittimus et condonamus, et te et tuos omnes successores, et istas proxime dictas sex pecias terrarum, et sex pecias vinearum, et prata, et herema, et culta, et illud totum quod ad partem tuam mansi de Lauza pervenit, et omnia bona tua absolvimus et acquitamus ab istis XIII sextariis ordei; salvo tamen et retento nobis et nostris successoribus in hiis sex peciis terrarum, et sex peciis vinearum, et pratis, et heremis, et cultis, et in illo toto quod ad partem tuam mansi de Lauza pervenit, dominio, consilio et laudimio, et illo usatico tresdecim denariorum tantum, quod ante hunc contractum prestabas; quos XIII denarios nobis solvere teneris quolibet anno, et aportare in domo nostra de Montepessulano in festo sancti Egidii.

Item residuam eminam ordei nobis prestabas pro quadam pecia terre, quam dictus quondam pater tuus emit a Guillelmo Blanchardi; quam eminam, gratia hujus contractus, sive permutacionis, seu scambii, tibi et tuis perpetuo remittimus et condonamus, et te et tuos omnes successores, et istam proxime dictam peciam terre, et omnia bona tua absolvimus et aquittamus ab ista emina; salvo et retento tamen nobis dominio, consilio et laudimio in ista pecia terre, et in illo obolo pro usatico, quem obolum ante hunc contractum prestabas in festo sancti Petri de augusto; et illum obolum nobis et successoribus nostris solvere tenearis, et aportare in domo nostra de Montepessulano in festo beati Petri de augusto quolibet anno.

Volumus eciam et concedimus tibi et tuis, quod omnes predictas pecias terrarum et vinearum, et honores omnes et singulos, qui ad partem tuam mansi de Lausa pertinent et pertinere debent, tu et tui, gratia hujus contractus, sive per-

mutacionis, seu scambii, auctoritate vestra propria detis et concedatis, dare et concedere possitis, simul vel separatim, in emphitheosim quibuscumque volueritis, exceptis sanctis clericis et militibus, cum consilio tamen nostro vel successorum nostrorum ; et quod, in eisdem peciis terrarum et vinearum, et honoribus, usaticum, quod et quantum volueritis, vobis et vestris retineatis, et retinere possitis, retento tamen nobis et successoribus nostris, in qualibet quarteriata ipsarum peciarum et honorum, uno denario Melgorii pro annuo censu.

Promittentes tibi stipulanti quod ipsas donaciones et concessiones in emphitheosim a te et tuis faciendas, quibuscumque tu et tui volueritis, laudabimus et consiliabimus nos et successores nostri sine aliqua contradiccione : concedentes eciam quod, si emphiteote seu acaptatores ipsarum peciarum et honorum easdem pecias et honores, in solidum vel in partem, aliquo tempore vendere, seu detrahere, vel impignorare (1) voluerint, liceat tibi et tuis illas pecias et honores pre omnibus aliis retinere, pro precio quod alter ibi obtulerit et dare voluerit. Si vero ipsas pecias et honores deseruerint, ita quod usaticum tuum inde solvere noluerint, et ob hoc ipsas pecias et honores ad te reverteris, deinde non tenearis nobis in predictis singulis denariis uniuscujusque quarteriate solvendis.

Preterea volumus et concedimus tibi et tuis ut in ipsis peciis, et honoribus, et fructibus, et redditibus ipsorum, tu et tui, auctoritate vestra propria, quandocumque et quociens-cumque expedierit, compellere possitis et compellatis, ad vestrum usaticum persolvendum, possessores ipsarum peciarum et honorum, et qui eos tenebunt ; et eciam pignoretis et pignorare possitis.

Et, sollempni stipulacione interveniente, promittimus et convenimus tibi, quod predicta omnia et singula, tibi a nobis in escambium condonata et remissa, faciemus nos et successores nostri te et tuos semper habere... et pro evictione... obligamus tibi et tuis nos et omnia bona Ecclesie Magalonensis ; iterata eciam stipulacione tibi promictimus nil esse

---

(1) Cart.: *impignore*.

dictum... quominus predictus contractus, sive permutacio, sive escambium, et omnia predicta perpetuam obtineant firmitatem; renunciantes ex certa scientia beneficio totius juris... quo posset obviari alicui de premissis. Et quod hec omnia et singula... semper teneamus... tibi promittimus...

Item ego prefatus Bernardus de Lausa draperius, gratia hujus contractus, sive permutacionis, seu scambii, dono vobis predicto domino P[etro], Dei gratia Magalonensi episcopo, sex libras melgorienses, in quibus vobis plenarie satisfeci.

Et nos prefatus P[etrus] de Conchis, divina permissione Magalonensis episcopus, occasione et pro tornis predicti contractus, sive permutacionis, seu scambii, scimus et recognoscimus nos a te, dicto Bernardo de Lauza draperio, dictas sex libras melgorienses, vera numeracione interveniente, habuisse; in quibus renunciamus excepcioni non habite et non recepte pecunie, et non converse in utilitate Ecclesie Magalonensis.

Item laudamus et concedimus tibi et tuis omnia usatica ordei et denariorum, que percipis tam in parrochia Sancti Stephani de Bejanicis, quam [in] parrochia Sancti Johannis de Vedascio; et eciam omnia jura que habes in possessionibus, pro quibus usatica tibi fuerunt, exceptis illis XXIII sextariis et emina ordei, que nobis assignasti, sive in escambium dedisti.

Testes sunt Raimundus Alberti canonicus Magalonensis, magister Petrus de Oviliano officialis domini episcopi Magalonensis, Poncius Gaudini jurisperitus, Johannes Blanchi prior Sancti Ge[o]rgii, Cosma Malloli presbiter bajulus de Terrallo, et plures alii, et Petrus de Ponte, notarius publicus Montispessulani, qui, rogatus a partibus, hec scripsit.

(Reg. E, fol. 154 v°).

DXC. — 16 novembre 1252

Guillaume de Saint-Léonce vend à Delphine, veuve de Raimond de Roquefeuil, une maison sise à Brissac.

Pateat presentibus et futuris quod anno Incarnacionis Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, videlicet sextodecimo kalendas decembris, ego Guillelmus de Sancto Leoncio miles, per me et omnes meos successores... vendo... precio centum solidorum melgoriensium vobis, domine Dalphine, uxori quondam bone memorie nobilis viri domini Raimundi de Rocafolio, domini (1) quondam dum vivebat illius partis (2) castri de Breissaco, et jurisdiccionis ejusdem castri, quem vos modo tenetis et possidetis, et successoribus vestris universalibus et singularibus dominis, scilicet illius dicte partis castri predicti et jurisdiccionis ejusdem, quam vos modo tenetis et possidetis, videlicet stare meum totum et in solidum, liberum et absolutum, et absque omni impedimento, cum omnibus pertinenciis et appendiciis suis, et cum omnibus servitutibus quas habet vel habere debet, quod possideo nomine vestro.

Quod stare est in castro predicto de Breissaco, et confrontatur ex una parte cum carreria publica, et ex alia cum stari quondam Johannis de Barra, et ex alia cum domo Guillelmi Garnerii, et ex alia cum muro castri et cum portale Garnerii.

Vendo, inquam, vobis dicte domine Dalphine et successoribus vestris universalibus et singularibus, dominis scilicet dicte partis castri predicti quam vos modo tenetis et possidetis, stare preconfrontatum, et quicquid in eo est clavatum, fixum vel muratum, et de meo jure in vestrum [irrev]ocabiliter transfero precio supradicto, et cum hac carta publica, coram vocatis, et rogatis testibus infrascriptis profiteor et recognosco vobis, domine dicte Dalphine, numerando, michi a vobis plene satisfactum esse de toto dicto precio centum soli-

(1) Cart.: *dnim* ou *dictum* plutôt.
(2) Cart.: *portas*.

dorum; unde excepcioni non soluti precii (1) et non numerate peccunie, certus de facto et specialiter cercioratus de jure, specialiter et expresse renuncio. Et si preconfrontatum stare cum pertinenciis suis plus valet predicto precio, quantumcumque plus valeat, et plus duplo, quantumcumque totum, ex mera liberalitate mea et ex certa scientia vobis dono donacione inter vivos, et corporaliter trado; concedens vobis quod vos, auctoritate vestra, naturalem et corporalem [pre]-confrontati staris possessionem apprehendatis: et interim ego constituo me possidere nomine vestro precario; et promicto vobis stipulanti quod dictum stare superius confrontatum vos et successores vestros semper habere et tenere faciam quiete et in pace, et ab omni contradicente et inquietante jure defendam; et si preconfrontatum stare... evictum fuerit, promicto vobis stipulanti quod ego preconfrontatum stare vel quod evictum fuerit, cum omni indempnitate vestra vobis restituam; et pro eviccione et indempnitate obligo vobis omnia bona mea, que habeo vel habiturus sum, et in omnibus bonis meis regressum vobis dono, et expressam constituo yppothecam.

Item promicto vobis me nichil dixisse... quominus predicta vendicio perpetue [robur] obtineat firmitatis, et quod nichil in ipso stari ab aliquo seu ab aliquibus habui, vel tenui, nisi tantum a vobis et a domino Raimundo de Rocafolio, quondam marito vestro; promictens eciam vobis, sub oblagacione omnium bonorum meorum, me curaturum et effecturum quod Fides, filia mea, predictam vendicionem preconfrontati staris, et omnia universa et singula suprascripta laudabit et confirmabit ad commonicionem vestram, quandocumque me commonueritis vel commoneri facietis, et jus, quod in preconfrontato stari habet vel habitura est, vobis dabit, solvet, et cedet, et derelinquet imperpetuum et successoribus vestris, ad cognicionem jurisperiti a vobis electi, cum juramento ab ipsa corporaliter prestito, et cautelis, et renunciacionibus sufficientibus et necessariis, et sine expensis vestris et datione peccunie.

---

(1) Cart.: *non solum precio.*

Et quod hec omnia universa et singula, prout superius scripta sunt et discussa, et quanto melius et firmius ad utilitatem seu comodum vestri, dicte domine Dalphine, et successorum vestrorum, possunt intelligi, vel ab aliquo eciam jurisperito dictari, rata, firma, inconcussa et immobilia perpetuo bona fide teneam.... ego dictus Guillelmus de Sancto Leoncio venditor... renuncians (1) specialiter et expresse legi et juri, promictenti vel indulgenti quod si quis vendiderit rem suam minus dimidio justi precii, restituatur, vel ad supplendum sibi justum precium.... vobis, dicte domine Dalphine stipulanti, et successoribus vestris, sub obligacione omnium bonorum meorum, per hec sancta Dei evangelia, que manu dextera tango corporaliter, promicto et juro.

Facta sunt hec juxta ecclesiam Sancti Nazarii, que est parrochialis ecclesia dicti castri de Breissaco, in quadam domo que est contigua dicte ecclesie, coram rogatis et convocatis testibus, videlicet Berengario de Fara et Bernardo de Sancto Juliano militibus, Raimundo Morruto, Johanne *del Maire*, Petro Rainaldi, et coram me Petro de Castlario (2), publico notario, qui, mandato parcium, hec scripsi, et ad cautelam signum meum apposui.

(Reg. A, fol. 265 v°).

DXCI. — 27 février 1252 n. s. 1253

Vente d'une maison à Brissac.

Pateat presentibus et futuris quod, anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, scilicet quarto kalendas marcii, ego, Johannes de Valle Boisseria, parrochie Sancti Baudilii de Peduzis... vendo... tibi Raimundo Morjut, habitatori castri de Breissaco et successoribus tuis ad tuas et tuorum successorum voluntates, in vita et in morte

(1) Cart.: *renunciatis*.
(2) Cart.: *Castelano*.

plenarie faciendas, scilicet quoddam stare cum curte, ipsi stari contigua, et omnibus pertinenciis suis, quod possideo nomine tui dicti Raymundi.

Quod stare est in barrio castri de Breissaco, et confrontatur ex una parte cum parraneis domini Raimundi Petri, et ex alia cum carreria publica, qua itur a dicto castro versus molendinum domini comitis Ruthenensis, et liberorum suorum, et ecclesie Sancti Nazarii, et ex alia cum domibus et curte tui dicti Raimundi.

Vendo, inquam, tibi, dicto Raimundo Morjuti, stare predictum precio quadraginta solidorum melgoriensium. De quo quidem precio cum hoc publico instrumento, [coram] vocatis et rogatis testibus infrascriptis, profiteor et recognosco michi a te plene satisfactum esse, numerando; unde excepcioni non numerate peccunie et non soluti precii specialiter et ex certa sciencia renuncio. Et si stare predictum cum curte et pertinenciis suis plus valet... illud totum... tibi et tuis dono... concedens tibi auctoritatem et mandatum, quod tu, auctoritate tua, intres et adhipiscaris naturalem et corporalem possessionem dicti staris; et interim ego constituo me naturaliter tuo nomine possidere; et promitto tibi, dicto Raimundo Morjuti stipulanti, quod stare superius confrontatum, cum curte et pertinenciis suis, te et tuos successores semper habere et tenere faciam quiete... Et si... pars quantulacumque... evicta fuerit... obligo tibi omnia bona que habeo, vel habiturus sum, et in omnibus bonis que habeo vel habiturus sum regressum tibi dono, et expressam tibi constituo ypothecam; promittens tibi quod nichil feci... quo predicta minus obtineant firmitatem ... renuncians specialiter et expresse legi et juri permittenti vel indulgenti, quod si quis vendiderit rem suam minus dimidie justi precii, restituatur, vel ad supplendum sibi justum precium, vel refuso ab ipso precio recepto ad rem venditam recuperandam; et generaliter omnibus legum et canonum auxiliis... michi danti vel dantibus ad contra veniendum auxilium ... et tactis corporaliter sacrosanctis Dei evangeliis juro.

Et nos Dalphina de Rocafolio, pro nobis et domino Ugone, Dei gracia comite Ruthenensi, et liberis suis et Hysabellz

condam matre nostra (1), uxore dicti domini comitis, predictum stare, cum curte et omnibus pertinenciis suis, et omnia et singula supradicta laudamus et concedimus tibi, dicto Raimundo Morjuti, et tuis, et quibus volueris, exceptis tamen militibus, clericis, et ecclesiis, et locis sive domibus religiosis, salvo et retento nobis et dicto domino comiti, et liberis suis, dominio et jurisdiccione, et laudimiis, et consiliaturis, et censu annuo duarum gallinarum : que due dicte galline dantur nobis annuatim tam pro dictis stari et curte, quam pro quibusdam aliis possessionibus et domibus, quas a nobis tenes in dicto barrio castri predicti ; et recognoscimus tibi stipulanti nos a te habuisse, pro hoc laudimio, tres solidos et quatuor denarios melgorienses numerando.

Acta sunt hec apud Breissacum (2) in quodam porticu, juxta turrem quam dictus comes habet pro uxore, presentibus et rogatis testibus Petro Gaucelmi de Folkaquerio milite, Guillelmo Morjuti, Raimundo de Sancto Nazario, Petro Brocini, Bonafos clerico, Bernardo Conilli et pluribus aliis, et me Petro de Castlono publico notario, qui, mandato partium, hec scripsi et signum meum opposui.

(Reg. F, fol. 214 r°).

Delphine, mentionnée dans cet acte, est la femme de Pierre Pelet et la fille de Hugues de Rodez, qui épousa Élisabeth de Roquefeuil. — Voir le Tableau généalogique que nous avons donné dans ce volume (p. 356).

DXCII. — 12 janvier 1253 (n. s. 1254)

Les consuls de Montpellier refusent de comparaître à Barcelone devant Jacques, roi d'Aragon.

Certum sit presentibus et futuris quod cum Martinus Lobes clericus fecisset presentibus consulibus (3) Montispessulani,

---

(1) Cart.: *filie nostre*.
(2) Cart.: *Breissaco*.
(3) Cart.: *consulis*.

scilicet Petro Cabal, Johanne Bartholomei, Petro de Carnacio, Berengario Atbrandi, Johanne Tabernarii, Ugone de Quatuor Casis, Raymundo Helie, Michaele Raustit, Raynardo de Volio, Petro de Galazanicis, Bertrando Agone et Johanne de Tornamira, quasdam litteras, in quibus continebatur quod dominus rex Aragonum, Majoricarum et Valencie, comes Barchinone et Urgelli, et dominus Montispessulani, citabat eos peremptorie, et mandabat eis quod, quintadecima die post recepcionem earumdem, per se vel instructum procuratorem comparerent coram eo apud Barchinonam, parati firmare et facere jus in posse ipsius domini regis, super questionibus et querelis, quas de eis et universitate Montispessulani faciebat, et facere intendebat ; pro quibus eosdem consules alias citaverat, ut in dictis litteris continebatur expressius ; dicti consules responderunt eidem Martino Lobes et propositis ab eo in hunc modum :

Que proposuistis et dixistis vos, Martinus Lobes, ex parte dicti domini regis, nos predicti consules Montispessulani intelleximus, et citationem ejus non recepimus, nec ad diem quam assignat seu locum, pro questionibus seu querelis, quas de nobis vel universitate nostra facit, veniremus nec coram eo litigaremus de predictis : quia non potest esse judex vel cognitor, per se vel per alium, in questionibus vel querelis, quas de nobis vel de dicta universitate nostra facit. Et si esse posset judex vel cognitor aliquomodo de predictis, non posset nec deberet nos citare extra territorium Montispessulani.

Propter que gravamina que nobis inferebat, et adhuc per eundem dominum regem timebamus inferri, si ipse dominus rex posset esse judex vel cognitor aliquatenus de predictis, ad dominum episcopum Magalonensem, a quo villam Montispessulani et terram istam tenet in feudum, appellamus et de dictis gravaminibus ei conquesti fuimus.

Unde in hac citacione, quam modo de novo facit, de facto dicta appellacione seu gravaminis conquestione pendente, nos gravat contra justiciam.

Quare, si, aliquo modo vel intellectu, idem dominus rex judex esse posset, vel cognitor de predictis questionibus seu querelis, non conseneiendo aliquo modo in ipsum dominum regem, ad dictum Magalonensem episcopum, vel ad eum ad quem de jure appellatio vel conquestio pervenire debet, interim appellamus ; et de dictis gravaminibus, jam illatis et inferendis, eidem conquerimus, et questionem nostram iterum eidem, vel ei ad quem de jure pertinet, vel fieri debet, ad cautelam exponimus, de presenti conquestionibus seu appellacionibus, a nobis et ab universitate nostra, seu pro nobis et universitate nostra, ad dictum dominum episcopum factis, in suo robore duraturis ; dicentes vobis, Martino Lobes supradicto, nos per ipsos [coram] domino rege quoad suam citacionem [de] predictis non veniemus, sed ei juri sistemus de omnibus coram domino episcopo supradicto, vel coram eo ad quem cognicio pertinet predictorum.

Facta fuit hec responsio dicto Martino Lobes, et appellatio et conquestio dicto domino episcopo a predictis consulibus, apud Montempessulanem, anno Dominice Incarcionis M° CC° LIII°, pridie idus januarii, in presencia et testimonio Guillelmi de Barnhoriis, Raimundi de Gardiis, Jacobi Boisson, Poncii Gaudini, Raimundi de Altiniaco jurisperitorum, Bernardi de Bernicio, Bernardi Catalani notariorum, Guillelmi Lamberti, Petri Bonifacii, Guillelmi de *Cruzols*, Petri de Bordellis, Petri Luciani, Stephani Capsan, magistri Poncii de Sancto Egidio fisici, Bernardi Ricardi, Petri de Murlis, Bernardi Frotgerii, Petri Salvaire, Thoseti de Ausaco, Stephani *Roy*, Deodati Petri, Ugonis Fabri, Johannis de Casis, Petri de Rippa, Deodati Fabri, Nicolai de Sancto Nicolao, Symonis Ricardi, Bernardi Rocaroia, Bernardi de *Rihom*, Baldohini Basilii, Bernardi de *Lechos*, Bernardi Lupi, Stephani de Canderianicis, et Raimundi Dosca Montispessulani notarii, qui, mandato dictorum consulum, hec omnia scripsit.

Post hec, anno quo supra, idus januarii, omnes consules superius nominati reddiderunt in scriptis dicto domino P[etro], Magalonensi episcopo, appellacionem et questionem superius

contentam, in presencia et testimonio Petri Salvaire, Guillelmi Lamberti, Guillelmi de *Cruzols*, Nicolai de Sancto Nicolao, Ugonis Fabri, Petri de Bordellis, Stephani Capsan, Petri Bonifacii, Jo. de Casis, Stephani de Canderanicis, Bernardi Rocaroia, Petri de Rippa, Thoseti de Ausaco, Deodati Fabri et Raimundi Dosca, Montispessulani notarii, qui, mandato dictorum consulum, hec scripsit.

(Reg. E, fol. 115 v°).

DXCIII. — 11 février 1253 (n. s. 1254)

Frère Paul, précepteur du Saint-Esprit de Montpellier, reconnaît tenir de l'évêque le mas de Ferrières.

Noverint universi, quod nos frater Paulus, preceptor domus Sancti Spiritus de Montepessulano, per nos et pro nostris omnibus successoribus, et fratribus predicte domus, site extra muros Montispessulani, recognoscimus vobis venerabili in Christo patri et domino P[etro], Dei gratia episcopo Magalonensi, quod nos habemus et possidemus, et tam nos quam predecessores nostri longissimo tempore habuimus et possedimus, infra territorium et districtum comitatus et dominacionis Melgorii et Montisferrandi, in parrochia et decimaria ecclesie Sancti Michaelis de Agusanicis, in dicto territorio et districtu, mansum scilicet de Ferreria, et domos, et edificia, et forcia, et municiones ejusdem mansi et eidem manso coherentes, cum omnibus ejus terris cultis et incultis, pratis, pascuis, et venacionibus, nemoribus, garrigis, juribus et rebus, et generaliter omnia que, per nos vel alios, habemus, tenemus, vel possidemus, vel quasi in toto dicto manso, et appendiciis, et pertinenciis ejus, et in tota dicta parrochia, vel decimaria; et quod vos et antecessores vestri, in dicto manso et in aliis predictis, ratione generaliter jurisdiccionis, et districtus, et territorii Melgorii vel Montisferrandi, habuistis, habetis, et habere debetis, vos et vestri successores, omnem jurisdiccionem, scilicet merum imperium et mixtum, et omnem aliam

jurisdiccionem in delictis, et quasi delictis, et contractibus, et quasi contractibus, tutelis, curis, et aliis que consueverunt per judicum officium expediri, scilicet in personis vel adversus personas que non sunt vel essent de collegio nostro ; salvis tamen privilegiis a Sede Apostolica nobis indultis.

Et nos P[etrus], divina miseracione Magalonensis episcopus, volumus universis fieri manifestum, quod nos, in nullo errantes, scilicet de facto certi, et de jure consulti plurimum et instructi ; per nos et pro nostris omnibus successoribus recognoscimus vobis, fratri Paulo, preceptori domus Sancti Spiritus de Montepessulano, pro vobis et successoribus vestris et fratribus predicte domus, site extra muros Montispessulani, quod vos habetis et possidetis, et habere et possidere debetis, et habuistis, et possidetis, certo, vero et justo titulo, pro libero et franco alodio, anni sunt quinquaginta quinque et plus, infra territorium et districtum comitatus et dominacionis Melgorii et Montisferrandi, in parrochia et decimaria ecclesie Sancti Michaelis de Agusanicis, in dicto territorio et districtu, mansum scilicet de Ferreria suprascriptum, et domos, et edificia, et forcia, et municiones ejusdem mansi, et eidem manso coherentes, cum omnibus ejus terris cultis et incultis, pratis, pascuis et venacionibus, nemoribus, garrigis, juribus et rebus, et generaliter omnia que per vos vel alios habetis, et tenetis, vel possidetis, vel quasi, in toto dicto manso, et appendiciis, et pertinenciis ejus, et in tota dicta parrochia, vel decimaria, et quod nos vel successoribus nostri, in dicto manso vel aliquo predictorum, non habemus nec habere debemus dominium, vel consilium, vel servicium quodcumque ;

Racione tamen jurisdictionis, et districtus, et territorii Melgorii vel Montisferrandi, habuimus nos et antecessores nostri habuerunt, habemus et habere debemus, videlicet merum imperium et mixtum, et omnem aliam jurisdictionem in delictis et quasi delictis, et contractibus et quasi contractibus, tutelis, curis, et aliis que consueverunt per judicis officium expediri, scilicet in personis vel adversus personas, que non sunt vel essent de collegio vestro, nulla tamen in confratribus vestris, sororibus, et donatis, salva autem nobis

jurisdiccione predicta; si, in dicto manso vel in aliis predictis, nos vel successores nostri aliquid habemus vel visi essemus habere, id totum, sine omni retencione et servicio [et] usatico, in salutem et redempcionem animarum nostrarum, vobis et domui dicte conferimus imperpetuum et donamus.

Acta sunt hec omnia supradicta et singula et recognita, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo tercio, videlicet tercio idus februarii, in presencia et testimonio magistri Florencii, rectoris ecclesie Sancti Justi, magistri Johannis Brunenchi, notarii domini Magalonensis episcopi, Johannis Blanchi prioris Sancti Georgii, Fredoli de Ruppe castellani Montisferrandi, Poncii prioris de Teirano, Bernardi de Leirissio prioris de Cornone Sicco, et mei Duranti de Melgorio, publici Montispessulani notarii, qui, mandato et precibus utriusque partis, hec omnia scripsi.

Item, ipsa eadem die, fratres domus Sancti Spiritus inferius nominati, in capitulo existentes, videlicet frater Rotgerius, frater R^{us}, frater Mons Regalis, frater P. de Roma, Guillelmus Crosati, Guillelmus de Castriis, Vitalis de Albio, P. Gaschi, frater Gitbertus, frater Johannes Augerii, B. Yrlerdensis, Guillelmus Agulloni, P. de Barasco, frater Egidius, frater Brunus et frater Gido, prius ab eisdem tenore hujus presentis et publici instrumenti diligencius intellecto, in nullo errantes, sed de facto certi et de jure consulti plenissime et instructi, recognoverunt Johanni Blancho, priori Sancti Georgii, stipulanti et recipienti pro domino episcopo Magalonensi, cujus negocium gerit utiliter in hac parte, recognicionem predictam a dicto preceptore fore factam voluntate eorumdem fratrum et assensu ; et omnia et singula, in ea contenta, esse vera, ipsam eandem recognicionem laudantes, et eciam approbantes.

Huic approbacioni, a dictis fratribus facte, testes adfuerunt Fredolus de Ruppe, Turpinus de Anglada, Bernardus de *Leiris*, et quidam alii, et dictus Durantus de Melgorio, publicus Montispessulani notarius, qui, rogatus tam a dictis fratribus quam a dicto Johanne Blancho pro domino Magalonensi epis-

copo, sic fieri requirente, hec omnia scripsit, et signum suum hic apposuit.

(Reg. E, fol. 312 r°).

DCXIV. — 11 mai 1254

Vente d'une terre sous la directe de Sainte-Marie de Melgueil.

Anno Dominice Incarnacionis M° ducentesimo LIIII^to, V idus maii, ego Petrus Escarit, et ego Pontia, uxor quondam Mathei Escarit, tutrix Johannis, et Petri, et Marie, et Bernarde, liberorum meorum et dicti Mathei Escarit, per nos et per alios liberos,... vendimus... tibi Raimundo Escarit et ejus (*sic*), ut plus offerenti in quibuscumque volueris ad omnes tuas... exceptis... salvo tamen dominio, consilio, laudimio et usatico II sestariorum et eimine ordei, et sex denariorum melgoriensium domino episcopo, pro ecclesia Sancte Marie de Melgorio, et ipsi ecclesie, duas partes cujusdam pecie terre; in qua tota pecia terre tu habes terciam partem, et de tota pecia terre damus dictum usaticum.

Que terra predicta confrontatur a corina cum caupoleria, a vento cum terra Petri Aloardi, vallo in medio; ab aquilone cum terra uxoris Guillelmi Ferrandi, a circio cum terra liberorum quondam Arnaldi Cathalani.

Pro hac autem venditione habuimus et recepimus a te, nomine precii, de duabus partibus predicte terre supradictis, XL solidos, quorum penes te nichil de illis remansit vel eciam ad solvendum; in quibus renuncio exeptioni non habite pecunie. Et si plus dicto precio hec venditio valet vel in futurum valebit, duplum, triplum vel eciam amplius, illud totum tibi et tuis donamus; et tibi stipulanti promittimus quod hanc venditionem et hec omnia firma teneamus, et contra nunquam veniamus, ab omni contradicente semper jure deffendemus; et si quid inde aliquando ablatum vel evictum tibi jure fuerit, totum tibi et tuis restituemus; et non diximus... quominus predicta omnia et singula in sua permaneant firmitate; renun-

cians omni juri... et omnibus auxiliis et beneficiis quibus contra venire possemus; et ego predicta Poncia minoris etatis auxilio, in integrum restitutioni; et inde obligantes nos et omnia bona nostra et dictorum liberorum, et sic observabimus, et contra nunquam veniemus, per hec sancta Dei euvangelia a nobis corporaliter tacta.

Et ego Pontius Audiberti, vicarius Melgorii pro domino episcopo, laudo et confirmo predictam terram et omnia suprascripta tibi, Raimundo Escarit, et tuis; et habui inde a te, nomine laudimii et consilii, X solidos melgorienses.

Testes sunt Symon Pelliparius clericus, Raimundus Lodeva, Guillelmo de Manso, et Bernardus Barnerii notarius, qui, rogatus a partibus, hec omnia scripsit.

(Reg. B, fol. 101 v°).

DXCV. — 21 décembre 1254

Pierre de Conques donne à acapte certaines terres situées aux barrys de Montpelliéret, sous certaines conditions.

Quoniam prelati ecclesiarum, ex injuncti officii debito, totis tenentur affectibus earum comoda promovere; idcirco nos P[etrus] de Conchis, divina miseratione Magalonensis episcopus, videntes et manifeste reperientes, habito prius cum plurimis concilio et tractatu, magis expedire nobis et Magalonensi Ecclesie, terras, in barrio Montispessulaneti sitas, que in nostra sunt jurisdiccione, concedere hiis qui a nobis tenent eas sub annuo censu et modico, ut eas possint dare in emphiteosim aliis et concedere sub annuo censu, et laudare vendiciones que inde fient, et laudimia ex eis percipere, ut locus populetur, et nostrum territorium et jurisdiccio habitantibus repleantur, retento nobis tamen et nostris successoribus directo dominio et laudimio, si tocius rei ab illis, cujusmodi sunt terre, fieret venditio in personas ex recta linea descendenti non procedentes; ob quam si terre predicte remanerent inedificate, nec venderentur, et modicum eis censum perciperemus impositum ab antiquo per nos et omnes successores nostros:

Damus et concedimus in feudum vobis, Girardo Garnerio de Lugduno, et Marie uxori tue, et Stephano Insura, filio dicte Marie, et vestris, ut quendam campum nostrum, qui in territorio Montispessulaneti et jurisdiccione nostra est, et in quo habemus dominium, laudimium, et concilium, et sex denarios melgorienses tantum, annuatim, pro usatico, possitis totaliter vel particulariter dare quibuslibet, exceptis tamen sanctis clericis et militibus, et sub annuo censu vel censibus nostro arbitrio inponendis.

Qui campus confrontatur cum honore Berengarii de Conchis et Petri de Ripa, via in medio; et deinde tenet se cum domo de Vatula Vilana, et cum domo Marie Orllague, et cum honore Polverelle, et cum honore *d'en* Verrierras, et cum honore de Vatornagua, et cum honore de *na* Bornissa, et ex alia parte confrontatur cum honore dicte Polverelle, et dicti Berengarii, garillano in medio;

Ita tamen quod acapita, seu ea que pro acapito habitis, sint nostra propria sine aliqua portione vestra; et quod vendiciones et alienationes, que fient emphiteoticariis predicte terre seu campi, et eorum successoribus, laudetis et laudare possitis, et jus habeatis laudandi et laudimia percipiendi, vos et vestri successores per rectam tamen lineam descendentem provenientes;

Scilicet si contingeret quod vos, vel aliquis vestrum, seu successorum vestrorum, predictum feudum seu quantulamcumque partem ipsius in aliquem extraneum, qui non esset de dicta linea descendencium, alienaretis, illud totum quod alienaretur, sive esset totum feudum, vel ejus aliquantula pars, ad nos et successores nostros et Magalonensem Ecclesiam ex tunc reverteretur pleno jure, ita quod in eo quod esset alienatum, vos et vestri successores nichil in antea habebitis; et nichilominus a recipiente dictam alienationem nos et nostri successores laudimium haberemus.

In hoc vero campo et feudo, in quo non habebamus nisi sex denarios supradictos, retinemus nobis et nostris successoribus, et imponimus pro censu X solidos melgorienses annuatim in festo beati Michaelis perpetuo persolvendos.

Si autem inter vos et vestros, recta linea descendentes, fieret particularis alienacio dicti feudi, volumus quod dictum feudum dividatur, et equo libramine partibus inponatur.

Nomine autem hujus concessionis et dacionis, scimus et fatemur nos habuisse XXX libras melgorienses, quas fatemur esse versas in utilitatem nostram; in quibus renunciamus excepcioni non numerate peccunie; promictentes per sollempnem stipulationem, quod dictum feudum faciemus vos et vestros, recta linea descendentes, tenere, habere et pacifice possidere, sicud superius est expressum, et ab omni persona contradicente vel inpugnante jure defendemus; obligantes pro eviccione totali vel particulari, si exinde fieri contingeret, bona et jura episcopatus nostri; et promictimus eciam, sollemni stipulacione interposita, quod contra predicta vel aliquid de predictis, per nos vel per alium, non veniemus; sed omnia et singula, sicud superius sunt expressa, rata et firma volumus permanere; renunciantes beneficio restitucionis in integrum, et omni juri, et racioni, et privilegiis, quibus possemus contra venire.

Acta fuerunt hec apud Montempessulanum, in aula dicti domini episcopi, anno Dominice Incarnationis M° II^c LIIII^to, XII° kalendas januarii, in presencia et testimonio Jacobi Boisson jurisperiti, Petri Garsini, Bernardi Razeire rectoris de Sursanicis, Poncii Triaire rectoris de Albaterra, Guillelmi Sartre clerici, Andree de Grabiaco, et mei Johannis Brunenc, dicti domini episcopi in sua dyocesi et comitatu Melgorii et Montisferrandi publici notarii, qui mandatus hec scripsi, et signo meo signavi.

(Reg. D, fol. 313 v°).

DXCVI. — 22 février 1254 (n. s. 1255).

Donation à acapte de l'étang de Balaruc.

Anno Incarnationis Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo IIII^to, videlicet octavo kalendas marcii, ego Raimundus Capolatoris, bajulus castri de Balazuco pro domino P[etro],

Dei gratia Magalonensi episcopo, auctoritate michi a dicto domino episcopo concessa, et ob evidentem utilitatem et proficium dicti domini episcopi.... jure accapiti trado et concedo vobis, Guillelmo de Gordono, militi, et Raimundo Capolatori filio meo et nostris, ad omnes voluntates vestras [et] vestrorum ... exceptis... [cum] tamen consilio dicti domini episcopi vel successorum suorum, scilicet totum stagnum quod est in terminio castri de Balazuco, de loco qui dicitur *morre del sabre*, usque ad locum qui vocatur Balmeta ; et in profundum, tantum quantum una corda de *boliet* se extendere poterit ad faciendas manigueiras.

Propter hanc autem accapiti dacionem, dedistis michi, nomine accapiti, viginti solidos melgorienses, in quibus ex certa scientia renuncio excepcioni non numerate peccunie et non soluti accapiti.

Et est sciendum quod de omnibus pissibus seu piscaturis, que in dicto accapito capientur, vos et vestri dabitis, dicto domino episcopo et successoribus suis, fideliter septimam partem, et annuatim, in festo sancti Michaelis, unum denarium melgoriense pro usatico.

Et promitto et convenio vobis per stipulationem quod ego, et dictus dominus episcopus, et successores nostri custodiemus et defundemus quod, in dicto accapito infra supradictos terminos, aliquis alius non faciat aliquas resutas nec *gaet,* nisi vos vel nostri ; et ita ego, et dictus dominus episcopus, et successores nostri dictum accapitum faciemus vos et vestros semper habere... et pro eviccione... obligo vobis et vestris bona dicti domini episcopi, que sunt sub mea amministratione. Sic vobis stipulantibus promitto per bonam fidem meam requisitam.

Testes sunt Petrus Stephani, et Jacobus Molnerii, et ego Salvator, notarius publicus castri Porciani et tocius jurisdiccionis domini Magalonensis episcopi, qui mandato partium hec scripsi.

Post hec anno Dominice Incarnationis M° CC° LV°, videlicet IIII^to idus augusti, dominus P[etrus] de Conchis, Dei

gratia Magalonensis episcopus, per se et per omnes successores suos, omnia et singula suprascripta laudavit, approbavit et confirmavit inperpetuum Guillelmo de Gordono militi, et Raimundo Capolatori, supradictis stipulantibus, et suis.

Testes sunt dominus Berengarius Arnaudi archipresbiter Magalonensis, Bernardus Rasoris sacerdos, Bernardus Sabaterii, Poncius prior de Albaterra, et ego supradictus Salvator notarius, qui mandato partium hec omnia scripsi.

(Reg. F, fol. 207 v°).

DXCVII. — 15 mars 1254 (n. s. 1255)

Alexandre IV approuve les privilèges accordés par Pierre de Conques au monastère de Notre-Dame du Paradis à Montpellier.

(Reg. F, fol. 196 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone,* t. II, p. 306.

DXCVIII. — 7 avril 1255

Bernard de Bruguières, prieur de Saint-Martin de Londres, fait hommage à l'évêque.

Hujus publice scripture testimonio pateat presentibus et futuris, quod ego, Bernardus de Brugueriis, prior ecclesie Sancti Martini de Lundris, pro me et successoribus meis, et pro ecclesia eadem, gratis et spontanea voluntate... recognosco vobis domino Petro de Conchis, Dei gratia episcopo Magalonensi, quod ego teneo, tenere debeo et volo in feudum honoratum, a vobis et vestris successoribus, omnia illa et singula quecumque sint, et qualiacumque, que nuper emi a Bertrando Guillelmi armigero, prout in instrumento vendicionis ipsius confecto per manum Petri de Valle Arnaldi, notarii publici Aniane, continetur; ita quod ego et mei successores, dictum feudum tenentes, possimus in ipso et de ipso feudo in emphiteosim impignorare, permutare, laudare venditiones et alios

contractus, laudimia et accapita recipere, usatica et excorrencias seu commissa constringere, et vendicare, ac alia facere que, in feudis et de feudis honoratis, fieri et agi potest, solet et debet; et hoc sine vestro et vestrorum successorum laudimio, consilio et assensu, nisi in totum vel in parte majore, sine aliqua retencione, fieret a me vel tenentibus ipsum feudum alienatio dicti feudi.

Pro ipso autem feudo, ego et mei successores, tenentes ipsum feudum, faciemus et facere tenebimur vobis et vestris successoribus, annuatim, cum requisiti fuerimus, albergam unius militis: de anno vero vel annis in quibus non requiremur, minime tenebimur, et quod, propter cessationem sine requisicione, non possit feudum cadere in commissum.

Et ego dictus prior, in presenti, junctis manibus meis, facio vobis et juro super sancta Dei evangelia fidelitatem, vitam et membra, et que in sacramento fidelitatis continentur, dato firmitatis osculo atque pacis.

Et nos P[etrus], divina miseracione Magalonensis episcopus supradictus, recipientes dictam recognicionem, salvo jure nostro, et nostrorum successorum, ac Magalonensis Ecclesie, in omnibus aliis que monasterium Sancti Guillelmi de Desertis habet, vel visum est habere, in villa Sancti Martini de Lundris et ejus pertinenciis, per nos et nostros successores laudamus et confirmamus dictam vendicionem vobis, dicto priori, et successoribus vestris, promictentes defendere et juvare vos, dictum priorem, et successores vestros, et ecclesiam vestram, tanquam fideles, et vassallos, ac feudarios nostros; et ad majoris gratie cumulum et favoris, remittimus, vobis et successoribus vestris, quicquid ad nos seu nostros successores, ratione laudimii dicte vendicionis, pertinere posset vel pertineat ista vice.

Acta sunt hec apud Montem Pessulanum, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, septimo idus aprilis in presencia et testimonio domini Petri, abbatis Aniane, domini Johannis Gundalrici, prepositi, domini Guillelmi Christofori archidiaconi, Berengarii Arnaldi archipresbiteri, magistri Raimundi de Claromonte, canonicorum

Magalonensium, Raimundi Pentric monachi dicti monasterii, magistri Guillelmi Gillori et Johannis Brunenc dicti domini episcopi in sua diocesi et comitatu Melgorii et Montisferrandi, qui mandatus hec scripsi et signo meo signavi.

Post hec vero anno quo supra, scilicet in festo beati Guillelmi, dominus Guillelmus de Duabus Virginibus, Dei gratia abbas, et totus conventus monasterii Sancti Guillelmi de Desertis, lecto coram eis cum diligentia de verbo ad verbum predicto recognicionis instrumento, ex certa scientia unanimiter laudaverunt et approbaverunt dictam recognicionem et omnia et singula supradicta, scientes et cognoscentes ipsa esse facta de suo consilio et consensu.

Acta sunt hec apud dictum monasterium, in capitulo ubi erant more solito congregati, in presentia et testimonio Bernardi de Podio cappellani de Mairosio, Berengarii de Gallaco notarii, Bernardi Bosmundi, Guillelmi de Crecio, clericorum, Dalmacii de Fontesio domicelli, et mei Johannis Brunenc publici Sancti Guillelmi notarii, qui mandatus hec scripsi et signo meo signavi.

(Reg. F, fol. 222 v° ; édité en partie par M. l'abbé Bougette, dans *Hist. de Saint-Martin de Londres*, p. 280).

DXCIX. — 4 mai 1255

Reconnaissance faite à Pierre de Conques (1).

Anno Dominice Incarnacionis M° CC° quinquagesimo quinto, videlicet quarto nonas madii, ego Guillelmus Corregerii, piperarius,... cognosco vobis domino Petro de Conchis, Dei gratia Magalonensi episcopo, quod vos in illo predio meo, quem ego accaptavi de domino Raimundo de Conchis majore, quod est in acapite optfui, quod est ante ecclesiam Fratrum Mi-

(1) Nous donnons cet acte tel que nous le trouvons dans le *Cartulaire*.

norum, camino de Latis in medio, et quod confrontatur ex una parte, videlicet ante, cum carreria que movet de portali Fustarie, que furcatur seu dividitur in caminum quo itur ad Latas, et ex alia parte cum dicto camino de Latis; et ex parte alia, cum alio dicto camino de Javenanaliter, et ex alia parte cum (1) domo orti et cum paseiro ipsius dicti domini Raimundi de Conchiis; vos, inquam, dedistis michi per sortem (2) predii confrontati biscalinum extra portas et parietes, cum carreria exeuncione per decem palmas ad cannam, et per laterra dicti predii biscalinum scimiliter exeuncione in carrerias extra portas et parietes per sex palmas ad cannam; qui omnes biscalini ala debent esse a terra per quindecim palmis ad cannam.

Item quod dedistis et concessistis michi tabulas, sive hec quod possim facere tabulas per totam dictam spontem perduasnontati exeuntes extra portas et parietes latitudinis quatuor palmarum ad cannam, et per latera dicti predii similiter tabulas, extra portas et parietes, latitudinis duarum palmarum ad cannam.

Et quod dacio, concessio dictorum biscalinorum et tabularum ad nos et ad successores nostros spectat seu in solidum pertinet pleno jure.

Testes sunt Raimundus Boudrot, Guillelmus Rocelli piperarius, Petrus Firmini corretarius, Johannes Grodasre, prior ecclesie de Monte Arnaldo, et Guillelmus Arnaldi, publicus Montispessulani notarius, qui rogatus hins inde hec scripsit.

(Reg. C, fol. 133 v°).

DC. — 10 mai 1255

Alexandre IV confirme à Ruffin, chanoine de Verceil, la possession de l'église de Ganges.

(Reg. F, fol. 212 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 310.

(1) Cart.: *parte potest cum.*

(2) Cart.: *fontem.*

DCI. — 12 septembre 1255

L'archevèque d'Aix, Gui Fulcodi, etc. reconnaissent l'erreur qu'ils ont commise au sujet du péage de Restinclières.

Noverint universi quod nos Philippus, Dei gratia Aquensis archiepiscopus, frater Poncius de Sancto Egidio de ordine Fratrum Predicatorum, frater Guillelmus Roberti de ordine Fratrum Minorum, et Guido Fulcodii, ad querimoniam hominum de Sumidrio, qui dicebant quod emptores pedagii Sancte Crucis, ad venerabilem patrem Magalonensem episcopum pertinentis, occasione dicti pedagii capiebant pignora mercatorum, per Sumidrium transeuntium, tam apud Sumidrium quam apud Lentresclerias prohibuimus id fieri, credentes tunc quod villa de Lentrescleriis esset de domini regis districtu ; sed postea pro certo comperimus dictam villam esse de Melgorii comitatu.

Ideoque cum de terra episcopi, quam a domino rege non recognoscit, nichil proposuerimus ordinare, propter errorem, quantum ad id quod de villa de Lentrescleriis diximus, corrigimus dictum nostrum : in qua sive jure, sive injuria dictus episcopus levet pedagium, ad nos non pertinet diffinire, cum ad hoc facta nobis a domino rege comissio minime porrigatur.

In cujus rei testimonium presentem cartam sigillis nostris duximus roborandam.

Datum pridie idus septembris, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto.

(Reg. E, fol. 232 r°; reg. A, fol. 291 r°; et reg. F, fol. 205 r°).

Il s'agit du péage de Restinclières, canton actuel de Castries. L'erreur commise par les commissaires du roi s'explique d'autant plus facilement que le seigneur de Beaulieu prétendait ne pas faire partie du comté de Melgueil, seigneurie éloignée de Restinclières de 1.500 mètres. Pour comprendre cet acte, se référer aux deux enquêtes publiées ci-après : N°s 605 et 613.

———

DCII. — 11 janvier 1256

Alexandre IV donne quittance à l'évêque de Maguelone pour trois années de cens qu'il devait à l'Église Romaine pour le comté de Melgueil.

(Reg. E, fol. 332 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 319.

DCIII. — 17 janvier 1256

Alexandre IV écrit à l'abbé de Saint-Aphrodise : il se plaint des châtelains qui détiennent des fiefs de l'évêque de Maguelone et refusent de les lui reconnaître.

(Reg. F, fol. 116 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 322.

DCIV. — 17 janvier 1256

Alexandre IV accorde à l'évêque de Maguelone le pouvoir d'excommunier ceux qui attaquent le comté de Melgueil; seul l'évêque ou le Pape pourront les absoudre.

(Reg. F, fol. 119 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 321.

DCV. — 24 janvier 1255 (n. s. 1256)

Enquête faite par ordre de l'évêque Pierre de Conques sur le péage de Sainte-Croix.

Notum sit cunctis quod, anno Domini M° CC° LV^to^, scilicet IX kalendas februarii, magister Jo., scriptor domini Petri, Dei gratia Magalonensis episcopi, presentavit et produxit testes infrascriptos ad probandum intencionem infrascriptam : qui testes juraverunt super sancta Dei evangelia coram domino

Guillelmo de Autonno milite, senescallo Bellicadri et Nemausi, et domino Guillelmo de Villanova judice ejus, se perhibituros testimonium veritati.

Intendit probare magister Jo., scriptor domini Petri, Magalonensis episcopi, quod dictus dominus episcopus faciebat, et predecessores sui fecerant, distringi et levari simul pedagium Sancte Crucis, antequam littere (1) felicis recordacionis domine Blanche, quondam illustris regine Francie super strata publica de Alesto divertenda per Sumidrium, essent impetrate, et tempore quo fuerunt impetrate, et post; et hoc a divertentibus per Lentesclerias et alia loca infra suum comitatum Melgorii et Montisferrandi. Tempus quo dicte littere fuerint impetrate, fuit anno Domini M° CC^{mo} XLVIIII°, mense junio.

Guillelmus Bn. de Castriis, miles de Castriis, testis juratus, dixit se vidisse et audivisse quod [de] trocellis qui ferebantur a Montepessulano versus Alestum, vel de Alesto versus Montempessulanum, dominus episcopus Magalonensis faciebat levari pedagium apud Sanctam Crucem, vel in quocumque loco invenirentur trocelli, ante castrum de Castriis, vel villam de Lentescleriis, vel in ponte de *Les*.

Requisitus qualiter scit, dixit quod ipse testis fuit multociens, XV vel XX vicibus et plus, ad levandum pedagium cum Paulo, pedagerio quondam domini Johannis, episcopi Magalonensis, de trocellis qui transibant ante castrum de Castriis, et ibant versus Lentesclerias et Sumidrium.

Requisitus qualiter scit quod irent dicti trocelli versus Lentesclerias et Sumidrium, dixit quia videbat quod ibant per caminum publicum, quod tendit de Montepessulano versus Lentesclerias, et Sumidrium, et Alestum; et levabant pro singulis trocellis XII denarios melgorienses.

Requisitus de tempore quo vidit predicta, dixit quod sunt bene XX anni.

Item dixit testis quod, post mortem dicti Pauli, fuit pedagerius domini Johannis, quondam Magalonensis episcopi, Jo.

---

(1) Voir ces lettres, ci-dessus.

Ambrosius; et ipse testis ivit multociens cum dicto Jo. Ambrosio ad levandum pedagium; et vidit eum levare pedagium pro dicto domino Jo[hanne] episcopo, in ponte de *Les*, et in camino quod transit ante castrum de Castriis, a trocellis transeuntibus per caminum quod vadit de Montepessulano versus Lentesclerias et Sumidrium.

Requisitus qualiter scit quod dicti Paulus et Jo. Ambrosius essent pedagerii domini Jo[hannis], quondam episcopi Magalonensis, et quod levarent pedagium pro ipso in dictis locis, respondit quod ipse testis fuit scutifer dicti domini Jo[hannis] episcopi, et vidit institui ab ipso Jo. Ambrosium pedagerium, in aula dicti domini episcopi apud Montempessulanum; sed Paulum non vidit institui pedagerium, quia erat pedagerius antequam ipse testis esset scutifer dicti domini episcopi.

Item dixit testis se vidisse et audivisse, quod, post mortem dicti domini Jo[hannis], episcopi Magalonensis, dominus Rainerius, quondam episcopus Magalonensis, faciebat levari pedagium in dictis locis a dicto Johanne Ambrosio.

Requisitus qualiter scit, dixit quia vidit quod dominus Raynerius predictus instituit dictum Jo. Ambrosium pedagerium, ad levandum pedagium suum.

De loco ubi instituit eum pedagerium requisitus, dixit quod fuit apud Melgorium; de tempore non recordatur.

Item dixit testis se vidisse, tempore dicti Raynerii episcopi, dictum Jo. Ambrosium levare pluries pedagium de trocellis transeuntibus per dictum caminum, quod venit de Montepessulano et transit ante Castrias, et tendit versus Sumidrium et Alestum.

Item dixit testis se audivisse dici, tamen non vidisse, quod dictus Johannes Ambrosius et Poncius Basinus levaverunt pedagium a transeuntibus per dictum caminum pro dicto Johanne (1), antea episcopo Magalonensi.

Poncius Martelli de Castriis, testis juratus, dixit se vidisse et audivisse, XVI anni sunt transacti et plus, quod Paulus,

(1) Cart.: *Pe.* Fin du reg. A, fol. 107 v°.

presbiter, pedagerius ut dicebatur domini Jo[hannis], quondam episcopi Magalonensis, venit quadam die ad castrum de Castriis, et rogavit ipsum testem et multos alios de Castriis, quod irent cum eo, quia trocelli transibant versus Lentesclerias, qui fuerant furati pedagium. Et ipse testis cum quibusdam aliis, de quibus non recordatur, secuti fuerunt dictos trocellos; et invenerunt eos inter Castrias et Lentesclerias, in camino: et dictus Paulus cepit dictos trocellos, et fecit eos duci retro versus Castrias per caminum, minans aventurerios quod duceret eos captos versus Montempessulanum, quia furati fuerant pedagium. Et tunc dicti aventurerii convenerunt cum dicto Paulo, et solverunt sibi pecuniam pro pedagio, sed non recolit quantum; et iverunt caminum suum.

Item dixit testis, quod ipse testis fuit scutifer domini Jo[hannis], quondam episcopi Magalonensis, qui precepit pluries ipsi testi quod, si inveniret trocellos deviantes per [caminum] de Castriis, quod non transirent per caminum Sancte Crucis, quod restaret et caperet eos.

Item dixit testis quod ipse testis, quadam die dum exiret de Castriis, obviavit trocellis qui transibant per caminum de Castriis versus Lentesclerias; et dixit ipse testis aventureriis quod ipsi furabantur pedagium, et quod reverterentur retro; et ipsi dixerunt quod solverant pedagium. Et ipse testis dixit quod reverterentur retro: et tunc dicti aventurerii convenerunt de pedagio cum ipso teste, et solverunt sibi pecuniam, sed nescit quantum.

Requisitus de tempore, dixit quod sunt vel XII anni transacti.

Item dixit testis se vidisse quod Jo. Ambrosius, clericus domini Johannis, quondam episcopi Magalonensis, reduxit aliquantulum retro trocellos qui transibant per caminum de Castriis versus Lentesclerias, et credit ipse testis quod convenerunt aventurerii super pedagio cum dicto Jo., et sunt VIII anni elapsi.

De aliis dixit se nichil scire, nisi de auditu.

Guillelmus Basinus de Lentescleriis, et homo domini episcopi Magalonensis, testis juratus, dixit se vidisse et audivisse,

tempore domini Jo[hannis], quondam episcopi Magalonensis, XV anni sunt elapsi, quod aventurerii, qui deviabant caminum Sancte Crucis et transibant cum trocellis per caminum de Lentesceleriis, solvebant pedagium Jo. Ambrosio, clerico domini episcopi Magalonensis, apud Lentescelerias, et quod quidam aventurerii gratis solvebant, alii multi quantumcumque excusabant, et contradicebant se quod non debebant solvere pedagium. Et illi qui contradicebant solvere, compellebantur solvere per dictum clericum, et pignorabantur, et bestie eorum capiebantur, et trocelli dehonerabantur.

Item dixit testis se vidisse postea Poncium Basinum clericum, sub forma prescripta, accipere pedagium apud Lentescelerias pro domino episcopo per unum annum: et fuit hoc XIII anni sunt transacti.

Item dixit testis se vidisse Bn. de Solo clericum, sub simili forma, accipere pedagium apud Lentescelerias per unum annum; et sunt XI anni quod hoc fuit.

Item dixit testis se vidisse et audivisse postea dictum Poncium Basinum accipere dictum pedagium sub simili forma predicta, usque ad tempus quo fuit revocatus.

Item dixit testis se accepisse pedagium VII vel VIII vicibus, apud Lentescelerias, de trocellis transeuntibus per dictum caminum, mandato dicti Poncii Basini: et sunt circa VI anni quod hoc fuit.

Poncius Condamina de Lentesceleriis, homo domini episcopi Magalonensis, testis juratus, dixit se vidisse et audivisse quod Jo. Ambrosius, clericus, pro domino episcopo Magalonensi erat pedagerius apud Lentescelerias.

Requisitus qualiter scit quod esset pedagerius pro domino episcopo, dixit quod ita dicebatur.

Item dixit se vidisse quod dictus clericus deshonerabat trocellos, et ducebat bestias versus Montemferrandum, quia deviabant pedagium Sancte Crucis: et sunt XV anni quod hoc fuit.

Item dixit testis se vidisse postea Poncium Basinum, clericum, pluries accipere pedagium de trocellis apud Lentes-

clerias, et audivisse dici quod dominus quondam Jo[hannes], episcopus Magalonensis, mandabat hominibus de Lentescleriis quod juvarent ipsum Poncium forsare pedagium; et sunt XII vel XIII anni quod hoc fuit.

Item dixit testis se vidisse postea Bn. de Solo, clericum, accipere pedagium apud Lentesclerias pro domino episcopo Magalonensi: nescit tamen pro quo: et sunt VIII anni, ut credit.

Stephanus Blaquerii de Montepessulano, testis juratus, dixit se vidisse et audivisse quod Paulus, presbiter, accipiebat pedagium ad pontem Castrinovi pro domino Jo[hanne], quondam episcopo Magalonensi, ab illis trocellis qui faciebant caminum de Lentescleriis.

Requisitus qualiter scit quod acciperet pedagium pro domino episcopo, dixit quod ipse testis, mandato dicti Pauli, accipiebat ibi pedagium dictum, quoniam erat absens dictus Paulus, pro dicto domino episcopo.

Item requisitus qualiter scit, quod acciperet pedagium de illis qui ibant per caminum de Lentescleriis, vel qualiter cognoscebat euntes per dictum caminum, dixit quod dictus Paulus custodiebat traversas et inspiciebat traversantes: et quando inveniebat traversantes caminum Sancte Crucis, adducebat eos ad pontem; et multi gratis dabant eidem Paulo pedagium, et multi coacti.

Item de tempore, dixit quod fuit a XVI annis usque ad XVIII annos.

Item dixit testis se vidisse postea Jo. Ambrosium, clericum, pluries accipere pedagium in dicto ponte, et custodire pedagium sub simili forma dicta de Paulo pro domino Raynerio, quondam episcopo Magalonensi.

Requisitus qualiter scit quod dictus Jo. acciperet dictum pedagium pro domino Raynerio, dixit quia ipse testis fuit de familia ejus.

Michael Pages de Lentescleriis, homo domini episcopi Magalonensis, testis juratus dixit se vidisse et audivisse, quod

Ambrosius, clericus, accipiebat pluries pedagium apud Lentesclerias pro domino Jo[hanne], quondam episcopo Magalonensi, de illis trocellis qui deviabant caminum Sancte Crucis; tamen quidam gratis dictum pedagium, et quidam coacti, solverunt; et sunt XV anni transacti.

Item dixit testis se vidisse postea quod Bn. de Solo, sub simili forma dicta de Ambrosio, accipiebat pedagium apud Lentesclerias pro domino Raynerio, quondam episcopo Magalonensi.

Requisitus qualiter scit, quod dicti clerici acciperent dictum pedagium pro dictis episcopis, ut dictum est, dixit quia erant clerici eorum

Item dixit testis se vidisse postea Poncium Basinum, clericum, accipere, sub simili forma dicta de Ambrosio et Bn. de Solo, dictum pedagium pluries, tempore dicti domini Raynerii, et tempore domini P[etri], qui nunc est episcopus.

Guit. de Veiranicis, presbiter diocesis Magalonensis, testis juratus, dixit se vidisse et audivisse, tribus vicibus vel quatuor, tempore domini Jo[hannis], quondam episcopi Magalonensis, quod Paulus presbiter, pedagerius dicti domini Jo[hannis] episcopi, accepit pedagium de illis aventureriis qui deviabant caminum de Lentescleriis pro salvando pedagio Sancte Crucis.

Requisitus unde veniebant dicti aventurerii et quo ibant, dixit quod veniebant de Montepessulano, et ibant Alestum.

Requisitus qualiter scit quod venirent de Montepessulano, et irent Alestum, dixit quod, quando erant arrestati a dicto Paulo, confitebantur dicti aventurerii dicto Paulo, quod de Montepessulano veniebant et volebant ire Alestum.

Requisitus ubi dictus Paulus recepit dictum pedagium, dixit quod, una vice, ultra pontem de *Les*, in camino quod tendit versus Lentesclerias.

Requisitus a quibus cepit pedagium, dixit quod nescit, sed bene scit quod X bestie erant ibi et V homines; et, alia vice, vidit accipi pedagium a dicto Paulo ad Harenarias (1).

(1) Les Sablières près du pont du Salaison.

Requisitus a quibus, dixit quod nescit; sed erant ibi VII bestie et III homines.

Requisitus de tempore, dixit quod sunt circa XVI anni, vel XVII, vel XVIII anni; et fuerunt dicte due vices infra unum annum.

Requisitus qui erant presentes prima vice, dixit quod dictus Paulus, et ipse testis, et quidam alius de quo non recordatur.

Et requisitus de presentibus secunda vice, dixit quod dictus Paulus, et ipse testis, et Guillelmus de Sancta Maria monnerius, et quidam canonicus Magalonensis, de cujus nomine non recordatur.

Item dixit quod tercia vice vidit accipi pedagium dictum a dicto Paulo, bene sunt XVI anni, in camino inter Veiranicas et Castrias, in loco qui vocatur *Beuboissou*.

Requisitus a quibus, dixit quod nescit; sed erant ibi XIIII bestie cum trocellis, sed nescit quot homines erant ibi.

Requisitus qui fuerunt tunc presentes, dixit quod ipse testis, et dictus Paulus et Jo. Boicatus de Monteferrario.

Requisitus quantum accepit pro pedagio dictis vicibus, dixit quod nescit.

Item dixit testis se vidisse et audivisse postea, quod Jo. Ambrosius, clericus et pedagerius domini Jo[hannis], quondam episcopi Magalonensis, accepit pedagium semel, bene sunt XV anni, in loco qui vocatur *Platestan*, in tenemento de *Teiran*, ab aventureriis duobus, qui ducebant V bestias cum V trocellis; et veniebant de Montepessulano et ibant versus Alestum, et deviaverant se de camino Sancte Crucis, et tenebant per caminum de Castriis versus Lentesclerias.

Requisitus qualiter scit, quod venirent de Montepessulano et irent Alestum, dixit quod ipse vidit eos venientes per caminum quod exit de Montepessulano, tenentes versus Lentesclerias; et quando cognoverunt quod dictus pedagerius, et ipse testis, et Bn. Columberius sequerentur eos, inceperunt per unum boscum transversare, et redire in caminum Sancte Crucis; et tunc solverunt pedagium dicto Jo. Ambrosio, et juraverunt quod, de cetero, non deviarent caminum Sancte Crucis.

Requisitus qualiter scit, quod dicti Paulus et Jo. Ambrosius acciperent dictum pedagium pro domino episcopo Magalonensi, et essent pedagerii ejus, dixit quod ita audiebat dici, et vidit eos pedajare, ut predixit.

Poncius Loborius de Lentescleriis, homo domini episcopi Magalonensis, testis juratus, dixit se vidisse et audivisse semel, bene sunt XIII anni, quod Jo. Ambrosius, qui dicebat se pedagerium domini Jo[hannis], episcopi Magalonensis, venit ad Lentesclerias, et pignoravit, ad portale de Lentescleriis, aventurerios, ducentes bestias cum trocellis, venientes de Sumidrio per caminum, euntes versus Montempessulanum; et accepit flaciatas de supra trocellos, dicens quod pedagium furabantur, quia debebant transire per caminum Sancte Crucis.

Requisitus qualiter scit, quod venirent de Sumidrio, et irent ad Montempessulanum, dixit quia veniebant per caminum de Sumidrio, et ibant versus Montempessulanum.

Requisitus qui erant aventurerii, dixit quod nescit.

Requisitus de presentibus qui interfuerant, dixit quod nescit.

Item requisitus si solverunt tunc pedagium aventurerii, dixit quod non; sed dictus Jo. pro pignore retinuit flaciatas, sed nescit quot.

Pe. Stephani de Lentescleriis, homo domini episcopi Magalonensis, testis juratus, dixit se vidisse et audivisse semel, XIIII anni vel XV sunt elapsi, quod Paulus, pedagerius pro domino Jo[hanne] de Montelauro, tunc episcopo Magalonensi, cepit et forsavit pedagium ab aventureriis, qui veniebant, cum bestiis et trocellis, de Montepessulano, et ibant versus Sumidrium per caminum quod tendit versus Lentesclerias.

Requisitus ubi, dixit quod inter Veiranicas et Castrias, in loco qui vocatur *Belboissou*.

Requisitus qui erant illi a quibus accepit pedagium, dixit quod nescit.

Item requisitus, dixit quod dictus Paulus ibi distraxit et forsavit eos solvere pedagium, sed nescit quantum.

Item requisitus, [dixit] quod credit quod aventurerii predicti

veniebant de Montepessulano, et ibant Alestum; sed aliter nescit.

Requisitus qui erant presentes, dixit quod ipse testis, et dictus Paulus, et tres clerici quos non cognoscebat.

Item dixit se vidisse postea, bene sunt VIII anni, quod Poncius Basinus, clericus domini episcopi Magalonensis, accipiebat pedagium pro domino Jo[hanne], quondam episcopo Magalonensi, apud Lentesclerias, ante portale.

Requisitus qualiter scit, dixit quia vidit semel aventurerios, cum bestiis et trocellis venientes de Montepessulano, euntes versus Sumidrium per caminum ante Lentesclerias, et peciit ab eis pedagium; et ipsi dixerunt quod veniret borcerius, et solverent sibi; et dederunt sibi duas flaciatas pro pignore pedagii.

Requisitus qui vel quot erant dicti aventurerii, dixit quod nescit.

Requisitus qualiter scit quod venirent de Montepessulano, et irent versus Sumidrium, dixit quia veniebant per caminum publicum Montispessulani ante Lentesclerias.

Item requisitus qui erant tunc presentes, dixit quod non recolit.

Item dixit se audivisse dici pluries, quod Bn. de Solo capiebat, apud Lentesclerias, pedagium pro domino episcopo, de trocellis transeuntibus per caminum de Lentescleriis.

G. de Cruce, homo domini episcopi Magalonensis de Lentescleriis, testis juratus, dixit se vidisse et audivisse quod Jo. (1) Ambrosius fuit diu, apud Lentesclerias, pro domino Jo[hanne], quondam episcopo Magalonensi, pro capiendo pedagio ab illis qui deviabant caminum Sancte Crucis.

Item dixit se vidisse et audivisse pluries, quod dictus Jo. Ambrosius cepit pedagium ab aventureriis, qui transibant per caminum de Lentescleriis, et veniebant de Montepessulano versus Alestum, vel de Alesto versus Montempessulanum.

---

(1) Cart.: *P.*

Requisitus quot vicibus, vel a quibus vidit dictum Ambrosium accipere pedagium, dixit quod nescit.

Requisitus ubi vidit eum accipere pedagium, dixit quod ad portale de Lentescleriis, bis vel ter, ab aventureriis transeuntibus ante Lentesclerias, per caminum Sumidrii et Montispessulani.

Requisitus qui erant aventurerii, dixit quod nescit : nec eciam scit quantum acciperet pro pedagio.

Requisitus qui erant presentes, dixit quod nesciret dicere.

Requisitus de tempore, dixit quod sunt XIIII vel XV anni.

Item dixit se vidisse et audivisse postea, bene sunt X anni, quod Poncius Basinus accepit pedagium bis in camino, in cimiterio de Lentescleriis, pro domino Jo[hanne], quondam episcopo Magalonensi, vel pro domino Raynerio, quondam episcopo Magalonensi, sed nescit pro quo, ab aventureriis, venientibus de Montepessulano cum bestiis et trocellis, transeuntibus per caminum de Lentescleriis, euntibus versus Sumidrium.

Requisitus qui erant aventurerii, vel quot erant, et qui erant tunc presentes, dixit quod nesciret dicere aliter.

Item dixit testis se vidisse semel, a IIIIor annis citra, quod dictus Poncius Basinus cepit pedagium pro domino Pe[tro], nunc episcopo Magalonensi, ante portale de Lentescleriis, ab aventureriis venientibus de versus Montempessulanum, transeuntibus per caminum ante Lentesclerias.

Requisitus qui erant aventurerii, vel qui erant presentes, et de aliis, dixit se nescire.

G. Moret de Lentescleriis, homo domini episcopi Magalonensis, testis juratus, dixit se vidisse et audivisse, XIIII anni vel XV sunt, Jo. Ambrosium, clericum, accipere pedagium apud Lentesclerias, pro domino Jo[hanne], quondam episcopo Magalonensi, de aventureriis qui transibant, cum bestiis et trocellis, per caminum quod transit per Lentesclerias, et per Sumidrium et per Montempessulanum.

Requisitus ubi vidit dictum Ambrosium accipere dictum pedagium, dixit quod in villa de Lentescleriis ad portale.

Requisitus quot vicibus, dixit quod nescit, nec eos cognoscebat, sed erant aventurerii.

Requisitus unde veniebant, vel quo ibant dicti aventurerii, dixit quod nescit, et quod quandoque audiebat dici ab eis, quod ibant versus Alestum, et quandoque quod ibant apud Montempessulanum.

Requisitus qui erant presentes, dixit quod non recolit, nec sciret dicere qui erant presentes.

Item dixit testis se vidisse postea, quod Poncius Basinus accepit pedagium, apud Lentesclerias, pluries, per I annum, pro domino Jo[hanne], quondam episcopo Magalonensi, bene sunt XII anni, ab aventureriis transeuntibus per caminum quod transit per villam de Lentescleriis.

Requisitus ubi vidit eum accipere dictum pedagium, dixit quod ad portale de Lentescleriis.

Requisitus quot vicibus, dixit quod pluries quam tribus vel IIII^or^ vicibus, sed nesciret dicere quot vicibus, pro certo.

Requisitus qui erant aventurerii a quibus accipiebat pedagium, vel quantum pro pedagio, vel qui erant presentes, dixit quod nescit.

Requisitus si scit unde veniebant, vel quo ibant dicti aventurerii, a quibus accipiebat dictus Poncius pedagium apud Lentesclerias, dixit quod nescit; sed videbat eos venire quandoque de Montepessulano et quandoque ire versus Montempessulanum, et audiebat dici quod ibi accipiebatur pedagium, quia deviabantur a camino Sancte Crucis.

Item dixit testis se vidisse et audivisse postea, bene sunt X anni, quod Bn. de Solo stetit bene per X menses, apud Lentesclerias, pro pedagerio pro domino Jo[hanne], quondam episcopo Magalonensi, et au[divisse] ipse testis, III^or^ vel V vicibus, quod dictus B. accepit, ante portale de Lentescleriis, pedagium ab aventureriis, transeuntibus cum trocellis per caminum Montispessulani et Sumidrii ante Lentesclerias.

Requisitus a quibus accipiebat pedagium, vel qui erant presentes, dixit quod nescit, nec eciam quantum accipiebat.

Requisitus unde veniebant vel quo ibant dicti aventurerii, respondit ut supra.

Item dixit testis se vidisse postea Poncium Basinum stare, apud Lentesclerias, pedagerium pro domino Jo[hanne] et domino Raynerio, quondam episcopis Magalonensibus, et pro domino P[etro], nunc episcopo Magalonensi, continue usque ad II annos retro proxime computandos : et vidit eum accipere pluries pedagium ab aventurereriis, transeuntibus per caminum ante Lentesclerias.

Requisitus quot vicibus hoc vidit, dixit quod nescit pro certo, sed pluribus vicibus hec vidit, dix[it].

Requisitus unde veniebant, vel quo ibant dicti aventurerii, respondit ut supra.

Item requisitus qualiter scit, quod dicti pedagerii acciperent dictum pedagium pro dicto episcopo, dixit quod capellanus de Lentescleriis dicebat, in ecclesia, hominibus, quando veniebant de novo dicti pedagerii apud Lentesclerias, quod juvarent eos ad levandum pedagium, [si] fieret eis vis.

Pe. de Malavilla de Lentescleriis, homo domini episcopi Magalonensis, testis juratus, dixit se vidisse et audivisse idem per omnia quod Guillelmus Moret, testis supra proximus, excepto quod dixit quod Poncius Basinus, ante B. de Solo, fuit pedagerius apud Lentesclerias per II annos ; et postea B. de Solo fuit ibi pedagerius per I annum ; et hoc excepto quod determinavit vices, in quibus vidit Poncium Basinum et B. de Solo accipere dictum pedagium : et excepto quod non dixit nomina episcoporum.

Nicholaus Hero de Lentescleriis, homo domini episcopi Magalonensis, testis juratus, dixit se vidisse et audivisse, XV anni sunt transacti, quod Jo. Ambrosius accepit pedagium ter vel quater, apud Lentesclerias ante portale, in camino, pro domino Jo[hanne], quondam episcopo Magalonensi, ab aventurereriis, qui cum trocellis transibant per caminum ante portale de Lentescleriis, venientibus de Montepessulano versus Sumidrium euntibus, vel e converso.

Requisitus a quibus accipiebat pedagium, vel qui erant presentes, dixit quod nescit.

Item requisitus qualiter scit quod venirent de Montepessulano, et irent versus Sumidrium, vel e converso, dixit quod ita credebat, quia transibant per dictum caminum de Lentescleriis.

Item dixit testis quod audivit dici, quod levabatur pedagium, apud Lentesclerias, ab illis qui deviabant caminum Sancte Crucis.

Item dixit testis se vidisse et audivisse postea, bene sunt XII anni, quod B. de Solo levavit pedagium, apud Lentesclerias, pro domino Jo[hanne], quondam episcopo Magalonensi, ter vel quater, in camino ante portale, ab aventureriis transeuntibus ibidem; et propter hoc, ut dicebatur, quia deviabant caminum Sancte Crucis.

Requisitus a quibus, vel qui erant presentes, et unde veniebant aventurerii, vel quo ibant, respondit ut supra.

Item dixit testis se vidisse postea, a XII annis citra, Pontium Basinum accipere pedagium in loco predicto, ante portale, et sub forma predicta, VII vel VIII vicibus.

Requisitus ut supra, respondit ut supra.

Bertrandus de Amella de Lentescleriis, homo domini episcopi Magalonensis, testis juratus, dixit se vidisse et audivisse, a sex annis citra, quod Pontius Basinus accepit pedagium, pluribus vicibus, apud Lentesclerias, in camino, pro domino episcopo Magalonensi, scilicet domino Raynerio, vel domino P[etro], nunc episcopo Magalonensi, ab aventureriis qui transibant cum trocellis per caminum de Lentescleriis, qui deviabant caminum Sancte Crucis.

Requisitus qualiter scit quod deviarent, dixit quod dictus Poncius faciebat eos jurare unde veniebant dicti aventurerii, vel quod ibant; et quando dicebant quod veniebant de Alesto et ibant versus Montempessulanum, vel e converso, levabat ab illis pedagium; quando vero dicebant quod faciebant caminum de riperia, non levabat ab illis pedagium.

Requisitus quot vicibus hoc vidit, vel a quibus aventureriis levari pedagium, vel qui erant presentes, dixit quod nescit.

Item dixit testis se vidisse semel, a IIIIor annis citra, quod

Stephanus de Lairicio accepit semel pedagium in camino publico, prope Lentesclerias, pro domino episcopo Magalonensi, a duobus mercatoribus qui ducebant porcos, et veniebant de versus Montempessulanum, et ibant versus Sumidrium.

Stephanus de Layricio, clericus de Fontanesio, testis juratus, dixit se fuisse pedagerium pro domino P[etro], nunc episcopo Magalonensi, per XIII menses, apud Sanctam Crucem et Poncius Basinus stabat apud Lentesclerias, qui tenebat, ex empcione, redditus ecclesie de Lentescleriis; et ipse testis dedit mandatum dicto Poncio quod acciperet pedagium pro dicto domino episcopo ab aventura[rio], qui transiret per caminum de Lentescleriis, et de Sumidrio, et de Montepessulano.

Item dixit testis quod dictus Poncius, multociens, reddidit ipsi testi summas pecunie, quas acceperat de dicto pedagio de Lentescleriis, ut dicebat.

De tempore, dixit quod sunt circa IIII^or anni.

Item dixit testis quod ipse obviavit semel aventurereriis, qui ducebant V trocellos, et deviaverant a camino Sancte Crucis, et a camino de Lentescleriis, et erant inter Sanctum Ylarium et Bellum locum: et dixit eis quod furati erant pedagium, et incepit eos ducere versus Montemferrandum: et tunc dicti aventurerii convenerunt cum eo, et solverunt sibi pedagium.

Et plus requisitus qui erant adventurerii, dixit quod unus vocabatur P., et erat de Mimate.

Requisitus qui erant presentes, dixit quod Jo. Fabri.

Requisitus quo ibant aventurerii dicti vel unde veniebant, dixit quod ibant versus Montempessulanum, et credit quod venirent de Andusia.

De tempore requisitus, dixit quod sunt bene tres anni, quod hoc fuit.

Post hoc anno eodem quo supra, scilicet V kalendas februarii, de mandato dicti domini senescalli, magister Pe. de

Mandolio, notarius Nemausensis, ad Montempessulanum accessit, et audivit ibidem testes infrascriptos quos sibi presentavit dictus magister Jo., scriptor domini Pe[tri], Magalonensis episcopi, ex parte ipsius domini episcopi, qui super sancta Dei evangelia juraverunt se perhibituros testimonium veritati.

Guillelmus de Villanova, habitator ville Montispessulani, in villa domini regis Aragonum, testis juratus, dixit se vidisse et audivisse, tempore quo erat episcopus Magalonensis dominus B[ernardus] de Mezoa, et sunt XXII anni elapsi, ipse testis fuit pedagerius in villa Sancte Crucis, fere per V annos, pro Raimundo Lamberto, qui habebat in pignore dictum pedagium a domino B[ernardo] de Mezoa, episcopo Magalonensi; et ipse testis accipiebat ibidem dictum pedagium pro dicto R. Lamberto.

Item dixit testis quod, quadam die, fuit sibi revelatum, quod G. de Agantico, tunc vicarius Sumidrii, acceperat quoddam pignus a G. de Fajaco aventurerio, quia deviaverat cum trocellis caminum Sancte Crucis : et ipse testis tunc ivit ad dictum G. de Agantico apud Sumidrium, et dixit dicto G. de Agantico, ex parte domini R. Lamberti, quod redderet sibi pignus quod habuerat a G. de Fajaco, qui deviaverat caminum Sancte Crucis; et tunc dictus G. de Agantico dixit ipsi testi : *ego habeo unum galandranum ab ipso*. Et incontinenti feci[t] tradi ipsi testi dictum pignus, scilicet galandranum de stamine forti.

Requisitus cujus coloris erat galandranum, dixit quod campus jacebat in livido, et lista erat viridis. Et ipse testis accepit dictum galandranum, et portavit eum apud Sanctam Crucem.

Requisitus qualiter scit quod dictus aventurerius deviasset caminum Sancte Crucis, et propter hoc G. de Agantico cepit ab eo dictum pignus, respondit quia ita audivit dici, et dictus G. de Agantico recognovit sibi ita verum esse.

Requisitus unde veniebat, vel quo ibat dictus aventurerius, dixit quod a Montepessulano versus Alestum, vel ab Alesto versus Montempessulanum, ut audivit tunc dici.

Item dixit testis quod, alia vice, fuit sibi revelatum quod multi aventurerii cum trocellis venerant Massilia Melgorium, qui intendebant ire Alestum, et ultra, per caminum regordane, et volebant transire per Sumidrium, et dimittere caminum Sancte Crucis; et tunc ipse testis tunc ivit Melgorium, et invenit ibi aventurerios cum trocellis; et ipse testis dixit eis quod ostenderet caminum Sancte Crucis, et ipsi secuti fuerunt eum, et accepit ab eis pedagium apud Sanctam Crucem: et sunt XXII anni elapsi quod hoc fuit.

Requisitus qui erant dicti aventurerii, dixit quod nescit.

Item dixit testis se vidisse bis, quod Paulus presbyter, pedagerius pro domino Jo[hanne] quondam episcopo Magalonensi, cepit pedagium, ad pontem de Salarone, ab aventurereriis cum trocellis, qui exibant a Montepessulano, et ibant per caminum Sumidrii versus Alestum.

Requisitus qui erant aventurerii, dixit quod non recolit.

Requisitus quantum accipiebat a singullis trocellis, dixit quod XII denarios melgorienses.

Requisitus qualiter scit, quod irent Alestum dicti aventurerii, dixit quod ita audiebat dici.

Requisitus de tempore, dixit quod sunt XX anni elapsi et plus.

Pe. de Paris, habitator Montispessulani, in parte domini regis Aragonum, testis juratus, dixit quod ipse erat aventurerius, et ducebat per caminum VIIII bestias cum trocellis; et quadam die, dum tres nuncii, quos ipse tenebat, scilicet Durantus de *Capion* et Stephanus de *Boiranequez*, et alius, de cujus nomine non recordatur, venissent Alesto, et transirent per caminum Sumidrii et de Lentescleriis, et venirent apud Montempessulanum, Jo. Ambrosius, pedagerius domini Jo[hannis], quondam episcopi Magalonensis, cepit dictas bestias, quia deviaverant caminum Sancte Crucis.

Requisitus ubi cepit dictus pedagerius dictas bestias, dixit quod citra Harenarias, prope pontem Salaronis.

Requisitus qualiter scit quod ibi capte fuissent dicte bestie, dixit quod nuncii ejus venerunt ad ipsum testem, apud Mon-

tempessulanum, et dixerunt sibi quod pedagerius domini episcopi Magalonensis ceperat bestias suas, pro pedagio Sancte Crucis; et ipse testis ivit illuc, et invenit quod dictus Jo. Ambrosius, cum quibusdam aliis, detinebat dictas bestias, dicens quod duceret eas versus Montempessulanum, quia deviaverant pedagium Sancte Crucis: et tunc ipse testis solvit dicto Jo. Ambrosio pecuniam pro pedagio, sed nescit quantum.

Requisitus de tempore, dixit quod sunt XII anni elapsi.

Item dixit testis quod, alia vice, ipse testis et quidam alii aventurerii, de quorum nominibus non recordatur, excepto G. de Monte Rodato, qui cum ipso erat, cum trocellis exierunt de Montepessulano, et intendebant ire Alestum per caminum Sumidrii, pro deviando pedagio Sancte Crucis; et cum essent ad Harenarias citra pontem de Salarone, Jo. Ambrosius predictus cepit I flaciatam de supra quemdam trocellum; et tunc ipse testis convenit cum dicto Jo. Ambrosio, et solvit sibi pecuniam pro pedagio Sancte Crucis, sed nescit quantum.

Requisitus de tempore, dixit quod sunt circa XIIII anni quod hoc fuit.

Requisitus qualiter scit, quod dictus Jo. Ambrosius esset pedagerius dicti domini episcopi, dixit quia vidit quod bajulus dicti domini episcopi, scilicet Gorgola vel Agulos preceperunt dicto Jo. Ambrosio, ter vel quater, quod pignoraret omnes aventurerios qui deviarent caminum Sancte Crucis.

Pe. Bonifacius, burgensis de Montepessulano, habitator in parte domini regis Aragonum, testis juratus, dixit se vidisse et audisse quod dominus Peregrinus, senescallus Bellicadri, inimicabatur domino Jo[hanni] de Montelauro, episcopo Magalonensi; et propter hoc faciebat sibi impedimentum in camino Sancte Crucis.

Item dixit testis, quod ipse testis, et G. Princeps, et Nicholaus de Sancto Nicholao, et Symon Ricardus erant consules Montispessulani bene sunt XX anni (1): et quia videbant quod dictus senescallus faciebat sibi vim in pedagio Sancte Crucis,

(1) Ils furent consuls en 1235.

ipse testis rogavit pluries dictum senescallum, ne faceret injuriam, super pedagio Sancte Crucis, dicto domino episcopo; et vidit tunc pluries Paulum presbiterum, ferentem quendam penatum, stare pro domino Jo[hanne], episcopo Magalonensi, ad pontem Castri novi, vel circa, usque ad Harenerias, pro accipiendo pedagio ab illis trocellis qui deviarent caminum Sancte Crucis, qui volebant ire per caminum Sumidrii Alestum.

Requisitus si vidit dictum Paulum recipere pedagium a dictis deviantibus caminum Sancte Crucis, dixit quod non; sed audivit dici a dicto Paulo quod recipiebat, pro domino episcopo Magalonensi predicto, a dictis deviantibus, volentibus ire Alestum per caminum Sumidrii; et quia multi aventurerii venerunt tunc ad ipsos consules, dicentes quod dominus episcopus Magalonensis faciebat eis injuriam, quia accipiebat ab eis, volentibus ire a Montepessulano Alestum, per caminum Sumidrii, pedagium; et ipsi consules respondebant eis quod non intromitterent se, quia jus erat dicti domini episcopi.

Item dixit testis, quod ipse testis, et G. Princeps emerunt, X anni fuerunt in festo Sancte Crucis a dicto festo Sancte Crucis, in IIIIor annos tunc proximos, a domino Jo[hanne] de Montelauro, tunc episcopo Magalonensi, pedagium Sancte Crucis, et perceperunt et tenuerunt ex tunc dictum pedagium per IIIIor annos.

Item dixit testis quod ipsi preceperunt Poncio Bazino, clerico tunc de Lentescleriis, quod acciperet pro eis pedagium, apud Lentesclerias, ab aventureriis deviantibus caminum Sancte Crucis, euntibus Alesto versus Montempessulanum, vel a Montepessulano versus Alestum, per caminum Sumidrii.

Item dixit testis, quod dictus Poncius Bazinus reddidit ipsi G., pluribus vicibus, et uxori ipsius testis semel, pecuniam quam dicebat se recepisse, de dicto pedagio apud Lentesclerias, infra dictos quatuor annos.

Requisitus quot vicibus reddidit sibi pecuniam de dicto pedagio, vel quantum, dixit quod non recolit; sed pluribus vicibus, et quandoque X solidos, aliquando XIIII, vel XV, vel XX, vel XXV solidos ad plus.

De aliis requisitus nichil dixit.

Item dictus P. Bonifacius ostendit publicum instrumentum. factum, ut ibi continetur, per Jo. Virarellum, notarium, super empcione dicti pedagii, a[d] IIIIor annos facta ab ipsis a domino Jo[hanne], Magalonensi episcopo.

Dominus Michael de Moresi[o], Magalonensis archidiaconus, testis juratus, dixit quod, quadam die, cum equitaret cum domino Jo[hanne] de Montelauro bone memorie, quondam Magalonensi episcopo, et transiret per stratam de Hareneriis per quam itur de Montepessulano apud Sumidrium, vidit Paulum sacerdotem, cum quodam magno pennato; et quesivit ab eo quid faciebat ibi. Et respondit quod percipiebat pedagium a transeuntibus per illam stratam cum trocello, et divertentibus a strata Sancte Crucis; et dum hec verba erant inter ipsum testem et dictum Paulum, dictus Paulus retinebat trocellos et bestias honeratas. Et, causa solacii, dixit idem testis domino episcopo predicto: *quare retinetis istum Judeum in pedagio, quia prohibitum est ne aliquis teneat Judeos in suis pedagiis.* Et dictus Paulus dixit: *nisi esset pro domino episcopo, percuterem vos cum pennato.*

Requisitus si vidit dictum Paulum recipere pedagium a dictis divertentibus, dixit quod non; sed pignorabat bestias.

Requisitus de tempore, dixit quod non est certus; sed sunt bene circa XV anni.

Requisitus de presentibus, dixit quod non recolit; sed socii et familia domini episcopi erant ibi.

Requisitus unde veniebant et quo ibant dicte bestie honerate, dixit quod de Montepessulano veniebant, et ibant versus Salaronem.

Item requisitus qui erant ducentes dictas bestias, dixit quod non recordatur.

Berengarius Arnaldus, canonicus et archipresbiter, testis juratus, dixit [quod], quadam die, dominus Jo[hannes] de Montelauro, quondam episcopus Magalonensis, et ipse testis cum eo, et scutiferi, et arquerii, et troterii ejus ibant versus Lentesclerias; invenerunt in camino, juxta riperiam de *Ben-*

zangue. VII bestias honeratas, et III vel IIII homines, qui eas ducebant, et veniebant a Montepessulano, et ibant versus Sumidrium. Et ipsemet dominus episcopus fecit verti dictos homines et bestias versus Montemferrandum; et ipse dominus episcopus et socii ejus non recesserunt ab eis, donec dicti homines et bestie fuerunt infra castrum Montisferrandi. Et dixit idem dominus episcopus dictis hominibus: *transmittatis pedagium, quia deviabatis, apud Sanctam Crucem*. Et tunc dicti homines transmiserunt pedagium apud Sanctam Crucem; et dominus episcopus tenuit dictas bestias captas infra dictum castrum, quousque quidam troterius ipsius testis, qui vocabatur Brunetus, ivit ad Sanctam Crucem; et post paululum reversus fuit dictus troterius, ad dictum dominum episcopum, apud Montemferrandum, dicens quod pedagium dictarum bestiarum viderat ipse solvi apud Sanctam Crucem. Quo facto, dictus dominus episcopus dixit dictis hominibus: *ego debeo habere pro pena, quia deviabatis pedagium, pro singulis bestiis, LX solidos*. Et idem dixit: *et faciam vobis misericordiam, quia permittam vos ire, sed flaciate, que cooperiunt trocellos, remanebunt ad opus excubiarum dicti castri*. Et sic permisit eos [ire], et recesserunt: et dicte flaciate remanserunt in castro.

Requisitus quot flaciate erant, dixit quod VII erant.

Requisitus de tempore, dixit quod sunt XVIII anni et plus transacti, ut credit.

Item requisitus de presentibus, dixit quod erant presentes Bt. de Montelauro scutifer, Porsanus troterius, G. Alamanni, G. Grossus arquerii, et familia dicti domini episcopi, et quidam alii de quibus non recordatur.

Requisitus qui erant dicti aventurerii, ducentes dictas bestias, dixit quod nescit.

Jo. de Gerviaco, presbiter de Montepessulano, testis juratus, dixit se vidisse et audivisse, XV anni sunt elapsi, quod Jo. Ambrosius, clericus domini Jo[hannis], quondam episcopi Magalonensis, venit, quadam die, ad castrum de Castriis, ubi ipse testis morabatur in ecclesia pro diacono; et dictus

Jo. Ambrosius precepit ipsi testi, ex parte dicti domini episcopi, quod iret secum ad retinendum trocellos, qui deviabant caminum Sancte Crucis et pedagium, et tenebant caminum versus Lentesclerias. Et tunc ipse testis ivit cum dicto Jo. Ambrosio : et cum venissent ad Lentesclerias, ante portale, invenerunt dictos trocellos, et dehoneraverunt eos de bestiis, quia deviaverant caminum et pedagium Sancte Crucis. Et tunc aventurerii, qui ducebant dictas bestias et trocellos, convenerunt cum dicto Jo. Ambrosio, et solverunt sibi peccuniam pro pedagio ; sed nescit quantum.

Requisitus qui erant presentes, dixit quod non recolit, excepto dicto Jo. Ambrosio, et ipso teste, et dictis aventurereriis.

Requisitus quot erant aventurerii, vel qui erant, dixit quod nescit, excepto quodam de Montepessulano qui vocatur Bazinus, ut sibi videtur.

Requisitus unde veniebant, vel quo ibant dicte bestie cum trocellis, dixit quod nescit ; sed ibant caminum versus Lentesclerias et Sumidrium.

Super aliis requisitus, dixit se nichil scire.

Jo. Bonusfilius, de Montepessulano, habitans in parte domini regis Aragonum, testis juratus, dixit quod ipse testis, et G. de Vallemagna, et Rocellus aventurerius gargaverunt simul in villa Sumidrii VIII trocellos cum VIII bestiis : qui trocelli, ut dicebatur, fuerant aportati de Alesto. Et veniebant cum dictis trocellis ; et, dum venirent cum dictis trocellis versus Montempessulanum, invenerunt duos homines laicos, ad caminum, ultra pontem de Salarone, et pecierunt ab eis pedagium Sancte Crucis : et ipsi solverunt pedagium Sancte Crucis, scilicet pro singulis trocellis XII denarios dictis hominibus.

Requisitus qui erant dicti homines, dixit quod nescit ; sed bene cognosceret si videret.

Requisitus de tempore, dixit quod sunt duo anni vel tres quod hoc fuit.

De presentibus requisitus, dixit quod non recolit.

Item dixit testis, quod XVI anni vel XVII sunt transacti,

[quod] ipse testis et quidam alii aventurerii, de quibus non recordatur, veniebant cum trocellis de Alesto versus Montempessulanum, per caminum Sumidrii; et cum essent citra Lentesclerias, in camino, quidam clericus, cujus nomine ignorat, quesivit ab eis pedagium Sancte Crucis; et ipsi solverunt dictum pedagium ad voluntatem dicti clerici.

Requisitus de presentibus, dixit quod non recolit.

Item dixit testis se vidisse et audivisse bis vel ter, cum essent apud Alestum cum cargis, quod prohibiciones de Alesto dicebant ipsi testi et aliis aventureriis, quod irent apud Montempessulanum per caminum Sumidrii, et non solverent pedagium.

Item dixit testis quod, propter dicta verba, ipse testis et quidam alii aventurerii, de quibus non recordatur, tenebant per caminum Sumidrii; et cum transisissent Lentesclerias, compellabantur solvere pedagium Sancte Crucis, et solvebant.

Requisitus qui erant illi qui compellebant eos solvere dictum pedagium, dixit quod nescit, sed bene cognosceret eos si videret.

Requisitus de tempore, dixit quod sunt transacti XV vel XVI anni.

Requisitus de presentibus, dixit quod nescit.

(Reg. E, fol. 192 v°, et reg. A, fol. 107 v°, en partie)

DCVI. — 26 janvier 1256

Alexandre IV informe l'archevêque de Narbonne qu'il a permis à l'évêque de Maguelone d'excommunier les malfaiteurs qui ravagent le comté de Melgueil. Il lui défend de les absoudre sans la permission de l'évêque ou du Saint-Siège.

(Reg. F, fol. 30 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 322.

DCVII. — 26 janvier 1256

Alexandre IV informe l'archevêque de Narbonne et ses suffragants qu'il a permis à l'évêque de Maguelone d'excommunier les malfaiteurs qui ravagent le comté de Melgueil ; il leur défend de les absoudre sans la permission de l'évêque de Maguelone ou du Saint-Siège.

(Reg. F, fol. 36 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 324.

DCVIII. — 26 janvier 1256

Alexandre IV informe l'archevêque d'Arles et ses suffragants qu'il a permis à l'évêque de Maguelone d'excommunier les malfaiteurs qui ravagent le comté de Melgueil ; il leur défend de les absoudre sans la permission de l'évêque de Maguelone ou du Saint-Siège.

(Reg. F, fol. 116 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 326.

DCIX. — 26 janvier 1256

Alexandre IV se plaint à l'archevêque d'Arles des entreprises des officiers du roi de France sur le comté de Melgueil ; il lui ordonne de faire une enquête secrète.

(Reg. F, fol. 171 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 327.

DCX. — 26 janvier 1256

Alexandre IV permet à l'évêque de Maguelone de punir les chanoines qui s'absentent sans sa permission.

(Reg. F, fol. 141 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 330.

DCXI. — 28 janvier 1256

Alexandre IV informe l'archevêque de Narbonne et ses suffragants qu'il a accordé à l'évêque de Maguelone le pouvoir d'excommunier les malfaiteurs qui ravagent le comté de Melgueil.

(Reg. E, fol. 19 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 331.

DCXII. — 28 janvier 1256

Alexandre IV ordonne au commandeur du Temple de Saint-Gilles de donner à l'évêque tous les actes qu'il a dans ses archives intéressant le comté de Melgueil.

(Reg. F, fol. 115 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p 333.

DCXIII. — 28 janvier 1255 (n. s. 1256)

Suite de l'enquête sur le péage de Sainte-Croix.

Post hec, anno Domini millesimo CC° LV, scilicet V kalendas februarii, de mandato domini senescalli, magister Petrus de Mandolio, notarius Nemausensis, ad Montempessulanum accessit et audivit ibidem testes infrascriptos, quos sibi presentavit dictus magister P., scriptor domini P[etri], Magalonensis episcopi, ex parte ipsius domini episcopi. Qui super sancta Dei euvangelia juraverunt se perhibituros testimonium veritati.

Pe. de Condamina, presbiter, oriundus de Sancto Genesio, testis juratus, dixit se vidisse et audivise, X anni sunt elapsi et plus, quod Johannes Ambrosius clericus, qui dicebatur esse pedagerius domini Jo[hannis], condam episcopi Magalonensis, venit ad ipsum testem, ad villam de Venranicis, ubi ipse testis morabatur in ecclesia pro clerico, et dixit ipsi testi quod iret

cum eo ad distringendum et pignorandum, quia aventurerii, cum trocellis et bestiis honeratis, deviaverant a camino Sancte Crucis, et ibant per caminum versus Sumidrium. Et tunc ipse C. ivit cum dicto Johanne Ambrosio, et invenerunt bestias honeratas et homines cum eis, in camino, inter Salaronem et Castrias, circa Haironerias; et pro pedagio acceperunt flaciatas de super trocellos, sed nescit quot.

Requisitus qui erant aventurerii, vel quot erant, vel quot bestias vel trocellos ducebant, dixit quod nescit.

Item requisitus si dicti aventurerii contradicebant reddere pignus pro pedagio, dixit quod sic.

Item requisitus qui erant presentes, dixit quod nescit, exceptis dicto Johanne Ambrosio, et ipso C., et dictis aventureriis.

Item requisitus quo ibant et unde veniebant, dixit quod de versus Montempessulanum veniebant, et versus Sumidrium ibant.

Item dixit quod dictas flaciatas tulerunt ipse testis et dictus Jo. Ambrosius, pro pedagio, ad ecclesiam de Venranicis, et ibi steterunt, donec dictus Johannes Ambrosius mandavit ipsi testi quod redderet eas cuidam homini, de quo non recordatur.

Item dixit testis quod, alia vice, bene sunt X anni et plus, dictus Johannes Ambrosius venit ad ecclesiam de Venranicis, ad ipsum testem et Michaelem Matuel clericum, et dixit eis, ex parte domini Johannis, Magalonensis episcopi, quod irent cum ipso ad forsandum et distringendum aventurerios cum trocellis, qui deviaverant [caminum] Sancte Crucis. Et tunc ipsi iverunt cum eodem Johanne: invenerunt in camino, prope Venranicas, aventurerios et attemptaverunt eos pignorare pro pedagio, quia deviaverant caminum Sancte Crucis; et dicti aventurerii deffendebant se in tantum, quod non potuerunt eos pignorare. Et tunc ipse testis et dictus Michael iverunt ad castrum de Castriis pro querendis clericis, qui eos juvarent ad forssandum. Et tunc Barreria presbiter, quem invenerunt apud Castrias, et quidam alii, de quibus non recordatur, venerunt cum eis in auxilium; et invenerunt dictos aventurerios cum bestiis et trocellis, in camino, subtus Castrias, et

cum contenderent cum dictis aventurereriis super dicto pedagio, dictus Barreria fecit compositionem inter eos supra pedagio, ita quod satisfecerunt dicto Johanni Ambrosio; nescit tamen utrum in peccunia vel in pignoribus. Et tunc Johannes Ambrosius permisit eos ire, et iverunt caminum suum versus Sumidrium.

Requisitus qui vel quot erant aventurerii, vel quot bestie vel trocelli, vel qui erant presentes, dixit quod nescit.

Item dixit testis, pro alia vice, X anni sunt transacti, dictus Johannes Ambrosius venit, ex parte dicti domini episcopi, cum quodam alio, ad ecclesiam de Venranicis, de quo non recolit; et dixit ei, quod relatum fuerat sibi, quod aventurerii cum bestiis honeratis deviabant caminum Sancte Crucis, et ibant versus Sumidrium. Et ipsi tres et quidam alius homo de Banneriis, ferens quandam lanceam, invenerunt dictos aventurerios, venientes per quandam viam ultra *Salaron*, que vadit versus Bannerias; et dixerunt eis quod solverent pedagium Sancte Crucis, quod deviaverant. Et ipsi solvere contradicebant. Tandem convenerunt inter se quod irent simul ad villam Sancte Crucis, et omnes ex utraque parte concorditer iverunt, et cenaverunt, et jacuerunt in villa Sancte Crucis in eodem hospicio.

Requisitus si vidit eos solvere pedagium, dixit quod non; sed Johannes Ambrosius dixit sibi quod solverant sibi pedagium, et ita credit ipse C.

Requisitus qui vel quot erant aventurerii, vel quot bestie vel trocelli, vel qui erant presentes, dixit quod nescit, nisi ut supradixit.

Pe. Bazinus, de Montepessulano, habitans in parte domini regis Aragonum, testis juratus, dixit quod ipse testis I vice portabat cum bestia sua I cargam piperis Alestum; et, cum transiret per villam de Lentescleriis, Ambrosius clericus peciit ab ipso teste pedagium Sancte Crucis pro domino episcopo Magalonensi; et ipse testis solvit dicto clerico pedagium, scilicet XII denarios infra villam de Lentescleriis.

Requisitus de tempore, dixit quod fuit die mercurii proximi ante diem veneris, in qua fuit dies nox.

Requisitus de presentibus, dixit quod non recolit.

Item dixit testis quod, alia vice, ipse testis ducebat VI bestias cum VI trocellis de *cordoan;* et ibat de Montepessulano [versus] Sumidrium. Et aventurerii, qui locaverant ipsum testem ad portandum trocellos apud Sumidrium, dixerunt ipsi testi quod dimiteret pignus apud Lentesclerias pro pedagio. Et ipse testis cum transiret per villam de Lentescleriis, tradidit Bazino clerico tres flaciatas pro pignore pedagii.

Requisitus de tempore, dixit quod sunt VII vel VIII anni transacti.

Requisitus qui erant aventurerii, qui locaverunt sibi trocellos ad portandum, dixit quod nescit.

Requisitus de presentibus, dixit quod non recordatur.

Item dixit testis quod, a Penthecoste proxime transacta citra, transivit, una vice, cum trocellis per villam de Lentescleriis, et non fuit petitum ab ipso pedagium ibi, neque solvit.

G. Sabaterius, habitator Montispessulani in parte domini regis Aragonum, testis juratus, dixit se vidisse et audivisse quod ipse testis, cum duabus bestiis honeratis, et quidam alii, de quibus non recordatur, cum bestiis honeratis ibant, una vice, de Montepessulano [versus] Sumidrium. Et, cum transirent per villam de Lentescleriis, quidam homo, cujus nomen ignorat, nec etiam ipsum cognosceret si videret, petiit, ab ipso teste et aliis aventureriis, pedagium Sancte Crucis, et cepit de flaciatis que erant supra trocellos, quousque habuit ad voluntatem suam pro pedagio; sed nescit quot flaciatas cepit.

Requisitus de tempore, dixit quod sunt tres anni et plus.

Requisitus de loco, dixit quod fuerit infra villam de Lentescleriis.

Requisitis de presentibus, dixit quod non recolit.

Bn. Amellerius, habitator Montispessulani in parte domini regis Aragonum, testis juratus, dixit quod ipse testis, quadam

die, ibat de Montepessulano [versus] Sumidrium, ducens duas bestias, I mulum, et I roncinum cum duobus trocellis de *cordoan*, quos locaverant sibi ad portandum apud Sumidrium. Et, cum transiret per villam de Lentescleriis, ante portale, per caminum publicum, Johannes Ambrosius clericus petiit ab ipso teste pedagium Sancte Crucis; et ipse testis solvit dicto Johanni Ambrosii II solidos melgorienses pro pedagio.

Requisitus de tempore, dixit quod fuit in vita domini Johannis de Montelauro, condam Magalonensis episcopi, possunt esse a X annis usque ad XII annos, ut credit.

Requisitus de presentibus, dixit quod non erant nisi ipse testis et dictus Jo. Ambrosius.

Bernardus Nomus, habitator Montispessulani in villa domini regis Aragonum, testis juratus, dixit se vidisse et audivisse quadam vice, scilicet infra dictos dies quando fuit dies nox, quod ipse testis ducebat, a Montepessulano versus Alestum, tres vel IIII^or bestias, honeratas cargis piperis, et Pe. Bazinus similiter duas bestias honeratas, et Berengarius Barderius duas bestias honeratas, et Duro Cacolanus I vel duas bestias, et tenebant caminum Sumidrii, quia fuerat eis [dictum] quod non solverent pedagium. Et cum venissent ad Lentesclerias per caminum Sumidrii, Johannes Ambrosius et Jo. [de] Gerviaco clerici voluerunt ducere dictas bestias ad Montemferrandum, dicentes quod fuerant furati pedagium. Et ipsi contradicebant dictis clericis, et in fine convenerunt cum dictis clericis; et solverunt eis pedagium duplicatum, quia deviaverant a camino Sancte Crucis.

Requisitus qui erant presentes, dixit quod Bn. de Furno, et homines et femine de Lentescleriis.

Item dixit testis quod bene sunt ab VIII annis usque ad X annos, quod ipse testis, et quidam alii, scilicet Pe. Re., et alii, de quibus non recordatur, aportaverunt trocellos pannorum a Monteferrando de Alvernia ad Montempessulanum, et transiverunt per villam de Lentescleriis; solverunt ibidem pedagium Sancte Crucis Johanni Ambrosio et Jo. de Gerviaco clericis.

Requisitus quot erant trocelli, dixit quod XV.

Requisitus qui erant presentes, dixit quod capellanus ecclesie de Lentescleriis et homines de Lentescleriis in solutione pedagii.

Pe. Garnerius, habitator Montispessulani in parte domini episcopi Magalonensis, testis juratus, dixit quod ipse testis transivit per Lentesclerias, tribus vicibus, X anni vel XII anni sunt transacti, cum bestiis honeratis, scilicet prima vice, de aluni et aliis duabus vicibus de *cordoan*, quas ducebat a Montepessulano [ad] Sumidrium : et, dictis duabus primis vicibus, solvit pedagium Sancte Crucis ante portale de Lentescleriis, in camino, subtus ortos, duobus clericis ; et, tercia vice, dedit eisdem clericis, et in eodem loco, duas flaciatas in pignore pro pedagio.

Requisitus qui erant dicti clerici, dixit quod nescit.

Requisitus quot bestias ducebat prima vice, dixit quod quinque bestias, inter ipsum testem et duos juvenes de quibus non recordatur ; et, secunda vice, IIII^or bestias inter ipsum testem et quemdam juvenem de Lezano, de quo non recordatur ; et, tercia vice, IIII^or bestias, inter ipsum testem et Durantum Gegam.

Requisitus de presentibus, dixit quod non recolit.

Raimundus Testa Januensis, testis juratus, dixit se vidisse et audivisse, XIII anni sunt transacti, quod ipse testis, et Bn. Pellicerius, et nuntii ejus, ducentes a X usque XV bestias cum trocellis, de Montepessulano in Franciam, et intrasse caminum Sumidrii super pontem Salaronis, canonici et homines, pro domino Johanne, condam episcopo Magalonensi, quia viderunt quod deviabant caminum Sancte Crucis, ceperunt I mulum cum omnibus flaciatis, quas portabant super trocellos, et duxerunt eum retro ad Montempessulanum pro pedagio.

Requisitus qui erant canonici, vel alii homines, dixit quod nescit, nisi quia dicebant quod erant episcopi Magalonensis.

Item dixit testis se audivisse dici a dicto B. Pelliccrio, quod solverat pedagium et recuperaverat mulum et flaciatas.

Requisitus quot erant flaciate, dixit quod a X usque ad XIII.

Item dixit testis quod, alia vice, VIII anni sunt transacti, ipse testis ducebat duas bestias honeratas de *cordoan* pro mercede, de Montepessulano [ad] Sumidrium; et mercator, cujus erant carge, dixit ipsi testi: *dic pedagerio de Lentescleriis ex parte nostra, quod dimittat te ire, quia habet pignus meum vel verbum*. Et permisit ipsum transire.

Requisitus qui erat mercator, dixit quod non recolit.

G. Princeps, burgensis de Montepessulano, habitans in parte domini regis Aragonum, testis juratus, dixit quod ipse testis et P. Bonifacius convenerunt ex pignore vel empcione a domino Jo[hanne] de Montelauro, condam episcopo Magalonensi, pedagium Sancte Crucis.

Requisitus per quantum tempus tenuerunt, dixit quod nescit.

Requisitus utrum ex emptione vel pignore, dixit quod nescit, nisi secundum quod continetur in instrumento inde facto, quod ipse testis non habet.

Item dixit testis, quod ipse testis et dictus Petrus Bonifacius statuerunt quendam clericum; et dictus clericus statuit, ut credit, quendam laicum, de cujus nomine non recordatur; sed alter eorum vocabatur Po., ut sibi videtur, qui acciperent pedagium, apud Lentesclerias, a transeuntibus per Lentesclerias a Montepessulano in Franciam per Gavaudanum, vel converso.

Item dixit testis, quod pluries ipse testis et Pe. Bonifacius pluries ibant Sumidrium ad dictum Odardum, condam senescallum Bellicadri, et transibant per villam de Lentescleriis; et dictus Pe. Bonifacius conquerebat, quandoque a dicto clerico, et quandoque a dicto laico, si habebant aliquid de pedagio; et ipsi dicebant quandoque quod sic, et quandoque quod non.

Item dixit testis quod, una vice, fuit responsum apud Len-

tesclerias dicto P. Bonifacio, ab altero dictorum clerici et laici, sed nescit pro certo a quo, quod habuerat XII solidos de dicto pedagio. Item dixit quod Jo. Bonifacius reddidit ipsi testi pluries partem suam de peccunia, quam dicebat se habuisse de pedagio de Lentescleriis, sed nescit quantum sibi reddebat.

Requisitus de tempore, dixit quod non recolit; sed instrumentum fuit factum, et tempus est ibidem scriptum; et credit quod tenuerunt dictum pedagium per IIII[or] annos.

Requisitus de presentibus qui interfuerunt predictis, et super aliis omnibus requisitus, dixit se nichil aliud scire quam supra dixit.

Julianus Lavanderius, prior Sancti Cosme de Montepessulano, testis juratus, dixit se vidisse et audivisse, XV anni sunt transacti, ut credit, quod Paulus sacerdos accipiebat, in ponte de Castronovo, pedagium Sancte Crucis et de Lentescleriis, pro domino Johanne, condam episcopo Magalonensi, ut dicebatur et fama erat.

Item dixit se vidisse dictum Paulum, una vice, arrestare in dicto ponte bestias et trocellos, quousque aventurerii, ducentes bestias, solvissent sibi pedagium.

Requisitus si vidit eum accipere peccuniam pro pedagio, dixit quod sic, sed nescit quantum.

Item dixit se vidisse postea, alia vice, quod aventurerii, ducentes trocellos, solverunt dicto Paulo pedagium sine arrestacione bestiarum.

Item requisitus qui erant aventurerii, vel quod solverunt sibi dictum pedagium, dixit quod nescit.

Item requisitus quot bestie vel trocelli erant ibi prima vice, dixit a X bestiis cum trocellis usque ad XII; et, secunda vice, usque ad V bestias.

Requisitus quo ibant, vel unde veniebant, dixit quod nescit quo irent, sed de Montepessulano exibant.

Item requisitus, dixit quod dicte vices fuerunt infra I mensem.

Item requisitus qui erant presentes, dixit quod Johannes Rocha, qui mortuus est, et alii de quibus non recordatur.

Guillelmus Laurentius de Lentescleriis, homo domini episcopi Magalonensis, testis juratus, dixit se vidisse et audivisse distringi pedagium apud Lentesclerias, pro domino Johanne, condam episcopo Magalonensi;

Requisitus quis distringebat dictum pedagium, dixit quod Poncius Bazinus clericus accipiebat, in villa de Lentescleriis, pedagium.

Requisitus a quibus accipiebat pedagium, dixit quod ab aventureriis qui transibant per Lentesclerias versus Sumidrium.

Requisitus de tempore, dixit quod sunt a VIIII annis usque ad X; et hec vidit, tempore domini Johannis et domini Rainerii, condam episcoporum Magalonensium.

Requisitus quot vicibus vidit dictum clericum accipere pedagium apud Lentesclerias, respondit duabus vicibus in peccunia numerata.

Requisitus quantum accepit prima vice, et quantum secunda vice, et quot bestie, quot trocelli, quot aventurerii erant ibi prima vice et secunda, dixit quod non recolit.

Item requisitus ubi accepit, prima vice, dictus clericus dictum pedagium, dixit quod ante portale de Lentescleriis.

Requisitus a quo accepit pedagium, dixit quod a quodam homine, qui sedens numeravit peccuniam et solvit dicto clerico; quem hominem idem testis non cognoscebat.

Item requisitus ubi, secunda vice, accepit dictus clericus dictum pedagium, dixit quod ultra Lentesclerias, in loco qui appellatur C Solidi, qui locus est inter Lentesclerias et Sumidrium.

Requisitus a quo, dixit quod a quodam homine, qui ducebat bestias, quem ipse testis non cognoscebat.

Item requisitus utrum gratis vel compulsi dicti domini solverunt pedagium dicto clerico, dixit quod gratis.

Requisitus qui erant presentes, dixit quod ipse testis, et dictus clericus, et non alii quod ipse sciat.

Item requisitus quo ibant, et unde veniebant dicte bestie cum trocellis, dictis duabus vicibus, dixit quod de versus

caminum Montispessulani veniebant, et versus Sumidrium ibant.

Item dixit testis se vidisse antea, XIIII anni vel XV sunt elapsi, Johannem Ambrosium clericum pignorare, pro pedagio et de recore, trocellos, transeuntes per villam de Lentesceriis.

Requisitus quot vicibus hoc vidit, vel quo ibant aventurerii, ducentes bestias cum trocellis, vel unde veniebant, vel qui erant presentes, vel quot erant trocelli, dixit quod nescit; sed ita vidit aliquibus vicibus, sed nescit quot.

Super aliis requisitus, dixit se nichil aliud scire.

Poncius Esmeratus de Lestescleriis, homo domini episcopi Magalonensis, testis juratus, dixit se vidisse et audivisse, quod Johannes Ambrosius clericus accipiebat pedagium apud Lestesclerias, et dicebatur quod hoc faciebat pro domino Jo[hanne], condam episcopo Magalonensi.

Item dixit se vidisse semel, XIIII anni sunt elapsi, quod aventurerii cum bestiis et trocellis veniebant de versus Montempessulanum, per caminum de Lentescleriis, et ibant versus Sumidrium; et cum venirent dicte bestie cum trocellis, ante portale de Lentescleriis, dictus clericus cepit primum mulum de illis qui portabant trocellos ad capsanam; et incepit eum ducere versus Sanctam Crucem. Et quidam aventurerius venit currens, et cepit dictum mulum ex alia parte per capsanam, et non permittebat dicto clerico ducere dictum mulum. Et tunc dictus clericus quadam pala de fusto, quam portabat, percussit in capite dictum aventurerium, ita quod dimisit dicto clerico dictum mulum; et tunc dictus clericus projecit trocellum, quem portabat dictus mulus, in terram, et cepit mulum, et incepit eum ducere; et duxit paululum versus Sanctam Crucem. Et tunc aventurerii secuti fuerunt eum et convenerunt cum dicto clerico, ut credit, quod recuperaverunt mulum.

Item dixit testis, quod homines de Lentescleriis stabant tunc, parati ad auxilium dicti clerici, si fieret finis, quin posset accipere pedagium.

Requisitus qui erant presentes, dixit quod non recordatur : sed multi erant ibi.

Requisitus si vidit dictum Johannem Ambrosium accipere pedagium, ita quod daretur sibi ab aventurereriis, dixit quod non.

Item dixit testis se vidisse et audisse pluries, ab VIII annis excepto ab anno presenti citra, quod Poncius Bazinus clericus accipiebat pedagium, pro domino Rainerio, condam episcopo Magalonensi, et pro domino P[etro], nunc episcopo, apud Lentescleriás, ab aventurereriis transeuntibus per Lentesclerias cum trocellis.

Requisitus quot vicibus hoc vidit, dixit quod nescit : sed pluries hoc vidit.

Item requisitus a quibus aventurereriis vidit accipi dictum pedagium, dixit quod nescit : quia non cognoscebat gentes transeuntes per caminum.

Item requisitus quo ibant, vel unde veniebant dicti aventurerii cum trocellis, dixit quod nescit ; sed petebatur et accipiebatur ibi pedagium ab illis trocellis, qui de Montepessulano portabantur versus Alestum, et de Alesto versus Montempessulanum, quia deviaverant caminum Sancte Crucis.

Item requisitus in quo loco dictum Poncium Bazinum accipere dictum pedagium [vidit], dixit quod quinque in villa de Lentescleriis, et quinque in claustro ecclesie de Lentescleriis, ubi aventurerii aportabant sibi pedagium.

Super aliis requisitus, dixit se nichil plus scire.

Michael, curatus de Lentescleriis, homo domini episcopi Magalonensis, testis juratus, dixit se vidisse, diu est, Johannem Ambrosium et Poncium Bazinum clericos distringere et forsare, apud Lentesclerias, pedagium Sancte Crucis pro domino episcopo Magalonensi.

Item dixit testis se vidisse et audivisse, a VIIII annis citra, continue dictum Poncium Bazinum stare pro clerico apud Lentesclerias ; et vidit, a dicto tempore citra, dictum Poncium Bazinum pluries accipere pignora ab aventurereriis, transeuntibus per Lentesclerias, cum bestiis et trocellis, sive cargis ; et

quod aventurerii, transeuntes per Lentesclerias, solverunt, ter vel quater, et pluries, denarios pro pedagio trocellorum transeuntium per Lentesclerias.

Requisitus qui erant aventurerii qui solvebant sibi dictum pedagium, dixit quod nescit, quia non cognoscebat eos.

Item requisitus, ubi solverunt aventurerii dicto Poncio dictum pedagium in denariis, dixit quod, ad portale superius de Lentescleriis una vice, et ad portale inferius alia vice, in claustro de Lentescleriis alia vice.

Requisitus qui erant tunc presentes, dixit, quod non recolit.

Item dixit testis se vidisse pluries quod aventurerii, transeuntes cum trocellis per Lentesclerias, querebant ubi erat pedagerius, et dabant pignora Poncio Bazino pro pedagio.

Item dixit se vidisse, XVI anni sunt elapsi, quod Jo. Ambrosius predictus, una vice, detrocavit trocellos, transeuntes per Lentesclerias versus Sumidrium, et aventurerii promiserunt dicto Johanni solvere pedagium.

Requisitus super aliis requirendis, dixit se nescire aliud quam supradixit.

Dalmacius de Amerella de Lentescleriis, homo domini episcopi Magalonensis, testis juratus, dixit se vidisse, a XV annis citra, proxime transactis, vel XVII annis citra, exceptis duobus annis proxime transactis, pezajare multociens, apud Lentesclerias, Johannem Ambrosium, et Bernardum de Solo, et Poncium Bazinum clericos, pro dominis Johanne et Rainerio, condam Magalonensibus episcopis, pro domino P[etro] (1), nunc episcopo Magalonensi.

Requisitus quos pezajabant, dixit quod omnem aventuram que transibat per Lentesclerias, que debebant transire per caminum Sancte Crucis.

Requisitus quot vicibus vidit pezajare dictos clericos apud Lentesclerias, vel quos aventurerios pezajabant, vel unde veniebant, vel quo ibant aventurerii, dixit quod nescit pro certo; sed pezajabant, ut dicebant, omnem aventuram que a

(1) Cart.: *Jo.*

Montepessulano ibat versus Anicium, vel ab Anicio versus Montempessulanum.

Item dixit testis se vidisse et audivisse, VIIII vel (*blanc f cent.*) anni sunt transacti, quod Ber. de Fisco, prior ecclesie de Lentescleriis, quadam die clamavit : *ad arma*, apud Lentesclerias, quia aventurerii, cum trocellis transeuntes per Lentesclerias, nolebant solvere pedagium.

Et tunc, ipse testis et multi de Lentescleriis iverunt cum dicto priore, et invenerunt dictos trocellos et aventurerios prope Lentesclerias, inter puteum et stagnum. Et dictus prior incepit arrestare mulos aventureriorum, dictis aventureriis se deffendentibus cum caparellis et cultellis ; et dictus prior cum dictis hominibus retinuerunt et duxerunt retro bestias, et forsaverunt eos. Et tunc quatuor vel V de dictis aventureriis, quos ipse non cognoscebat, promiserunt dicto priori se facere voluntatem Poncii, pedagerii Sancte Crucis, super pedagio ; et ita dimisit prior aventurerios ire.

Requisitus unde veniebant, et quo ibant aventurerii, dixit quod de versus Sumidrium veniebant, et versus Montempessulanum ibant.

Requisitus qui erant presentes, dixit quod Pe. Stephani nichil habere, et multi alii de Lentescleriis.

Requisitus quot erant ibi trocelli, dixit quod L et plus.

Requisitus super aliis, dixit se nichil aliud scire.

Bn. de Mala villa de Lentescleriis, homo domini episcopi Magalonensis, testis juratus, dixit se vidisse semel, XV anni sunt elapsi, Johannem Ambrosium accipere pedagium, pro domino Johanne, condam episcopo Magalonensi, apud Lentesclerias.

Requisitus a quibus accepit dictum pedagium, dixit quod ab aventureriis qui transibant per Lentesclerias, quos ipse testis non cognoscebat.

Requisitus utrum pro pedagio accepit ab eis denarios vel pignus, dixit quod nescit ; sed credit quod denarios, quia juvenibus de Lentescleriis dedit dictus Johannes quibusdam III denarios, quibusdam IIII denarios pro pilleis, quia

juvaverant eum distringere et forsare dictos aventurerios, ad solvendum sibi pedagium Sancte Crucis.

Requisitus dixit quod dicti aventurerii veniebant de versus Montempessulanum, et ibant versus Sumidrium per caminum.

Item requisitus qui vel quot erant aventurerii vel trocelli, dixit quod nescit.

Item dixit testis se vidisse et audivisse, pluribus vicibus a X annis citra, Poncium Bazinum clericum accipere pedagium Sancte Crucis apud Lentesclerias.

Requisitus a quibus accipiebat pedagium, dixit quod a transeuntibus per Lentesclerias cum cargis vel trocellis.

Requisitus quot vicibus, dixit quod quatuor vel quinque vicibus, et sunt plus.

Requisitus qui erant illi, dixit quod nescit, quia non cognoscebat eos.

Requisitus ubi vidit dictum Poncium accipere dictum pedagium, dixit quod apud Lentesclerias ante portale in camino.

Requisitus quantum accipiebat pro pedagio, vel qui erant presentes, dixit quod non recolit.

Petrus de Cruce de Lentescleriis, homo domini episcopi Magalonensis, testis juratus, dixit se vidisse et audivisse, a XV annis citra, pluries, tempore domini Johannis de Montelauro, et domini Rainerii, condam episcoporum Magalonensium, et eciam tempore domini Pe[tri], nunc episcopi Magalonensis, Johannem Ambrosium et Johannem de Podio Abone, et Petrus et Bn. de Solo, et postea Poncium Bazinum clericos, stare apud Lentesclerias, et distringere et forsare aventurerios, qui transibant cum trocellis per Lentesclerias, ad solvendum pedagium Sancte Crucis, quia deviabant caminum Sancte Crucis.

Requisitus qualiter scit, dixit quia vidit pluries dictos clericos derocare trocellos, et accipere flaciatas desuper trocellos, qui transibant per Lentesclerias, quia deviabant pedagium Sancte Crucis.

Requisitus quot vicibus vidit dictum Johannem Ambrosium et alios clericos singulariter derocare trocellos, vel accipere

flaciatas desuper trocellos, vel qui erant, vel quot aventurerii, vel unde veniebant, vel quo ibant, dixit quod nescit.

Requisitus ubi vidit capi dictas flaciatas, dixit quod in villa de Lentescleriis et ante portale de Lentescleriis.

Item requisitus dixit quod numquam vidit dictum pedagium solvi alicui de dictis clericis in peccunia, quia ipse testis est agricultor, et de agricultura sua (*mot illisible*), sed audivit dici.

Super aliis requisitus, dixit se nichil scire.

Anno Domini M° CC° LVI°, scilicet die lune post octavas Penthecostes, magister P. de Mandolio notarius recepit testes infrascriptos super pedagio Sancte Crucis a ducentibus per Lentesclerias, de mandato domini G. de Autonio militis, senescalli Bellicadri et Nemausi.

G. de Agantico de Sumidrio, testis juratus, dixit se vidisse et audivisse, tempore domini Bn. de Mezoa, episcopi Magalonensis, et sunt XX^{ti} anni transacti et plus, quod R. Lanberti de Montepessulano tenebat et percipiebat pedagium Sancte Crucis pro dicto domino episcopo, a quo dicebatur idem R. (1) emisse pedagium Sancte Crucis.

Item dixit se audivisse pluries, cum R. Lanberti predictus loqueretur cum domino Peregrino, condam senescallo Bellicadri, super distringentibus pedagium Sancte Crucis quod dictus dominus Peregrinus dicebat dicto R. Lanberti quod quicumque aliqui ducentes ubicumque a dicto pedagio Sancte Crucis, quod pignoraret eos pro dicto pedagio.

Item dixit se audivisse dici a pluribus, tempore quo dominus Johannes de Montelauro fuit episcopus Magalonensis, quod idem dominus Johannes episcopus pignorabat et faciebat pignorari divertentes a pedagio Sancte Crucis, ubicumque invenirentur.

---

1 Le *Cartulaire* porte ici *R.*, et deux lignes plus haut *Bn.* : plus bas, au contraire, par deux fois, *R.* Nous croyons qu'il faut lire *Raimond*. — Voir *Cartulaire*, T. II. p. 292.

Item dixit se vidisse et audivisse, quod multi conquesti fuerunt domino Peregrino, quod dominus Johannes de Montelauro, episcopus Magalonensis, pignoraverat eos, quia divertebant a camino Sancte Crucis. Et dictus dominus Peregrinus respondit conquerentibus, quod non intromitteret se de pedagio Sancte Crucis domini episcopi Magalonensis; propter quam responsionem dicti domini Peregrini, ipse testis multociens fuit iratus. ,

Item dixit testis se audivisse dici a pluribus, tempore domini Rainerii, condam episcopi Magalonensis, quod idem dominus Rainerius episcopus pignorabat et faciebat pignorari divertentes a pedagio Sancte Crucis.

Item dixit testis quod, [quando] dominus Lodovicus, rex Francie, transfretavit, ipse testis rogavit predictum dominum regem, apud Aquas Mortuas, quod concederet quod caminum transiret per castrum Sumidrii, ut dictum castrum melioraretur; et dominus rex respondit ei quod injuriam faceret episcopo Magalonensi. Et ipse testis dixit domino regi: *domine, concedatis hoc, si ego possum impetrare cum episcopo Magalonensi.* Et dominus rex respondit quod sic. Et tunc precepit O. (1) de Villerio, senescallo Bellicadri, quod faceret transire caminum per castrum Sumidrii, [si] posset impetrari cum episcopo Magalonensi, quod hoc vellet, et quod dictus episcopus acciperet pedagium apud Lentesclerias.

Item dixit testis quod post hec ipse testis fecit congregari dominum O. de Villerio, olim senescallum, et dominum Johannem, condam episcopum Magalonensem, apud Montempessulanum, in aula dicti episcopi; et rogavit dictum dominum episcopum, quod permitteret transire caminum Sancte Crucis per castrum Sumidrii, et quod ipse episcopus acciperet pedagium suum apud Lentesclerias. Et ipse testis retulit dicto episcopo verba que habuerat super hec cum dicto rege. Et dictus dominus episcopus respondit dicto O., senescallo, et ipsi testi, quod non faceret, nisi haberet super hoc

(1) Cart.: *G.* Nul doute qu'il s'agit d'Odard de Villars. Nous substituons partout la lettre *O* à la lettre *G.*

litteras a domina regina Francie. Et tunc ipse testis ivit in Franciam, et attulit super hoc litteras domine B[lanche], regine Francie, et ostendit eas dicto episcopo et dicto O. senescallo Et cum concordassent dictus epicopus et dictus O. senescallus, quod caminum transiret per Sumidrium, et quod dictus episcopus acciperet pedagium suum apud Lentesclerias a transeuntibus per caminum Sumidrii, audivit dici postea a dicto senescallo, quod multi mercatores apud Alestum venerant coram eo, dicentes quod periculum et disturbium transeuntium esset si caminum Sancte Crucis transiret per Sumidrium; et ita remansit quod caminum non transivit per Sumidrium. Et tunc ipse testis emit pedagium Sancte Crucis a domino Jo[hanne], episcopo condam Magalonensi, et incepit compellere aventurerios, transeuntes per caminum Sancte Crucis, ut transirent per castrum Sumidrii. Et tunc aventurerii conquesti fuerunt super hoc domino O., condam senescallo: ibi audivit dici in pignorando pro dicto pedagio eos qui divertebant a dicto pedagio.

Requisitus qualiter scit, dixit quod vidit quod Turpinus et familia dicti episcopi pignoraverunt pluries divertentes a camino Sancte Crucis, et hoc vidit ipse testis: non recolit tamen quos pignoraverunt a dicto senescallo. Et dictus senescallus tunc mandavit ipsi testi, quod non compelleret de cetero aliquem transire per caminum Sumidrii; et ipse testis tunc cessavit.

Item dixit testis se vidisse et audivisse quod, tempore quo ipse testis impetravit litteras predicte domine regine, dictus dominus Johannes episcopus erat in possessione percipiendi pedagium Sancte Crucis, inpignorando pro dicto pedagio eos qui divertebant a dicto pedagio.

Requisitus qualiter scit, dixit quod vidit quod Turpinus et familia dicti episcopi pignoraverunt plures, divertentes a camino Sancte Crucis; et hoc vidit ipse testis: non recolit tamen quos pignoraverant.

Jo. Bidocius de Sumidrio, testis juratus, dixit se vidisse et audivisse, a tribus annis vel a IIIIor annis citra, quod ipse

testis et G. de Agantico ibant versus Montempessulanum: et, cum essent inter Castrias et Lentesclerias, dictus G. de Agantico, qui emerat, ut dicebat, pedagium Sancte Crucis ab episcopo Magalonensi, ut dicebat dictus G. de Agantico, invenerat trocellos qui diverterant a camino Sancte Crucis. Et, quia diverterant a dicto camino, dictus G. de Agantico cepit II flaciatas de supra trocellos; et post paululum, ad preces ipsius testis, reddidit dictas flaciatas.

Item dixit testis se vidisse et audivisse, a tribus annis vel a quatuor annis citra, alia vice, quod ipse testis et G. de Agantico veniebant de Montepessulano, et ibant Sumidrio; et, dum essent inter Castrias et Lentesclerias, obviaverunt R. Monacho, filio dicti G. de Agantico. Et ipsi tres viderunt ibi multos trocellos; et dictus G. de Agantico qui, ut dicebat, emerat pedagium Sancte Crucis ab episcopo Magalonensi, minatus fuit aventureriis; et dictus Monachus secutus fuit dictos aventurerios; et dixit idem Monachus postea ipsi testi, quod habuerat X solidos a dictis aventureriis pro dicto pedagio.

Item dixit testis quod Bert. Bedocius, frater suus, emit pedagium Sancte Crucis a G. de Agantico, qui emerat, ut dicebat, dictum pedagium ab episcopo Magalonensi. Et vidit tunc semel quod Pe. et R. Bidocii, filii dicti Bert. Bidocii, qui custodiebant dictum pedagium pro dicto Bertrando, attulerunt apud Sanctam Crucem denarios, nescit tamen quot, et pignora, non recolit tamen qualia erant. Et dixerunt quod dictos denarios et pignora habuerant ab aventureriis, qui transibant per caminum de Salarone, cum familia dicti episcopi qui eos juverant ad pignorandum, ut dicebant.

(Reg. A, fol. 109 r°, et 236 r°, d'après un vidimus sans date).

DCXIV. — 31 janvier 1256

Alexandre IV ordonne à l'archevêque d'Arles de faire cesser les empêchements que le sénéchal de Beaucaire apporte dans la perception, par l'évêque de Maguelone, des droits de péage à Sainte-Croix.

(Reg. F, fol. 118 v°).

Edité dans *Bullaire de l'Eglise de Maguelone*, t. II, p. 334.

DCXV. — 6 février 1256

Alexandre IV rappelle à Pierre de Conques la bulle que Innocent IV avait adressée à Rainier pour la réforme du Chapitre, et lui ordonne de la mettre à exécution.

(Reg. F, fol 59 r°, et reg. B, fol. 239 r°).

Edité dans *Bullaire de l'Eglise de Maguelone*, t. II, p. 336.

DCXVI. — 15 février 1256

Alexandre IV ordonne que désormais les chanoines bénéficiers devront rendre compte de leur administration tous les ans ; ils ne sont pas inamovibles ; le Pape règle par qui et comment se feront les changements.

(Reg. F, fol. 158 r°, et reg. B, fol. 239 v°).

Edité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 343.

DCXVII. — 29 février 1256

Quelques marchands prenant une fausse route pour se soustraire aux droits de péage de Sainte-Croix, Alexandre IV ordonne à l'évêque de les obliger à suivre l'ancienne voie.

(Reg. F, fol. 118 r° et 119 r°).

Edité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 348.

DCXVIII. — 29 février 1256

Les chanoines de Maguelone se prévalant des indults qui interdisent à l'évêque de les excommunier sans la permission du Chapitre, Alexandre IV ordonne à l'évêque d'ordonner au Chapitre de corriger les abus, sinon il devra le faire lui-même.

(Reg. F, fol. 141 v° et 254 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 346.

———

DCXIX. — 1249-1256

Accord entre le prévôt de Maguelone et le précepteur de l'hôpital de Saint-Antoine de la Cadoule.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis, hujus publici et autentici presentis scripti testimonio, universis presentibus et futuris clarum et indubitatum perpetuo maneat et existat, quod, cum inter prepositum et capitulum Magalonensem ex una parte; et fratrem Fulchonem, magistrum hospitalis Sancti Antonii de Cadolla de Montepessulano, ac fratrem Guillelmum, nunc preceptorem dicti hospitalis Sancti Antonii, in provincia Narbonensi, nomine ipsorum magistri Fulchonis et hospitalis Sancti Antonii memorati ex altera; super hospitali de Codolla, Magalonensis diocesis, super quibusdam aliis articulis certis ipsius hospitalis de Codolla questio verteretur, et esset diucius agitata :

Super eo quod dictus preceptor, nomine magistri et hospitalis Sancti Anthonii sepedicti, firmiter asserebat donacionem hospitalis de Codolla (*blanc de 2 cent.*) preceptori et fratribus ipsius hospitalis de Codolla, paucis tamen exceptis, liberaliter esse factam domui (1) Sancti Anthonii sepedicti, et a domino J[ohanne] de Montelauro bone memorie, tunc Magalonensi episcopo, confirmatam, et possessionem corporalem amplius

(1) Cart : *esse fratrem domus*.

hospitalis de Codolla sibi ac fratribus Sancti Antonii fuisse traditam, et ipsam pacificam diucius habuisse ;

Preposito et capitulo Magalonensibus asserentibus, ex adverso, dictam donationem, confirmacionem, et cetera que secuta fuerint ex eisdem, de jure minime valuisse, concilio et consensu ipsorum, scilicet Magalonensium prepositi et capituli predictorum, nec habito, nec petito, cum in talibus sint concensus Magalonensium prepositi et capituli requirendi ;

Adjecto quod tam jus concessionis, donacionis et subjeccionis, quam proprietatis sepefati hospitalis de Codolla, ad prepositum et capitulum Magalonenses pertineat, et debeat pertinere, utpote ratione libere concessionis, donacionis, assignacionis a preceptore et fratribus dicti hospitalis de Codolla, unanimiter facte preposito et capitulo Magalonensibus, prout in instrumento, inde confecto, plenius contineri, a parte dictorum prepositi et capituli Magalonensium firmiter dicebatur ;

De consensu utriusque partis, primo in bone memorie dominum R[ainerium], Magalonensem episcopum, et Brt. de Almeracio archipresbiterum (1) et priorem de Lunello, fratrem S., tunc preceptorem hospitalis Sancti Antonii de Biterri, super premissis compromissum extitit hinc et inde : qui arbitri, auditis rationibus parcium predictarum, pronunciaverunt predictam donacionem et confirmacionem de dicto hospitali de Codolla, factam dicte domui Sancti Antonii, et alia que secuta fuerant ex eisdem, nulla (*illisible 1 cent.*) titisse, nec habere de jure alicujus roboris firmitatem ;

A qua [pronun]ciacione, pro parte Sancti Antonii, extitit contradictum, et etiam appellatum ; post quam contradictionem, fratres Sancti Antonii a dicto hospitali de Codolla, ut asserunt, expulsi fuerunt, et per violenciam (*déchir. 4 cent.*) hospitale de Codolla et possessionem ipsius sibi restitui postulabant; tandem ne (*déchir. et illisible 6 cent.*) lapsum effici debeant in mortales, tres de Magalonensi capitulo, scilicet G. Christofori (*illisible 2 cent.*) archidiaconus et prior Sancti

(1) Cart.: *archipresbiterum.*

Firmins, Brt. archipresbiter et prior de Lunello, et G. Ebrandi, prior [de] Castronovo, electi fuerunt concorditer in eodem, qui, vice prepositi et capituli Magalonensium, super premis[sis] (*illisible 2 cent.*) inter dictas partes de concordia facienda, concessa, ipsis tribus, proxime nominatis, a predicto capitulo Magalonensi, et fratre S., predicto preceptore, magistri et fratrum hospitalis Sancti Antonii Viennensis nomine eorumdem, libera potestate ordinandi, componendi, statuendi, super predictis, quod eis videbitur expedire, prout in ipsorum litteris utrorumque sigillorum munimine roboratis, plenius continetur, quarum forma talis est (1).

Ipsi vero tres predicti in predicto fratre S., adjuncto preceptore dicti hospitalis Sancti Antonii in provincia Magalonensi, cum magistro P. de Oliviano, officiali domini Magalonensis episcopi, de consensu expresso fratris S., preceptoris Sancti Antonii in provincia Magalonensi, et procuratoris sepius memorati, in premisso negotio procedentes, et finem litibus imponere cupientes, pro bono pacis et concordie, ad vitandam scandali materiam in futurum, habito concilio et tractatu domini Magalonensis prepositi cum dicto magistro P. de Oviliano, et quorumdam aliorum Magalonensium canonicorum, ut asserunt, unanimiter statuerunt, diffinierunt et ordinaverunt quod quicquid juris habent, vel habere debent preceptor, et predictus prepositus, et capitulum Magalonense in supradicto hospitali de Codolla, fratres Sancti Antonii habeant et possideant, et habere debeant perpetuo, libere ac quiete, cum omnibus juribus, pertinenciis, et appendiciis suis, sine omni contradiccione, reclamacione, questione et retencione alicujus juris, specialis seu generalis, Magalonensis prepositi et capituli predictorum, sub modo, condicionibus, adjectionibus infra scriptis :

Videlicet quod fratres predicti Sancti Antonii, qui modo sunt vel fuerint in futurum in dicto hospitali de Codolla, teneant et observent, tenere et observare perpetuo teneantur hospitalitatem ibidem, sicut hactenus laudabiliter fieri consuevit.

---

(1) L'acte n'est pas cité.

Item dixerunt, statuerunt et ordinaverunt quod, in signum honoris et reverencie preposito et capitulo Magalonensibus, preceptor et fratres, in dicto hospitali de Codolla morantes, pro annuo censu, in dicto festo beatorum apostolorum Petri et Pauli, solvant perpetuo et solvere teneantur unum aureum annuatim.

Item dixerunt, statuerunt et ordinaverunt quod, de omnibus fructibus possessionum quas modo habet dictum hospitale de Codolla, vel in futurum in toto episcopatu Magalonensi, sive culte sint sive [inculte], et eciam de novalibus cum ad culturam devenerint, sive propriis manibus et sumptibus excolant, sive non; et de ortis, et nutrimentis animalium, et omnibus aliis et singulis terre nascentibus, decimas et primicias reddant, solvant, solvere et reddere teneantur, ecclesiis parrochialibus, in quarum parrochiis possessiones et alia fuerunt constituta, non obstantibus aliquibus privilegiis, indulgenciis, litteris quibuscumque, specialiter aut generaliter impetratis et impetrandis, habitis vel habendis, indultis vel indulgendis, dicto hospitali seu ordini Fratrum Pauperum Sancti Antonii dyocesis Viennensis.

Preterea dixerunt, statuerunt et ordinaverunt quod magister et fratres hospitalis Sancti Antonii, diocesis Viennensis, unum oratorium tantum habeant, et non ultra, in toto Magalonensi episcopatu, videlicet predicto hospitali de Codolla contiguum et conjunctum ; in quo semper habere possint duos sacerdotes, fratres dicti hospitalis Sancti Antonii ; et si fratres non haberent, possint habere alios duos non fratres, et non plures. Verumtamen sacerdotes viatores possint ibi divina officia celebrare. Oblaciones vero et vigilie que oblate fuerint altari, seu ministro dicti oratorii, integre dictum hospitale habeat et imperpetuum percipiat, in quibus Magalonensis Ecclesia nichil habebit, exceptis hiis que sacrista et procurator communis mense Magalonensis habere consueverunt in ecclesiarum consecrationibus et altaris.

Item quod dictum hospitale habeat tantum cimiterium ad opus fratrum dicti hospitalis de Codolla, habitum portancium Sancti Antonii Pauperum, et peregrinorum ibidem deceden-

cium. Si vero aliquis, gravatus infirmitate corporis, se tradiderit pro fratre domui Sancti Antonii, et habitum cum signo susceperit, et ex eo morbo vita functus (1) fuerit, vel non, in omnibus datis, donatis, relictis ab eo vel aliquo, nomine ejus, [in] infirmitate vel post, dicto hospitali seu domui Sancti Antonii, oratorio, vel clericis, vel fratribus, vel ordini, habebunt (*illisible 2 cent.*) ecclesiam (*illisible 4 cent.*) parrochiani tres partes, et dictum hospitale et domus Sancti Antonii (*illisible et déchir. 4 cent.*) infirmorum, que fiet a clericis vel laicis, tres partes, seu fratribus dicti hospitalis (*déchir. 4 cent.*) debent ipsi visitatores coram preposito Magalonensi, in manu domini (*déchir. 3 cent.*) bona fide, quod nichil dicant vel faciant erga infirmo[s], vel res eorum, ad (*déchir. 4 cent.*) vel parrochialis, nec infirmis penitenciam vel viaticum dare debent, nec cru (*déchir. 3 cent.*) vel aquam benedictam, vel ornamenta sacerdotalia debent deferre viventibus infirmis, vel (*déchir. 2 cent.*) in quam dictum hospitale, oratorium et cimiterium extenduntur (2).

Item parrochiali ecclesie infra (*déchir. 2 cent.*) est dictum hospitale, reverenciam exhibebunt habitantes in ea, sicud et alii parrochiani ; et excommunicatos vel interdictos a domino episcopo ab ipsa parrochiali ecclesia vel Magalonensi, non recipient ad divina, scilicet ipsos vitabunt et sententias latas a parrochiali vel Magalonensi ecclesia, cum mandatum habuerint, execucionem demandabunt, et eciam observabunt, salvis et retentis in omnibus et per omnia, domino Magalonensi episcopo et ejus successoribus in futurum, episcopali obediencia, reverencia et honore.

Item dixerunt, statuerunt et ordinaverunt quod magister et fratres Sancti Antonii, in dicto hospitali de Codolla morantes, ipsum hospitale de Codolla alienare non possint, nec in alias quascumque transferre personas, sine episcopi Magalonensis, prepositi et capituli consilio et assensu.

---

(1) Cart.: *fruitus*.

(2) Pour tout ce passage, voir les actes pareils avec les Hospitaliers, les Trinitaires.

Item dixerunt, statuerunt et ordinaverunt quod, si magister aut fratres Sancti Antonii, diocesis Viennensis, vel preceptor et fratres, in dicto hospitali de Codolla morantes, per se vel alios, jure vel facto, contra istam ordinacionem, in totum vel in partem, venirent, vel ipsam in aliquo infringere attemptarent, ipsum hospitale de Codolla, cum omnibus juribus et pertinenciis suis, ad prepositum et capitulum Magalonense, ut proprium, ipso facto libere revertatur, nisi infra mensem moniti duxerint integre emendandum, salvo jure dicti Magalonensis episcopi, quod in dicto hospitali habebat antea.

Item dixerunt, statuerunt et ordinaverunt quod magister et fratres Sancti Antonii, et preceptor, ac fratres, in dicto hospitali de Codolla morantes, hanc presentem composicionem seu ordinacionem, suis propriis sumptibus et expensis, suo capitulo et a domino Papa laudari faciant, et eciam confirmari; et hoc facere sine aliquibus sumptibus Ecclesie Magalonensis teneantur; et ipsam laudatam et confirmatam reddere Magalonensi preposito et capitulo antedictis, sine aliquo onere expensarum.

Item quod dixerunt, diffinierunt et ordinaverunt quod frater S., preceptor, et fratres Sancti Antonii, in dicto hospitali de Codolla morantes, teneantur fratres, et sorores, et presentes dicti hospitalis de Codolla tractare rancative eciam et benigne.

Et hoc utraque pars laudavit. Acta fuerunt hec anno Dominice Incarnationis millesimo CC° kalendas, in vigilia Omnium Sanctorum, in presencia et testimonio R. de Viridario, G. de Montelauro prioris de Ovorio (1), Bert. de Ballanicis, fratris G. de Sumena, fratris J. de Belavilla, fratris Gilii de Saragossa, R. de Buxeriis, Raphine, Bert. de Campinis, Bert. de Ballanicis, G. de Sancto Boneto canonici, anno quo supra.

Post hec autem, dominus Magalonensis episcopus, omnia superius scripta laudavit et confirmavit dictis fratribus Sancti Antonii, salvis et retentis sibi omnibus juribus que in dicto hospitali habere debet, sine impedimento juris alieni.

---

(1) Cart.: *Ovorzo.*

Testes magister P. de Oviliano, frater J. de Belavilla, frater Egidius.

Ecclesie vero ad episcopum pertinentes habebunt integre dictas tres partes, et salvo jure ipsius quod in dicto hospitali antea habebat, scilicet instituendi rectorem, et quolibet alio.

Anno quo supra et die, ego G. Cristofori, archidiaconus, prior Sancti Firmini, scio et cognosco me habuisse et recepisse a fratre S., preceptore hospitalis Sancti Antonii, sex milia solidorum, in quibus renuncio excepcioni non habite peccunie et non recepte.

Testes inferius scripti.

Anno quo supra et die, pronunciaverunt dicti arbitri quod frater S., preceptor dicti hospitalis Sancti Antonii de Codolla, in provincia Narbonensi, donet VI^{m} solidos in recompensacione dicti convivii, quod debebant facere in festo apostolorum Petri et Pauli; et dicti fratres a dicto convivio vel provisione sint semper liberi et immunes.

Testes sunt Bert. archipresbiter, R. de Viridario, G. de Montelauro, frater G. de Sumena (1), frater J. de Bellavilla, magister P. de Oviliano officialis.

Quam pronunciacionem, ordinacionem seu amicabilem composicionem dominus Petrus, Magalonensis episcopus, approbavit, laudavit et confirmavit, salvo tamen et retento sibi et successoribus suis in futurum (*déchir. 8 cent.*) tantibus in omnibus et per omnia jure in decimis, prim[iciis] (*déchir. 7 cent.*) eciam institucionibus et destitucionibus in dicto hospitali de Cod[olla] (*déchir. 6 cent.*) approbacionem, concessionem et confirmacionem fecit sepedictus dominus Mag[alonensis] (*déchir. 5 cent.*) juris alieni.

(Reg. A, fol. 288 v°).

La date qui se trouve dans le *Cartulaire*, et que nous avons conservée, est évidemment à rejeter. L'accord a été conclu pendant l'épiscopat de Pierre de Conques, témoin les personnages qui servirent d'arbitres, pour ne donner que cette raison.

(1) Cart.: *Lumena*.

DCXX. — 27 mai 1256

Donation à acapte d'une moitié de terre, et vente de l'autre moitié.

Anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, videlicet sexto kalendas junii, ego Guillelmus de Palacio, filius quondam Guillelmi de Palacio, voluntate et consilio magistri Johannis de Andusia, cirurgici, soceri mei, quod ego dictus magister Johannes confiteor esse verum; ego, inquam, predictus Guillelmus per me et meos... concedo in acapitum pro dimidia parte indivisa, et vendo pro alia parte dimidia indivisa.... tibi, Poncio de Duabus Gossis de Castronovo, et tuis ad omnes voluntates tuas... exceptis... cum consilio tamen et laudimio meo et meorum pro dimidia parte indivisa, et domini Magalonensis episcopi et suorum successorum pro indivisa parte dimidia, unam cordam minus tercia cane; que terra est prope hospitale Sancte Trinitatis; et confrontatur cum perpesia (1) Guillelmi Tonzelli, et ex alia parte cum honore mei, dicti Guillelmi de Palacio, carreria in medio, et ex alia parte cum honore seu perpesia Guillelmi de Duabus Gossis, fratris tui, et ex alia cum camino Sancte Trinitatis.

Tu vero et tui dabitis annuatim michi et meis, pro parte mea, in festo sancti Michaelis, pro usatico, quinque denarios et unam pictam; et dicto domino episcopo et suis successoribus, pro sua parte, alios quinque denarios et unam pictam, pro usatico, termino prestituto.

Propter hanc autem acapiti dacionem et vendicionem, perpetuo valituram, et pleno jure vallatam, dedisti et solvisti michi triginta et quinque solidos et septem denarios melgorienses, in quibus scienter renuncio excepcioni non habite et non recepte pecunie, ac dicti precii non soluti.

Dictam vero rem, acapitatam et venditam cum omnibus suis pertinenciis et juribus, faciemus ego et mei tuos habere semper... et ab omni homine et femina contradicente jure

(1) Cart.: *perpreza*.

deffendemus; et pro eviccione... obligo tibi et tuis me et omnia bona mea, presencia et futura : et de ipsa re et ejus pertinenciis me disvestiens... et te investiens... te inde verum dominum... in tuam rem propriam facio,... nichil quidem dictum... a me... quominus hec omnia perpetuam et inviolabilem obtineant firmitatem ; et hec me semper observaturum... juro super sancta Dei evangelia corporaliter a me tacta sponte.

Horum sunt testes Raimundus Sirven, Bernardus Embicier, Johannes de Vianes, et ego Poncius d[e] Ulmo, notarius Montispessulani, qui mandato parcium hec scripsi.

Post hec, anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quinquagesimo octavo, videlicet XVI° kalendas aprilis, dominus Guillelmus Cristofori, Dei gratia Magalonensis episcopus, predicta omnia laudavit et confirmavit dicto Poncio de Duabus Gossis, et suis ; asserens et cognossens se ab eo habuisse, pro laudimio et consilio, duos solidos melgorienses, de quibus se tenuit per paccatum.

Testes sunt magister Petrus Almeradi, Magalonensis archidiaconus, magister Johannes Brunnenc, Johannes Cordurier sacerdos, et ego Poncius de Ulmo, notarius Montispessulani publicus, qui mandato parcium hec scripsi.

(Reg. E, fol. 139 r° et 139 v°).

DCXXI. — 27 septembre 1256

Jean Catalan vend à son frère Bernard les parts qu'il a sur les maniguières de l'étang de Melgueil.

Anno Dominice Incarnacionis M° II^c LVI, quinto kalendas octobris, ego Johannes Cathalani (1) peyssonerius, et ego Salvator, et ego P., et ego Berengarius, et ego Sybienda, filii ejusdem Johannis et condam Bnde ejus uxoris, nos omnes per nos et per nostros omnes quisque insolidum... vendimus...

(1) Voir acte du 25 juin 1249 (T. II, p. 652).

tibi Bn. Cathalani, notario Montispessulani, et tuis, et quibus volueris ad faciendas omnes voluntates tuas... exceptis... cum consilio tamen domini Magalonensis episcopi vel bajuli sui de Melgorio pro medietate, ac liberorum condam Raimundi de Melgorio pro quarta parte, et Bertrandi de Blauzaco militis pro liberis suis pro residua quarta parte, scilicet totas quinque partes de undecim partibus pro indiviso, de quinque manegueriis cum omnibus suis pertinentiis et adjacentiis, et de omni eo quod sub infrascriptis confrontationibus continetur.

Que quidem manegueriе sunt in stagno Melgorii apud Astellam ex parte maris, et confrontantur cum manegueriis Guillelmi Senherii et Guillelmi Clavelli de Latis, passa sive viatico in medio, et cum terra que est ex parte maris, et ex aliis partibus cum stagno.

Dictas, inquam, res venditas et earum possessiones volumus, concedimus et mandamus te, propria auctoritate tua, corporaliter apprehendere et nancisci, nobis invitis et irrequisitis, eciam ignorantibus; et quousque easdem res et earum possessionem apprehendere et possidere ceperis, constituimus nos ipsas res venditas, pro te et tuo nomine precario, possidere, nulla possessione civili vel naturali penes nos remanente. Cedimus enim tibi et tuis, et in te et tuos prorsus transferimus, totum jus proprietatis et possessionis, et quodlibet aliud jus reale, personale, utile et directum et mixtum, et in predictis rebus venditis, vel pro eis, quocumque modo nobis competens; et dominum procuratorem in rem tuam te facimus, ut melius et plenius tuo tuorumque comodo dici, scribi, vel dictari, vel ab aliquo sapiente cogitari potest, vel poterit ullo tempore.

Propter hanc autem vendicionem... recognoscimus te nobis dedisse et solvisse, nomine [precii], vera numeratione peccunie interveniente, viginti libras melgorienses, quas nobis plenarie exsolvisti, ita quod nichil inde penes te remansit in debito ad solvendum; et in eis XX libris renunciamus, ex certa sciencia, exceptioni non numerate peccunie et precii non soluti; et, de dictis viginti libris, [te] et tuos et omnia bona tua imperpetuum liberamus et absolvimus; asserentes et confitentes dictum precium justum et amplum esse, et quod a nemine tantum

precium potuimus reperire, licet per multum [temporis] perquisierimus diligenter. Quidquid autem dicte res vendite plus predicto precio valent vel valebunt, totum, quantumcumque excederet quantitatem, tibi et tuis... donamus...; sed tu dabis inde dictis dominis quintam partem piscium levatis mangillis consuetis, et ultra usaticum piperis quod annuatim dari debet.

Nos autem tibi stipulanti promittimus, quod predictas tibi venditas res faciemus te et tuos, et quos volueris semper... pacifice possidere, et ab omni contradicente jure semper tibi deffendemus; et pro hiis omnibus predictis et singulis pac (*blanc 1 cent.*) semper manendis, et pro eviccione totali vel particulari, si inde contingeret restituenda, obligamus tibi et tuis firmiter et astringimus, quisque insolidum, nos et omnia bona nostra presencia et futura. Item tibi stipulanti promittimus quod nil diximus... quominus hec vendicio et hec omnia predicta et singula semper inviolabiliter gaudeant firmitate; nec aliquo jure... contra ea vel eorum aliquod nunquam veniemus, tibi promittimus, et juramus super sancta Dei evangelia a nobis corporaliter tacta; renunciantes in ipso juramento... expresse fori privilegio et deliberatoris, et induciis cadrunestibus, et beneficio nove constitutionis;

Et nos predicti Salvator, et Petrus, et Berengarius, et Sibienda beneficio minoris etatis, et auxilio restitutionis, et omni alii juri, rationi et consuetudini quibus contra predicta venire possemus; et hec omnia et singula predicta vera esse, servare, complere, et contra non venire asserimus et promittimus, et juramus tibi sponte super sancta Dei evangelia a nobis corporaliter tacta. Sub quo sacramento et obligatione bonorum nostrorum, promitimus et convenimus, quisque insolidum, nos facturi et conservaturi, quod Jacobus, filius mei Johannis et frater (1) nostri aliorum, predictam vendicionem, et omnia predicta et singula laudabit, ratificabit et conservabit tibi sacramento, et cum omnibus renunciacionibus et cautelis, gratis et sine traditione cujuslibet rei, cum erit etatis XIIII annorum.

---

(1) Cart.: *fratris.*

Et ego Johannes Firmini, notarius juratus dicte Sybiende, hanc venditionem, et omnia predicta et singula, que superius continentur, laudo, ratifico et confirmo imperpetuum tibi, dicto Bn. Cathalani emptori et tuis, et solvo et concedo imperpetuum gratis tibi totum jus, quod in predictis rebus tibi venditis habeo.... promittens tibi stipulanti quod contra predicta nunquam veniam bona fide.

Horum omnium sunt testes G. Cathalani peyssonerius, P. de Montillis, Philippus *del Frau* peyssonerius, et ego Bndus de Ginhaco, publicus Montispessulani notarius, qui hec omnia predicta et singula, mandato parcium, scripsi, et, errorem emendando, rasi et rescripsi ubi dicitur *omni*, scilicet in tercia linea a principio computando.

Post hec anno quo supra, quinto kalendas marcii, dominus Guillelmus Christofori, Magalonensis episcopus, comes et dominus Melgorii et Montisferrandi, predictam vendicionem, et omnia et singula suprascripta laudavit, consiliavit et confirmavit supradicto Bn. Cathalani notario et suis pro media parte indivisa, et asseruit et recognovit se inde habuisse et recepisse, numerando, pro laudimio et consilio, X solidos melgorienses, renuncians ex certa scientia exceptioni non habite [nec] numerate peccunie et recepte.

Item Btr. de Blauzaco miles, pro se et pro liberis suis, promittens, sub yppotecha rerum suarum omnium, se facturum et curaturum, quod ipsi liberi predictam venditionem, et omnia superius scripta et singula laudabunt, confirmabunt et consiliabunt predicto Bndo Cathalani et suis imperpetuum, pro quarta parte indivisa ; et asseruit, et recognovit se inde habuisse et recepisse, numerando ab eo, pro laudimio et consilio, XIIII solidos melgorienses, renuncians ex certa scientia exceptioni non habite et [non] numerate peccunie et recepte.

Testes sunt Bertrandus de Insula, vicarius castri Melgorii, Poncius Thomas canonicus Magalonensis, P. de Bello loco et plures alii, et Guillelmus Calcadelli, notarius publicus Melgorii, qui, rogatus a predictis partibus, omnia suprascripta et singula a paragraffo citra in claustro Beate Marie de Melgorio, in

presentia et testimonio testium predictorum, signoque suo proprio consignavit, et in formam publicam redegit.

Post hec anno Dominice Incarnationis millesimo II^c LIX, VI kalendas maii, Raymundus de Melgorio, filius et heres dicti condam Raimundi de Melgorio, prescriptam vendicionem et omnia et singula suprascripta laudavit et confirmavit dicto Bndo Cathalani et suis, et habuit et recepit reipsa tunc, in peccunia numerata, ab ipso Bndo pro laudimio X solidos melgorienses ; et hec servare [et] contra non venire asseruit, promisit et juravit, per fidem plevitam et requisitam, dicto Bndo Cathalani stipulanti.

Testes horum sunt Raymundus Sabbaterii, Johannes de Juvinhaco, Guillelmus Rainaldi de Vico, Raimundus Genesii de Frontiniano, et ego Bertrandus de Fabricis, publicus Montispessulani notarius, qui, rogatu (1) dicti Raymundi de Melgorio et dicti Bndi Cathalani, hec scripsi et signum meum apposui.

(Reg. F, fol. 299 v°).

DCXXII. — 23 octobre 1256

Alexandre IV rappelle à l'évêque de Maguelone qu'il ne doit payer aucune redevance à personne avant d'avoir soldé le cens annuel dû au Saint-Siège.

(Reg. C, fol. 222 r°; reg. F, fol. 174 r°; et reg. E, fol. 179 r°).

Édité dans *Bullairè de l'Église de Maguelonė,* t. II, p. 350.

DCXXIII. — 31 janvier 1256 (n. s. 1257)

Quittance de 300 livres tournois sur 600 empruntées par Pierre de Conques.

Anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, scilicet pridie kalendas februarii, ego Fulco Benchenencis, et ego Jacobus Gregori, nos ambo cives et mercatores Senenses, socii Orlandi Bonsenhoris, Bonaventure

(1) Cart.: *rogatus.*

Bernardini, Aldebrandini Belmontis et quorumdam aliorum, civium et mercatorum Senensium, pro nobis et ipsis, ac aliis omnibus et singulis sociis nostris, et quibuslibet de societate, scimus et in veritate recognoscimus vobis, domino Guillelmo Christofori, episcopo Magalonensi, quod de illo debito sexcentarum librarum turonencium, quas frater Raimundus Atbrandi, et frater Jacobus de Conchis, ordinis Fratrum Minorum, procuratores tunc et nuncii bone memorie domini Petri de Conchis, predecessoris vestri, pro ipsius negociis, in curia domini Pape, a prenominatis sociis nostris seu quibusdam ex eis, prout in instrumento inde facto continetur, mutuo receperunt, habuimus a vobis et integre recepimus, in pecunia numerata, trecentas libras turonences ; de quibus trecentis libris et omni eo quod, ipsarum occasione, nos seu aliqui vel aliquis de nostra societate petere possemus vel exigere quoquomodo, nos et omnes ac singulos socios nostros per bene paccatos et contentos habemus et tenemus ; renunciantes, in dictis trecentis libris jam solutis, exceptioni non numerate pecunie et eciam non solute.

Et ideo, licet predictum instrumentum integrum penes [nos] remaneat, per nos et omnes et singulos predictos, et alios socios nostros, quantum ad dictas trecentas libras, et que, earum intuitu, possent peti, absolvimus et quittamus vos et vestros successores, et omnes res, bona et jura vestra tam episcopatus quam comitatus Melgorii et Montisferrandi, ab omni actione, peticione, demandamento, et omni omnino obligacione, jure et racione, quibus unquam vos, aut dictus predecessor vester, seu aliqui alteri pro vobis pro ipso, quantum ad pecuniam nunc solutam, fuistis vel fuerunt nobis aut alicui de nostra societate aliquatenus obligati ; et cedentes ac desemparantes vobis omne jus quod vobis vel alicui de sociis nostris, quoad solutam pecuniam, contra predictum predecessorem vestrum aut vos, bona et jura vestra, competit vel compeciit.

Facimus vobis et inhimus vobiscum, quantum ad dictas trecentas libras, et que, ipsarum occasione, debebantur, de non agendo et de non petendo sollempne pactum, sollempniter

factum eciam et inhitum; cassantes et anullantes nichilominus, quoad dictam pecuniam nunc solutam duntaxat, omnia instrumenta, et litteras apostolicas; et alias cauciones et scripta, facta super hiis, vel obtenta; ipsis tamen, quoad ea que dicto debito principali satisfaciendum remanent, in suo robore duraturis; et salvo jure nostro in peccunia remanente ad solvendum.

Promittimus per stipulacionem sollempnem, quod contra predicta vel aliquid de predictis per nos vel alium non veniemus, nec venire faciemus; renunciantes omni juri, et rationi, ac aliis quibuslibet auxiliis, quibus contra venire possemus, vel in aliquo nos juvare.

Horum omnium sunt testes Poncius de Cazalibus canonicus Magalonensis, Hugo Fabri campsor, Petrus Baudilii rector ecclesie Sancti Mathei de Montepessulano, et Johannes Brunene, predicti domini episcopi in sua diocesi et comitatu Melgorii et Montisferrandi publicus notarius, qui, mandatus ab ipso domino episcopo et dictis mercatoribus, hec scripsit et signo suo signavit.

(Reg. E, fol. 91 v°).

DCXXIV. — 14 mars 1256 n. s. 1257

Jean d'Orllac reconnait tenir du roi la moitié du château de Laroque-Aynier.

Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, et secundo idus marcii, Johannes de Orlaco recognovit domino Guillelmo de Autonno, militi, senescallo Bellicadri et Nemausi, nomine domini regis Francie recipienti, se tenere ad feudum a dicto domino rege medietatem castri de Ruppe Ayneria cum pertinenciis suis, quod est in Magalonensi diocesi; et sunt quedam de dicto castro divisa cum Aynerio de Rupe, et quedam indivisa.

Item recognovit se facere cavalcatas pro dicto castro ad emendam et expensas domini regis de persona sua, in senescalliis Bellicadri et Carcassone, et homines dicti castri ad

expensas ipsorum hominum; sed dicti homines debent exire per dictum Johannem.

Et dictus senescallus recepit hanc recognicionem, salvo jure regio in omnibus.

(Reg. B, fol. 297 r°).

DCXXV. — 21 avril 1257

Quittance de 150 livres tournois empruntées par Pierre de Conques à des marchands de Sienne.

Anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, scilicet undecimo kalendas maii, ego Jacobus Gregorii, et ego Ventura Cambi, nos ambo cives et mercatores Senenses, socii Orlandi Bonsenhoris, Bonaventure Bernardini, et quorumdam aliorum civium et mercatorum Senensium, pro nobis et ipsis, ac aliis omnibus et singulis sociis nostris, et quibuslibet de societate, scientes in veritate fatemur et cognoscimus vobis domino Guillelmo Christofori, episcopo Magalonensi, quod in extenuacionem illius debiti sexcentarum librarum turonensium, quod frater Raimundus Albrandi et frater Jacobus de Conchis ordinis Fratrum Minorum, pro negociis bone memorie domini Petri de Conchis predecessoris vestri, cujus tunc erant procuratores et nuncii in curia domini nostri Pape, cum prenominatis seu cum quibusdam ex aliis sociis nostris firmiter contraxerunt, prout in instrumento inde facto plenius continetur; habuimus a vobis et integre recepimus in pecunia numerata centum et quinquaginta libras turonensium, de quibus et omni eo quod, ipsarum occasione, nos seu aliqui de nostra societate petere possemus vel exigere quoquomodo, nos et omnes ac singulos socios nostros pro bene paccatos et contentos habemus et tenemus; renunciantes, in dictis C et L libris jam solutis, exceptioni non numerate pecunie et eciam non solute.

Et ideo, licet instrumentum predictum integrum penes nos remaneat, per nos et universos ac singulos predictos et alios socios nostros, quantum ad dictas C et L libras, et earum

intuitu possent peti, vos et vestros successores, res, bona et jura vestra episcopatus et comitatus Melgorii et Montisferrandi absolvimus et quittamus ab omni accione, peticione, demandamento et omni prorsus obligatione, jure et ratione, quibus unquam vos aut dictus predecessor vester, seu aliqui alii pro vobis aut pro ipso, quantum ad pecuniam nunc solutam, fuistis vel fuerint nobis aut alicui de nostra societate aliquatenus obligati ; et desemparantes vobis penitus et cedente[s] omne jus, quod nobis vel alicui de sociis nostris, quoad solutam pecuniam, contra dictum predecessorem vestrum aut vos, bona et jura vestra, competit vel competiit, facimus vobis et firmiter vobiscum inhimus, quantum ad dictas centum quinquaginta libras, et que ipsarum occasione debebantur, de non agendo et de non petendo sollempne pactum, sollempniter factum eciam et inhitum ; cassantes et anullantes nichilominus quoad dictam pecuniam, nunc solutam duntaxat, omnia instrumenta, litteras apostolicas, cujuscumque forme sint et alias, necnon et omnes alias cauciones et scripta, facta super hiis et obtenta, ipsis tamen, quoad ea que ad satisfaciendum remanent, in suo robore duraturis, et salvo jure nostro in remanentibus ad solvendum. Promittimus per stipulationem sollempnem, quod contra predicta vel aliquid de predictis per nos vel alium non veniemus, nec venire modo aliquo faciemus ; renunciantes omni juri et rationi, quibus contravenire possemus vel in aliquo nos tueri.

Testes sunt Poncius de Casalis, Guillelmus de Claperiis canonici Magalonenses, Bertrandus Dorcas rector de Arsassio, Petrus Baudilii rector Sancti Mathei de Montepessulano, Johannes de Lecacio, Guillelmus Sartre clerici, et Johannes Brunenc, dicti domini episcopi in sua diocesi et comitatu Melgorii et Montisferrandi publicus notarius, qui mandatus hec scripsit et signo suo signavit.

(Reg. E, fol 92 r°).

DCXXVI. — 26 avril 1257

Pons de Saint-Just, vestiaire de Maguelone, reconnait tenir de l'évêque le mas de Valmaillargues et ce que possède la vestiarié à Grabels.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Amen. Anno ejusdem Incarnacionis millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, scilicet sexto kalendas maii, ego Poncius de Sancto Justo vestiarius Magalonensis, certus de facto, et cercioratus de jure, per instrumenta autentica modo producta in medium et perlecta, deliberacione quoque habita et consilio cum personis et aliis majoribus et melioribus Ecclesie Magalonensis, scio, fateor et veraciter recognosco vobis, domino G[uillelmo], Dei gratia episcopo Magalonensi, comiti et domino Melgorii et Montisferrandi, quod ego habeo et teneo, habere et tenere debeo, et predecessores mei habuerunt et tenuerunt in feudum, habere et tenere debuerunt a vobis et vestris predecessoribus, comitibus et dominis Melgorii et Montisferrandi, videlicet mansum de Vallemallanica, cum toto manso seu honore de Fraicheto, et omnibus condaminis *Comdals*, que tenentur ab hospitali Gitberto, cum forciis, appenariis, edificiis, justiciis, quistis, satisdacionibus, districcionibus, usaticis, serviciis, albergis, *esplecs*, hominibus, feminis, feualibus, feudatariis, campis, vineis, nemoribus, garricis, pratis, pascuis, patuis, riperiis, heremis, cultis et incultis, et cum aliis omnibus juribus et pertinenciis suis, prout unquam Raimundus de Pamiis habuit et tenuit, habere et tenere debuit, in parrochiis de Grabellis et Sancti Egidii *al Fesc*.

Pro quo feudo ego et mei successores, dictum feudum tenentes, sumus et esse debemus fideles vestri, ac debemus et tenemur jurare et servare fidelitatem, et omnia que in sacramento fidelitatis continentur, et facere albergum quatuor militibus, solummodo in annis in quibus requiritur, et non in aliis. Habetis insuper in dicto feudo justicias sanguinis et

earum executionem (1). alie vero pertinent ad me. Si vero dictum honorem ex toto venderem, ita quod nullum ibi usaticum vel dominium retinerem, illud debeo facere cum consilio vestro et vestrorum successorum, dominorum castri Montisferrandi.

Et ideo ego dictus Poncius, vestiarius, flexis genibus et junctis manibus positis infra vestras, facio pro dicto feudo, et promitto vobis, domine episcope supradicte, fidelitatem, vitam et membra, et omnia que in sacramento fidelitatis continentur; promittens, dato firmitatis osculo atque pacis, quod vobis et vestris successoribus fidelis ero, et fidelitatem servabo et tenebo, prout melius dici vel intelligi potest. Sic Deus me adjuvet et hec sancta Dei evangelia a me tacta.

Et nos predictus episcopus, predictam recognicionem ex certa scientia recipientes, et omnia et singula supradicta vera esse scientes, laudamus et confirmamus per nos et nostros successores tibi, dicto vestiario, et tuis successoribus dictum feudum, et omnia et singula supra scripta, salvis nobis et nostris successoribus albergo, consilio et justiciis sanguinis et execucionibus, sicut superius est expressum: nolentes quod ex illa fustigacione cujusdam hominis, in dicto manso capti pro furto, quam fecit nuper Egidius de Sancto Gervasio, castellanus noster Montisferrandi, prejudicium aliquod tibi vel tuis successoribus imposterum gravetur, cum dictus castellanus predictam fustigacionem fecerit, credens quod non ad te sed ad nos minores justicie pertinerent.

Testes sunt magister Raimundus de Claromonte, Guillelmus de Alairanicis, Poncius de Casalis, Guillelmus de Claperiis, et plures alii canonici Magalonenses, Petrus Baudilii, Guillelmus Sartre, et alii clerici seculares, et Johannes Brunenc, domini episcopi Magalonensis in sua diocesi et comitatu Melgorii et Montisferrandi publicus notarius, qui mandatus hec scripsit et signo suo signavit.

(Reg. E, fol. 284 v°).

---

(1) Cart.: *excusacionem*.

DCXXVII. — 30 mai 1257

Alexandre IV donne tout pouvoir à l'évêque de Maguelone pour corriger les abus qui se sont glissés dans la communauté des chanoines.

(Reg. B, fol. 271 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 358.

DCXXVIII. — 7 juin 1257

Vente de cens, droits de lods, etc., sous la directe de l'évêque, dans la décimarie de Saint-Félix de Substantion.

Anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, septimo idus junii, ego Stephanus de Salarone, filius quondam Bernardi de Salarone, per me et per omnes meos bona fide... vendo... tibi Duranto de Sala, qui moraris in parrochia Sancti Martini de Crecio, et tuis, ad omnes voluntates tuas tuorumque... exceptis... cum consilio tamen et laudimio domini episcopi Magalonensis, videlicet medietatem pro indiviso omnium censuum, quartoriorum, usaticorum, tascarum, dominacionum, districcionum, firmanciarum, justiciarum, laudimiorum et omnium jurium et senhorinum, que habeo vel visus sum habere in possessionibus omnibus, et honoribus omnibus et singulis, qui et que sunt in loco qui dicitur *Salellas*, in decimaria Sancti Felicis de *Sostancions;* que alia medietas pro indiviso pertinet ad Bernardum Duranti; et confrontatur ex una parte cum honore hospitalis de Salarone et ex alia parte cum flumine de Salarone, et ex alia parte cum honore Bernardi de Latis, et cum honore Bernardi de Castriis, et cum honore Ambrosii, et cum honore Gauterie, et cum honore Poncii Duranti.

Propter hanc autem vendicionem, tradicionem, cessionem, translacionem, pleno jure et imperpetuum valituram, dedisti michi, in pecunia numerata, decem libras et decem solidos

melgorienses, in quibus renuncio excepcioni non habite et non numerate pecunie, et precii non soluti. Quod precium fateor et cognosco esse legitimum atque justum; verum si predicta, a me tibi vendita, plus dicto precio valent.... illud totum... tibi et tuis dono donacione inter vivos; ita tamen quod tu et tui dabitis, pro censu seu usatico, singulis annis, et facies albergua quatuor militibus, scilicet duobus cum civata, et aliis duobus cum herba, prefato domino episcopo Magalonensi. Et de omni jure quod ibi habebam... me et meos penitus divestiendo, te et tuos investiendo.... tradens inde tibi possessionem vacantem vel quasi dicte rei vendite; et donec nactus fueris possessionem corporalem vel quasi, constituo me pro te precario tenere et possidere, nulla possessione civili vel naturali penes me remanente; donans, inquam, tibi et tuis omnes acciones... que habeo, vel visus sum habere, aliquo modo vel causa, in dicta re a me tibi vendita; et remitto tibi et tuis jus denunciandi. Que omnia... tibi et tuis faciam... quiete possidere et ab omni contradicente semper jure deffendam; et in deffensione semper actor ero, si aliquis moveret tibi questionem in dicta re, a me tibi vendita, coram curia civili vel ecclesiastica, vel coram arbitris, vel aliis personis, meis propriis sumptibus; et si tu, propter moram mei, aliquos sumptus faceres in dicta re vendita, si aliquis moveret tibi questionem, illos sumptus tibi stipulanti et tuis solvere et restituere promitto, et inde tibi credam solo simplici verbo tuo, sine testibus et sacramento, et alio genere probacionum; et pro evictione restituenda... astringo tibi stipulanti et tuis me et omnia bona mea presencia et futura; promittens tibi stipulanti quod nil dixi... quominus dicta vendicio firma sit; renuncians omni beneficio juris... et beneficiis quibus contra predicta vel aliquod predictorum me possem deffendere seu tueri. Que omnia et singula suprascripta, per me et meos, servare, custodire et nunquam contravenire promitto, per hec sancta quatuor Dei evangelia a me corporaliter tacta.

Post hec incontinenti Turpinus de Anglada clericus, habens jura domini episcopi Magalonensis, ex donacione sibi facta ab ipso domino episcopo, laudavit et confirmavit dictam ven-

dicionem, et omnia et singula suprascripta prefato Duranto de Sala, emptori et suis, et habuit ab ipso, nomine laudimii et consilii, triginta solidos melgorienses; in quibus renunciavit excepcioni non habite et non numerate pecunie, nomine laudimii et consilii.

Testes sunt Bernardus Gaschi, Matheus Ricardi prior Sancti Martini de Crecio, Bernardus de Sancto Andrea fusterius, et ego Michael de Malobuxo, publicus Montispessulani notarius, qui, rogatus a partibus, hec scripsi, et feci quamdiam interlineaturam que dicit *prefato domino episcopo Magalonensi*.

(Reg. F, fol. 191 v°).

DCXXIX. — 24 juillet 1257

Guillaume Christol donne à acapte aux syndics de Balaruc certains biens qu'il possède à Notre-Dame d'Aix et à Balaruc.

Pateat omnibus,... quod nos, Guillelmus Christofori, divina miseratione Magalonensis episcopus,... titulo perfecte et non simulate venditionis derelinquimus, et jure emphiteotico, sive in acapitum tradimus vobis, Johanni Fornerii, et Stephano Majors, et Petro Carabassa, et Guillelmo Fornerii, sindicis, yconomis, aut procuratoribus, sive consulibus castri de Balasuco, ob evidentem utilitatem nostri et successorum nostrorum omnium, recipientibus et pro vobis et pro illis omnibus hominibus et singulis, qui vos consules elegerunt, et ad hoc specialiter procuratores vos constituerunt, et vestris, ad omnes voluntates vestras et vestrorum plenarie faciendas,... exceptis sanctis clericis et militibus, cum consilio tamen nostro et nostrorum successorum, cujus est dominium, consilium, laudimium et usaticum, sive censum IIII^or sestariorum ordei, annuatim censualium in festo beati Petri medii (*sic*) augusti, que portabitis, singulis annis, in festo predicto, propriis vestris sumptibus et expensis, infra domum nostram apud Montempessulanum, videlicet omnes et infrascriptos honores, cum

omnibus suis undique pertinentiis, et cum suis ingressibus et exitibus, qui sunt, tam in decimaria Beate Marie de Aquis, quam in parrochia Beati Mauricii de Balasuco;

De quibus honoribus est unus et primus, qui dicitur vulgariter, seu appellatur Raustus, qui est juxta castrum de Balasuco, in decimaria ejusdem castri; et confrontatur, ex una parte, cum stagno, et ex altera parte cum flumine Avene, et ex altera parte cum ortis castri de Balasuco.

Item, et eodem [modo] et forma quo supra vendimus vobis et vestris et in hac venditione comprehendimus alium et secundum honorem, qui appellatur sive vocatur Moleria de Aquis, que est in decimaria Beate Virginis de Aquis; et confrontatur, ex una parte, cum honore Poncii Arenis et Raimundi Arenis, fratrum, et ex altera parte cum stagno, et ex alia parte cum stagno, et ex alia parte ab *las Buadas*.

Item, et eodem modo et forma quo supra, vendimus vobis et vestris, et in hac vendicione comprehendimus alium honorem, et tercium, qui dicitur, seu appellatur Mons, sive Podius Mejani, qui est in parrochia Beati Mauricii de Balasuco; et conjungitur, ex una parte, cum via, que ducit hominem versus Frontinianum, et ex altera parte cum strata publica, qua itur apud ecclesiam Beate Marie de Aquis; et protenditur iste honor, sive extenditur usque *als Croses*, et usque ad crucem de Aquis, et confrontatur adhuc, ex altera parte, cum agricultura de Ment.

Item, preterea, eodem modo et forma quo supra, vendimus vobis et vestris, et in hac venditione, cessione et concessione et traditione, intelligimus et comprehendimus alium honorem, et quartum et ultimum, qui nominatur communiter et appellatur Moleria de Valras, que est in parrochia sive decimaria ecclesie Beate Marie de Aquis; et conjungitur, vel confrontatur, ex una parte, cum honore qui tenetur de Ment, et ex altera parte cum stagno.

Sit autem manifestum et certum, quod, ratione et occasione hujus acapiti, dedistis nobis, nomine precii, decem libras melgorienses, de quibus penes vos nichil penitus ad solvendum remansit, in quibus renunciamus... exceptioni de non

numerata pecunia... Et [si] supradicta venditio est majoris precii... illud totum vobis et vestris donamus... Item cedimus vobis et vestris... omnes actiones... et jura omnia que ratione totius dicti honoris nobis nunc et nostris quocumque modo competunt... exceptis tamen conditionibus et retentis nobis et nostris supra positis et nominatis ut sunt dominia, consilia, laudimia et usatica... Et preterea de dicto honore pocessionem corporalem vobis evacuamus... et veros dominos hinc de presenti facimus... et promittimus vobis... quod totum predictum honorem... faciemus vos et vestros semper habere... et legales defensores inde vobis erimus, et specialiter ab omnibus successoribus nostris; ita videlicet pacto quod, si predicti aut aliqua alia persona aliquid ibi petiverit,... nos et nostri... totam illam litem et querelam sucipiemus et... ab initio cause usque ad finem, et de toto dampno et gravamine, credimus vobis solo simplici verbo vestro... et contra hec predicta vel aliquod horum nunquam veniemus... renunciantes in his omnibus... legi qua cavetur ultra dimidiam justi precii deceptione posse recindere contractum vel agere ad precii suplementum: nec fecimus... quominus hec... firma permaneant... obligantes inde vobis omnibus et vestris bona totius episcopatus nostri.

Acta sunt hec et solemniter celebrata, anno Dominice Incarnacionis M° CC° LVII°, videlicet VIIII kalendas augusti, in presentia et testimonio domini Guillelmi Christofori, judicis venerabilis patris predicti domini Magalonensis, et Poncii *de Folhaquier*, et Guillelmi de Claperiis, et Poncii Guitardi archipresbiteri, canonici Magalonenses; et Arnaudi Utrandi, qui alio nomine vocatur Merna, bajuli castrorum Gijani et Balasuci; et Stephani Catalani, publici notarii Gijani et Balasuci, qui, mandatus specialiter a predicto patre venerabili et domino Magalonensi episcopo, et rogatus a predictis consulibus prenominati castri de Balasuco, hec omnia et singula scripsit, et signum apposuit suum.

(Reg. B, fol. 112 v°; édité par Germain dans *Privileges et Franchises de Balaruc*, Pièces justificatives, I).

DCXXX. — 30 juillet 1257

Quittance de 150 livres melgoires dues par l'évêque pour achat de revenus au Terral.

Anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, scilicet tercio kalendas augusti, ego Matheus Juliani... cognosco vobis domino Guillelmo Christofori, episcopo Magalonensi, quod vos solvistis michi, et ego a vobis integre habui et recepi centum quinquaginta libras melgorienses, in extenuacionem illius debiti trecentarum librarum melgoriensium, in quibus michi tenebàmini ratione seu occasione vendicionis reddituum de Terrallo, prout in instrumento inde confecto per manum Petri Jordani, publici Montispessulani notarii, plenius continetur. Quasquidem centum quinquaginta libras ita a vobis integre habui et recepi, quod exinde penes vos vel vestros non remanet aliquid ad solvendum; in quibus renuncio expresse ex certa scientia excepcioni non numerate pecunie et non solute. Et ideo, quantum ad dictas centum quinquaginta libras nunc solutas duntaxat, per me et meos quitto penitus et absolvo vos et fidejussores, propter hoc datos, res, bona et jura vestra et ipsorum fidejussorum ab omni omnino accione, peticione, demandamento, obligacione, promissione et jure, quibus unquam vos, aut dicti fidejussores, seu aliqui alii pro vobis aut nomine vestro fuistis, vel fuerunt, michi aut alteri pro me in predicta pecunia nunc soluta, vel ipsius occasione aliquatenus obligati; cassans et annullans omnia et singula alia instrumenta et scripta, que inter bone memorie dominum Petrum de Conchis, predecessorem vestrum, vel vos ex una parte, et me ex alia facta fuerunt; salvo tamen et in suo robore duraturo sine aliqua renovacionis nececcitate predicto instrumento debiti, quatenus ad centum quinquaginta libras residuas, que adhuc remanent de toto dicto debito penes vos ad solvendum.

Et ita, salvo jure meo in ipsis CL libris non solutis, et que ipsarum occasione michi competunt, facio vobis, et per vos

fidejussoribus datis, plenam et liberam aquitacionem, et absolutionem, et pactum de non agendo et de non petendo quatenus ad pecuniam solummodo nunc solutam, et quoad omnia que, ipsius intuitu, peti possent; promittens et conveniens cum sollempni et valida stipulacione, quod contra predicta vel aliquid de predictis non veniam, nec veniri faciam ullo modo; et renuncio omni juri, rationi, et consuetudini quibus super premissis vel aliquo premissorum possem aliquatenus me juvare, aut in aliquo contraire.

Testes sunt Guillelmus de Claperiis, Poncius Guitardi, archipresbiteri, canonici Magalonenses, Guillelmus Bidocii, et plures alii, et Johannes Brunenc, dicti domini episcopi in sua diocesi et comitatu Melgorii et Montisferrandi publicus notarius, qui, mandatus a domino episcopo et Matheo predictis, hec scripsit et signo suo signavit.

(Reg. E, fol. 94 r°).

DCXXXI. — 9 septembre 1257

Alexandre IV ordonne à l'évêque de Maguelone de payer à ses envoyés deux années de cens annuel qu'il doit au Saint-Siège.

(Reg. E, fol. 332 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 359.

DCXXXII. — 22 octobre 1257

Protestation du châtelain de Montferrand contre l'enlèvement d'animaux fait par le bayle du roi tenant le château de la Roquette.

Noverint universi..., quod Egidius de Sancto Gervasio, castellanus Montisferrandi pro venerabili patre et domino Guillelmo, divina miseracione Magalonensi episcopo, proposuit et protestatus fuit coram Thoma, bajulo de castro de Roqueta pro illustri rege Francie, et Michaele de Malabuxo ejusdem castri judice, ut ipse asserebat pro eodem rege

Francie, quod boves et animalia, que dictus Thomas accepit violenter, erant de hominibus, tenemento et districtu supradicti domini Magalonensis episcopi.

Fuit eciam protestatus idem castellanus coram eisdem Thoma et Michaele, quod dictus Thomas predictas invasionem et violenciam dictorum boum et animalium fecit, contra juris ordinem et sua propria temeraria voluntate.

Fuit, inquam, protestatus idem castellanus coram predictis, quod inquisicio, quam facere intendebant dicti Thomas bajulus et Michael, ut ipse asserebat judex, faciebant et facere intendebant contra juris racionem et contra morem solitum, in prejudicium et gravamen domini episcopi supradicti.

Item fuit protestatus idem castellanus, quod, si aliqui homines de dicto castro *de la Roqueta* habent aliquas peticiones seu acciones contra homines castri Montisferrandi, quod ipse castellanus est et fuit semper paratus facere justicie complementum.

Acta sunt hec anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, videlicet undecimo kalendas novembris, in presencia et testimonio dictorum Thome et Michaelis, P. de Sancto Marciali militis, Poncii de Triatore, G. de Triatore, Gr. de Costa, R. de Figareda, S. Martini, Poncii Lobo, et mei Petri de Montanihola, publici Montispessulani notarii, qui, mandato et precibus dicti castellani hec scripsi.

(Reg. E, fol. 263 r°).

DCXXXIII. — 11 novembre 1257

Quittance finale des 600 livres empruntées par Pierre de Conques à des marchands de Sienne.

Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, tercio idus novembris, ego, Jacobus Gregorii, et ego, Ventura Cambii, nos ambo cives et mercatores Senenses, socii Rotlandi Bonsenhoris, Bertholomei Guidi, Bonaventure Bernardini, et quorumdam aliorum civium

et mercatorum Senensium, pro nobis et ipsis, ac aliis omnibus et singulis sociis nostris et quibuslibet de societate, scientes in veritate fatemur et cognoscimus vobis, domino Guillelmo Christofori, episcopo Magalonensi, quod in acquittacionem illius debiti sexcentarum librarum turonensium, quod frater Raimundus Atbrandi et frater Jacobus de Conchis, ordinis Fratrum Minorum, pro negociis bone memorie domini Petri de Conchis, predecessoris vestri, cujus tunc erant procuratores et nuncii in curia domini Pape, cum prenominatis seu quibusdam ex aliis, seu ex ipsis sociis nostris, firmiter contraxerunt, prout in instrumento inde facto plenius continetur, habuimus a vobis et integre recepimus, in pecunia numerata, residuas centum et quinquaginta libras turonenses, que de predicto sexcentarum librarum debito remanebant ultimo ad solvendum.

Item viginti quinque libras turonenses pro dampno, expensis et interesse, ac (1) pro omnibus aliis et singulis que, pretextu vel occasione predicti debiti, peti possent aliqua ratione.

In quibus centum quinquaginta et viginti quinque libris turonensibus predictis, renunciamus excepcioni non numerate pecunie et non solute. Et ideo nos, predicti mercatores, pro nobis et omnibus ac singulis sociis nostris, ex certa scientia, generaliter et expresse recognoscimus vobis, predicto domino episcopo, quod de toto predicto debito principali sexcentarum librarum turonensium, et de omni dampno, expensis, et interesse, ac omnibus et singulis que unquam, intuitu aut ratione ipsius debiti, peti poterant quoquomodo, est nobis et sociis nostris omnibus et singulis, bona et concordi computacione interveniente, plenarie et legaliter satisfactum ; ita quod exinde penes vos vel vestros non remanet aliquid ad solvendum.

Et propterea quamquam, de singulis solucionibus inde factis, recogniciones, absoluciones, quittaciones et cessiones facte fuerint singulares, modo generaliter et precise vos et vestros successores, res, bona et jura vestra comitatus (2) Melgorii

(1) Cart.: *ad.*
(2) Cart.: *episcopatus.*

et Montisferrandi, penitus absolvimus et quittamus, et ab omni accione, peticione, et omni omnino obligacione, jure, et ratione, quibus unquam vos, aut dictus predecessor vester, seu aliqui pro eo vel pro vobis, ratione vel occasione predicti debiti, in solidum vel in parte, fuistis vel fuerunt nobis vel alicui de societate nostra aliquatenus obligati; et cedentes vobis omne jus quod nobis vel alicui de sociis nostris, in dicto debito vel ipsius occasione debiti, compeciit contra vos, bona et jura vestra; facimus vobis, et vobiscum firmiter inhimus sollempne pactum, factum sollempniter et inhitum, de non agendo vel de (1) non petendo aliquid predicti debiti ratione; cassantes et annulantes, et cassa et nulla ac nullius valoris esse volentes instrumenta, litteras apostolicas, et alias cujuscumque forme existant, et omnes alias cauciones, et scripta, facta super hiis vel optenta, quantum ad totum predictum debitum, et que a vobis, ipsius occasione debiti, peti possent; atque in evidenti indicio plenioris absolucionis, cessionis et quittacionis, instrumentum predictum tocius debiti vobis reddentes manualiter, promittimus vobis, cum stipulacione sollempni, quod contra predicta vel aliquid de predictis non veniemus per nos vel alium, nec facimus, nec faciemus aliquid, propter quod aliquid de premissis minus obtineat firmitatem; renuntiantes omni juri,... quibus contraveniri posset, vel de predictis aliquid irritari.

Testes sunt Michael de Moresio archidiaconus, Poncius de Casalibus, Guillelmus de Claperiis, Poncius Thomas canonici Magalonenses, magister P. Ricols, Guillelmus Clauni, et Johannes Brunenc, dicti domini episcopi in sua diocesi et comitatu Melgorii et Montisferrandi notarius publicus, qui, mandatus a dicto domino episcopo et mercatoribus, hec scripsit, et signo suo signavit, et rasit in prima linea ubi est scriptum *tercio*.

(Reg. E, fol. 92 v°).

---

(1) Cart.: *et*.

DCXXXIV. — 14 novembre 1257

Quittance d'autres dettes faites par l'évêque à des marchands de Sienne.

Anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, scilicet octavo decimo kalendas decembris, ego, Jacobus Gregorii, et ego, Ventura Cambii, nos ambo cives et mercatores Senenses, socii Rolandi Bonsenhoris, Bartholomei Guidi, Bonaventure Bernardini, et quorumdam aliorum civium et mercatorum Senensium, pro nobis et ipsis, ac aliis omnibus et singulis sociis nostris, et quibuslibet de societate, scientes in veritate fatemur et cognoscimus vobis, domino Guillelmo Christofori, episcopo Magalonensi, quod a vobis habuimus et integre recepimus, in pecunia numerata, ex causa solutionis, triginta libras turonenses.

Item sex libras turonenses, quas magister Petrus Ricols, procurator vester pro vobis et negociis vestris in curia, receperat mutuo a predictis sociis nostris, seu quibusdam ex eis, prout in instrumento, vel instrumentis inde confectis, plenius continetur.

De quibus triginta et sex libris turonensibus suprascriptis, et de omni dampno, expensis, et interesse, ac omnibus et singulis que unquam, debiti seu debitorum ipsorum intuitu, peti possent, est nobis et omnibus ac singulis sociis nostris plenarie satisfactum; ita quod penes vos vel vestros non remanet aliquid ad solvendum exinde; tenentes et habentes nos et dictos socios nostros, et singulos de societate, de hiis et super hiis contentos et bene paccatos; in quibus eciam expresse et ex certa scientia renunciamus exceptioni non numerate pecunie et non solute.

Et ideo per nos et omnes ac singulos socios nostros, cum hoc presenti publico instrumento, absolvimus penitus et quittamus vos et vestros successores, res, bona, et jura vestra episcopatus vestri et comitatus Melgorii et Montisferrandi, ab omni omnino accione, peticione, demandamento, obligacione, promissione, jure, et ratione, quibus vos seu aliqui pro vobis,

occasione debiti supradicti, fuistis vel fuerunt nobis aut alicui de nostra societate aliquatenus obligati; et ita cedentes ac in vos et vestros penitus transferentes omne jus, et quicquid unquam nobis vel alicui de societate, in dicto debito vel ipsius occasione, competiit contra vos seu aliquem pro vobis, res, bona, et jura vestra, facimus vobis et vobiscum firmiter pactum, factum sollempniter et inhitum, de non agendo ulterius et de non petendo aliquid pretextu debiti suprascripti (1); cassantes et anullantes nichilominus, cassa eciam et nulla ac nullius valoris esse volentes predicta instrumenta, litteras apostolicas, et alias cujuscumque tenoris existant, et omnes alias cauciones et scripta, facta super hiis vel obtenta, et hoc quatenus ad presens debitum, et que a vobis vel alio, ipsius contemplacione debiti, peti possent; renunciantes omni juri, et racioni, ac universis auxiliis, quibus possemus, super hiis ac singulis, juvari in solidum vel in parte; ac in signum evidens plenioris absolucionis, cessionis, renunciacionis et acquittacionis, instrumenta predicta vobis manualiter tradimus, promittentes quod contra predicta vel aliquid de predictis, per nos vel alium, aliquatenus veniemus.

Testes sunt Poncius Thomas canonicus Magalonensis, Guillelmus de Cruolis, Petrus Bonifacii burgenses, Guillelmus Bidocii, Petrus Baudilii, et plures alii et Johannes Brunenc, predicti domini episcopi in sua diocesi et comitatu Melgorii et Montisferrandi publicus notarius, qui, mandatus a domino episcopo et mercatoribus predictis, hec scripsit, et signo suo signavit, et suprascripsit in duobus locis, in uno quorum est scriptum *vestris*, et in alio loco est scriptum *intuitu*.

(Reg. E, fol. 93 r°).

DCXXXV. — 15 décembre 1257

Quittance de deux années de cens annuel dû par l'évêque au trésor pontifical.

Notum sit universis et singulis presentem cartam inspecturis, quod nos, Jacobus Gregorii et Ventura Cambii, socii Rolandi

(1) Cart.: *suprascriptis*.

Bonsenhoris, Bartolomei Guidi et Bonaventure Bernardini, civium et mercatorum Senensium, familiares et campsores domini Pape Alexandri quarti, recepimus ipsius domini Pape litteras, et ipsas vobis domino Guillelmo Christofori, episcopo Magalonensi, cui heedem littere diriguntur, ostendimus, et de verbo ad verbum legi fecimus et distincte; quarum litterarum tenor talis est.

Alexander episcopus, servus servorum Dei... (*édité dans Bullaire de l'Église de Maguelone, T. II, p. 359*).

Nos igitur predicti Jacobus et Ventura, cives et mercatores Senenses.... recognoscimus vobis, domino episcopo supradicto, quod vos nobis, predicti auctoritate mandati, sine dificultate ac diminucione aliqua, legaliter persolvistis, et nos a vobis, ejusdem vigore mandati, recepimus, prefati domini Pape nomine et mandato, atque habuimus, sine aliquo errore calculi, ponderis vel valoris, predictas quadraginta marcas argenti, in quibus Romane Ecclesie, racione comitatus Melgorii et Montisferrandi, census nomine, tenebamini pro duobus annis, scilicet pro anno proximo preterito et presenti, videlicet pro ipsorum quolibet in viginti. De quibus quadraginta marchis nos paccatos habemus et tenemus, renunciantes in eis expresse et ex certa scientia exceptioni non numerate pecunie et non solute; et ideo vos et successores vestros, res, bona, et jura vestra, et specialiter dictum comitatum, quantum ad dictas marchas et quoad ea in quibus, ipsarum ratione marcharum, tenebamini, predicti domini Pape nomine, absolvimus et quittamus : renunciantes omni omnino accioni, petitioni,... quibus possemus in aliquo obviare.

Et in signum ejusdem solucionis facte, absolucionis, quittacionis et renunciacionis, ipsas originales litteras suprascriptas vobis, domino episcopo supradicto, manualiter duximus exhibendas; quarum tenore vos, nobis dictam pecuniam persolventem, ab illis prestacione alia dominus Papa reddit; et nos pariter, ipsius nomine, cum jam nobis a vobis sit plenarie satisfactum, nec exinde remaneat aliquid ad solvendum, reddimus absolutum.

Acta fuerunt hec apud Montempessulanum, anno Dominice

Incarnacionis millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, scilicet octavodecimo kalendas januarii, in presentia et testimonio Poncii Thome, canonici Magalonensis, Petri Bonifacii burgensis, magistri Petri de Oviliano, Bernardi de Planis, rectoris de Cornonesicco, Petri Baudilii, rectoris Sancti Mathei de Montepessulano, et mei Johannis Brunenc, predicti domini episcopi in sua diocesi et comitatu Melgorii et Montisferrandi publici notarii, qui, mandatus a domino episcopo et mercatoribus supradictis, hec scripsi et signo meo signavi.

(Reg. E, fol. 93 v°).

DCXXXVI. — 4 février 1257 (n. s. 1258)

Guillaume Christol, évêque de Maguelone, perçoit les droits de lods sur une terre vendue par erreur en franc-alleu.

Notum sit cunctis... quod anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, scilicet pridie nonas februarii, nos Guillelmus Christofori, divina miseracione Magalonensis episcopus, comes et dominus Melgorii et Montisferrandi, cognita prius et inventa veritate per instrumenta antiqua, et alia documenta, quod ea que Raimundus de Gordone vendidit tibi, Guiraudo de Gordone, nepoti ejus, in alodium, prout in instrumento inde confecto per manum Johannis Cottavi, publici notarii Agantici, continetur, debebant teneri a nobis in feudum, et ad nos de dicta vendicione laudimium pertinebat; volentes tecum, dicto Guiraudo, mictius agere in hac parte, pro eo quod ad inveniendam dictam veritatem te promptum, fidelem, devotum et favorabilem obtulisti, per nos et nostros successores, bona fide, cum hac carta publica, laudamus et confirmamus tibi, dicto Guir., et tuis, dictam vendicionem, et omnia et singula pertinencia ad eadem, excepta concessione in alodium tibi facta, que per errorem facta extitit; et ideo eam excipimus, ita quod nobis nocere nequeat, neque potest, nec tibi possit prodesse, vel

acquirere quicquam juris, licet alia omnia in dicto instrumento contenta preter alodium confirmemus.

Et scimus ac in veritate fatemur nos exinde habuisse a te, dicto Guir., sex libras melgorienses pro laudimio, remittentes tibi et tuis, per nos et nostros successores, si quid amplius ex hiis nobis pro laudimio, seu pro eo quod dicta vendicio facta fuerat in alodium, minus bene poterat pertinere.

Et statim dictus Guir. recognicionem fecit dicto domino episcopo tam illorum omnium predictorum, que a dicto avunculo suo emerat, quam alterius partis feudi, quam emerat pater ejusdem Guir.; quam fecit in hunc modum :

Ego Guir. de Gordone de Sancto Johanne de Ferlaco, certus de facto proprio, non inductus vi, blandiciis vel timore, sed quia invenio et scio quod rei veritas sic se habet, per me et meos bona fide recognosco vobis, domino Guillelmo Christofori, Dei gratia episcopo Magalonensi, comiti et domino Melgorii et Montisferrandi, quod ego teneo et tenere debeo a vobis et successoribus vestris, comitibus et dominis Melgorii et Montisferrandi, in feudum honoratum, partem illam totam feudi, quam olim emit dominus pater meus ; et ego habeo et teneo a vobis et successoribus vestris, comitibus et dominis Melgorii et Montisferrandi, in feudum honoratum, partem illam totam feudi, quam olim emit dominus pater meus, et ego habeo et teneo; necnon eciam et aliam partem ipsius, seu illa omnia et singula supradicta, que ego emi a dicto avunculo meo, quecumque sint vel qualiacumque, licet ea michi vendiderit in alodium, et instrumentum inde factum contineat illud idem; quod quoddam instrumentum, quantum ad ea duntaxat que de alodio dicta vel scripta sunt in eodem, nolo quod valeat, tanquam nullum, ipso autem in sua firmitate et vigore quoad (1) alia contenta in eo, in omnibus et per omnia remanente.

Est tamen sciendum quod, in feudo et de feudo predicto, possum libere, et mei poterunt dictum feudum tenentes, dare

(1) Cart.: *quem ad.*

in accapitum, cum retencione usatici, sive census, sine vestro consilio et laudimio ac vestrorum; vendiciones et alios contractus, que vel qui exinde fierent, laudare, laudimia recipere, seu racione domini pro precio retinere commissa, vel excorrencias petere et habere pro usaticis non solutis, seu pro aliis quibus possessiones adjecte servituti alicui, solent et debent cadere in comissum: causas seu questiones audire vel terminare, vel facere audiri et terminari, que de ipsius feudi possessionibus vel honoribus moverentur; necnon et alia facere, que in feudo et de feudo tali solent fieri atque debent, salvo et retento dominio vestro et laudimio in hiis et super hiis que, sine retencione aliqua, alienarem in feudo vel de feudo predicto, ac aliis eciam que vobis aut vestris successoribus noscuntur racione majoris dominii pertinere.

Pro isto autem feudo ego, dictus Guir., et mei, qui dictum feudum tenebunt, sum et erunt vestri et vestrorum successorum subditi et fideles; et ego nunc de presenti, flexis genibus, juro vobis et vestris successoribus, super sancta quatuor Dei evangelia, fidelitatem, vitam et membra, et ea omnia que in sacramento fidelitatis continentur. Insuper eciam vobis et vestris successoribus debeo et teneor, et mei debebunt et tenebuntur, dictum feudum tenentes, facere pro ipso feudo albergam duobus militibus, cum fuero requisitus, aliter non tenear: et feudum ipsum, si non requisitus cessavero, cadere nequeat in commissum. Et ita fateor et cognosco me et meos debere facere annuatim, quanquam, sicut in dicto instrumento continetur, quod penes me habeo et retineo, sit vendicio in alodium michi facta; per quod nolo quod vobis aut vestris successoribus in jure vestro et dominio prejudicium gravetur.

Horum omnium sunt testes Egidius de Sancto Gervasio castellanus Montisferrandi, Poncius Thomas canonicus Magalonensis, Bernardus de Vallebuxeria, et Johannes Brunenc, dicti domini episcopi in sua diocesi et comitatu Melgorii et Montisferrandi publicus notarius, qui mandatus hec scripsit, et signo suo signavit.

(Reg. E, fol. 302 v°).

DCXXXVII. — 28 mai 1258

Testament de Raimonde de Sainte-Marie.

In nomine Domini Nostri Jesu Christi. Anno Incarnationis ejusdem M° II^c quinquagesimo octavo, videlicet V kalendas junii, quia nullus in carne est positus qui possit mortis evadere periculum, idcirco ego, Raymunda de Sancta Maria, uxor Petri de Sancta Maria, in me[a] bona et sana existens memoria, licet corpore infirma, sic condo testamentum meum seu ultimam voluntatem meam, et de rebus meis dispono in hunc modum :

In primis commendo animam meam in manibus illius Altissimi, qui, pro salute et redemptione humani generis, in ligno Crucis (1) mortem subire voluit temporalem ; et relinquo corpus meum ad sepelliendum in cimiterio Sancti Petri de Magalona ; et accipio de bonis meis, pro redemptione et salute anime mee et parentum meorum, et pro furnimento meo funerario, IIII^or libras melgorienses, et pro lecto meo X solidos melgorienses.

Et de predictis IIII^or libris relinquo operi Beati Stephani de Villanova VI denarios ; luminarie ejusdem ecclesie, VI denarios ; candellis, VI denarios ;

Item candelis Beate Marie, VI denarios ; operi ejusdem ecclesie, VI denarios ; luminarie, VI denarios ; candele, que ardet de die atque de nocte in eadem ecclesia Beate Marie, VI denarios ;

Panno pauperum, XII denarios ; hospitali pauperum Ville nove, VI denarios ; ponti de Amancione, VI denarios ;

Item relinquo unam terheam cere unius libre, quam volo ut ardeat quando elevabitur Corpus Christi in ecclesia Beati Stephani de Villanova ; capellano majori ejusdem ecclesie relinquo III solidos et VI denarios ; capellano secundario, III solidos ; dyacono ejusdem ecclesie, III solidos ; clerico, XII denarios ; clerico, qui portabit crucem apud Magalonam, IIII denarios.

---

(1) Cart. : *Crusis*.

Omnibus aliis sacerdotibus, qui intererunt meis exequiis, VI denarios; unicuique scolarium ecclesie supradicte, I denarium; operi ecclesie Beati Petri de Magalona, VI denarios; ponti ejusdem ecclesie, VI denarios; elemosine, VI denarios; infirmarie, VI denarios.

Residuum vero volo distribui in missis celebrandis, et in aliis operibus pietatis (1) infra dyocesim Magalonensem, ad noticiam gadiatorum meorum.

Item relinquo domine Thomase, socrui mee, mantellum meum de bruneto, et gacnacham meam de bruneto, et tunicam meam de viridi; item relinquo Marie Cathalane et Guillelme, filie sue, quandam trenam meam, et caligas meas de preceto rubeo;

Item relinquo Petro, marito meo, de dote et hereditate mea, ad omnes voluntates suas faciendas, XXX libras melgorienses; lego eciam sive relinquo Petro de Sancta Maria super nominato quoddam planterium meum, quod est apud Cavatam, et confrontatur ex una parte cum vinea domini episcopi, et ex alia parte cum honore Petri Veiruna, et ex alia parte cum honore Poncii de Sancto Johanne.

Omnia alia bona mea, mobilia et immobilia, quecumque sint, et ubicumque sint, vel fuerint, relinquo Stephano et Petro, filiis meis, equis partibus, et ipsos michi heredes instituo. Et, si alter filiorum meorum decederet sine prole legitima, volo et mando quod tota hereditas ad superstitem revertatur; et, si ambo decederent absque prole legitima, de matrimonio procreata, volo, mando atque precipio quod P. de Sancta Maria, maritus meus, habeat, teneat atque possideat, toto tempore vite sue, totam predictam hereditatem, et omnes fructus suos faciat; et, post mortem ipsius, tota hereditas Raymundo Audini, Stephano et G., fratribus meis, et suis liberis revertatur.

Gadiatores meos facio et constituo, quoad (2) legata mea, capellanum ecclesie Sancti Stephani de Villanova, Raymun-

(1) Cart.: *pietatibus.*
(2) Cart.: *que ad.*

dum Audini fratrem meum, Poncium de Londris; et rogo eos, et fidei eorum committo, ut ipsi compleant et compleri faciant de bonis omnia supradicta legata mea.

Hec est enim ultima voluntas mea, quam laudo, approbo, concedo et confirmo jure testamenti; que, si non valet jure testamenti, saltem valeat jure codicillorum, vel epistole, seu alterius cujuslibet ultime voluntatis; que ultima voluntas valere debeat aut possit.

Hujus ultime voluntatis sunt testes vocati et rogati, scilicet predicti gadiatores, Bn. Fornerii, Berengarius de Capite Stagno, G. de Altiniaco dyaconus, et ego Johannes de Becallio, publicus notarius comitatus Melgorii et Montisferrandi, et eciam tocius episcopatus Magalonensis, qui requisitus hec omnia scripsi.

(Reg. F, fol. 30 r°).

DCXXXVIII. — 26 juin 1258

Accord de Guillaume Christol avec Raimond-Pierre de Ganges au sujet de Cazilhac.

Pateat universis quod, suborta materia questionis inter venerabilem patrem in Christo dominum G. Christofori, Dei gratia episcopum Magalonensem, ex una parte; et nobilem virum dominum Raimundum Petri de Agantico, ex altera; racione et occasione dominacionis et ville ac parrochie de Cassiliaco et pertinenciarum suarum, interveniente Raimundo Marchi, legum doctore, communiter utrinque (1) assumpto, est facta per ipsum Raimundum Marchi transactio, seu amicabilis composicio, inter partes predictas in modum subscriptum:

Videlicet quod villa tota et parrochia de Cassillaco, cum suis omnibus juribus et pertinentiis, et jurisdictio meri et mixti imperii, et quisvis alius jurisdictionis gradus, necnon, occasione seu racione predictorum, quilibet redditus, exitus et

(1) Cart.: *utriusque*.

proventus communiter in equis partibus pro indiviso pertineat, et pertinere debet a modo, ex causa hujus transactionis seu composicionis, ad utrumque : scilicet ad dictum dominum episcopum, et ad dictum Raimundum Petri et suos ;

Ita tamen quod dicti Raimundus Petri et sui teneant, et se tenere eciam recognoscant, et se eciam tenere recognovit idem Raimundus Petri, suam dictam dimidiam ab ipso domino episcopo memorato, et suis successoribus episcopis Magalonensibus, salvo tamen jure alieno inter extraneas personas.

Item est sciendum quod dictus Raimundus Marchi, de voluntate et ad requisicionem eciam partium predictarum, sibi ipsi retinuit plenariam potestatem ordinandi quis percipere debeat dictos fructus, redditus et proventus nomine partis utriusque.

Et, cum hiis et super hiis, statuit et ordinavit R. Marchi supradictus esse pacem et finem imperpetuum inter partes.

Quam transaccionem seu amicabilem composicionem dicte partes, et alia omnia supradicta, scilicet dictus dominus episcopus per se et ejus successores episcopos Magalonenses, et dictus nobilis Raimundus Petri per se et suos successores, per omnia acceptantes et approbantes, promiserunt sibi ad invicem, sollempni et hinc inde interposita stipulatione, servare, complere, et firma perpetuo habere et tenere ipsa omnia et singula supradicta, et nunquam in aliquo contravenire, modo, vel jure aliquo, vel aliqua ratione ; obligantes eciam sibi invicem inde sollempniter ipse partes, scilicet dictus R. Petri se et suos et omnia bona sua presencia et futura eidem domino episcopo et suis dictis successoribus ; et ipse dominus episcopus, se et successores suos episcopos Magalonenses, et omnia bona dicti episcopatus Magalonensis presencia et futura eidem nobili Raimundo Petri et suis.

Acta fuerunt hec omnia suprascripta sexto kalendas julii, anno Incarnationis Dominice millesimo ducentesimo quinquagesimo octavo, in presencia et testimonio domini Petri Almeradi militis et jurisperiti, Poncii Gaudini, Bernardi de Casis, magistri Bossugoni, jurisperitorum, magistri Petri Rotberti, magistri Johannis Brunenchi prioris ecclesie de *Valfennes,*

magistri Petri Rieulphi, Bertrandi de Insula scutiferi, et quorumdam aliorum, et mei Petri Davini, notarii publici Montispessulani, qui supradicta omnia et singula scripsi, mandato et rogatu parcium predictarum, et hic signo meo sequenti signavi.

(Reg. F, fol. 129 v°).

DCXXXIX. — 28 avril 1259

Alexandre IV annule un accord conclu entre le prieur de Saint-Firmin et le prieur des Dominicains.

(Reg. E, fol. 7 r°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 361.

DCXL. — 29 juin 1259

Guillaume Christol confirme à Pierre Étienne de Béjargues une donation faite par son prédécesseur Guillaume Raimond.

Anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, videlicet tercio kalendas julii.... pateat... quod nos Guillelmus Christofori, divina permissione Magalonensis episcopus, per nos et successores nostros, considerata prius et inspecta evidenti utilitate nostra et dicti episcopatus... damus... tibi, Jacobo Stephani, homini nostro, filio quondam Petri Stephani de Bejanicis, et tuis, et in te atque tuos penitus transferimus, ad omnes tuas tuorumque voluntates libere faciendas, videlicet viginti sextaria ordei censualia, que tu et antecessores tui nobis et predecessoribus nostris annuatim, nomine usatici, in festo sancti Petri de augusto, dare et solvere tenebamini pro honoribus mansi de Bejanicis, quos ad manum tuam tenes et tui predecessores eciam tenuerunt.

Quem mansum cum omnibus suis pertinenciis dominus G[uillelmus], Dei gratia quondam Magalonensis episcopus, sub annuo censu predicto, predecessoribus tuis in acapitum seu in

emphitheosim dedit pariter et concessit (1), tali eciam pacto et lege appositis, quod predecessores tui possent dare et concedere de honoribus dicti mansi ad acapitum, sive in emphitheosim, quibus vellent personis, pariter tamen personis exemptis, cum consilio eciam et laudimio domini Magalonensis episcopi; [ita] quod, in qualibet quarteriata terre omnium et singulorum honorum predicti mansi, tui predecessores darent in acapitum seu in emphiteosim, haberet et habere deberet dictus dominus Magalonensis unum denarium melgoriense pro usatico, et consilium, laudimium, et consilium, atque dominium, prout hec omnia in instrumento inde facto per Johannem Laurencii, notarium Montispessulani, bullato bulla plumbea predicti quondam domini G[uillelmi], Magalonensis episcopi, plenius dignoscuntur contineri.

Quem mansum cum omnibus suis honoribus et pertinenciis tibi, dicto Jacobo, et tuis, sub eodem modo et forma superius comprehensis, tibi laudo pariter et concedo, salvis tamen et retentis nobis et successoribus nostris hominio, dominio, consilio, et laudimio, et usatico quinque solidorum melgoriensium solvendorum in dicto festo sancti Petri de augusto, annis singulis, in omnibus et singulis honoribus predicti mansi, quos ad manum tuam tenes, et tui eciam tenebunt; et salvis eciam nobis et successoribus nostris singulis denariis, quos habemus in singulis quarteriatis terrarum, per te et antecessores tuos datas et traditas in acapitum personis infrascriptis.

Cedimus igitur tibi, dicto Jacobo, et concedimus et in te atque tuos penitus transferimus, salvis omnibus supradictis nobis et successoribus nostris, omnia omnino jura et actiones, que et quas in omnibus et singulis honoribus dicti mansi habebamus, habere poteramus, nomine et occasione dictorum usaticorum viginti sextariorum ordei tantum.

De quibus juribus et accionibus nos et successores nostros penitus exuendo, te et tuos prorsus investimus, et verum dominum justumque procuratorem, ut in rem tuam propriam,

(1) Voir cet acte dans *Cartulaire de Maguelone*, T. I, p. 422.

facimus et constituimus, prout melius, facius et comodius ad tuum tuorumque comodum et utilitatem intelligi potest; absolventes eciam, quitium et quitios clamentes te et tuos, et honores dicti mansi ab omnibus hiis et singulis, que tibi vel tuis, seu in dictis honoribus, petere vel exigere possemus, occasione vel intuitu dictorum viginti sextariorum ordei tantum; volentes et concedentes tibi, eidem Jacobo; quod de predictis viginti sextariis ordei possessionem, quam tibi de presenti tradimus seu quasi, auctoritate propria apprehendas, alicujus persone licencia nullatenus expectata: quam donec corporaliter seu quasi susceperis, constituimus nos et successores nostros a te et tuo nomine eam habere precario et possidere; nec est dictum... quominus omnia et singula rata perpetuo maneant et existant. Hec omnia et singula servare sub obligacione bonorum dicti episcopatus tibi promitto, renunciando per nos et successores nostros omni juri quo contravenire possem.

Et ego dictus Jacobus Stephani, filius quondam dicti Petri Stephani de Bejanicis, presente et consenciente *Deulasfes*, matre mea, prescripta omnia et singula recipiens, laudans pariter et acceptans, ideo per me et omnes meos bona fide... vobis, domino G[uillelmo] Christofori, Dei gratia Magalonensi episcopo, et successoribus vestris, et in vos atque vestros successores penitus transfero, viginti tres sextaria ordei censualia, que michi faciebant et facere tenebantur, quolibet anno, in festo sancti Petri de augusto, nomine usatici, infrascripti omnes, pro honoribus quos antecessores mei de possessionibus dicti mansi sibi in acapitum seu in emphiteosim dederunt et concesserunt, salvis et retentis domino Magalonensi episcopo, in qualibet terre quarteriata, in acapitum infrascriptis data et concessa, dominio, consilio et laudimio, et usatico unius denarii.

Quorum siquidem viginti trium sextariorum ordei faciebat michi, et facere tenebatur, in dicto festo, annuatim, unum sextarium ordei Guillelmus de Tolosa borserius, pro quadam pecia terre quam habet in decimaria Sancti Stephani de

Bejanicis. que pecia terre et omnes alie pecie et vinee infrascripte sunt in decimaria predicta, et fuerunt olim de possessionibus dicti mansi ; et confrontatur dicta pecia terre cum camino Romevo et cum vinea Raimundi Duranti.

Item Raimundus Paul, duo sextaria ordei pro quadam pecia vinee quam habet in dicta decimaria ; et confrontatur cum honore liberorum quondam Johannis de Fabricis, et cum vallato de *las Plantadas*.

Item Jacobus Faber de *Limotges*, unum sextarium, pro quadam pecia vinee que est in eadem decimaria ; et confrontatur cum honore de *na* Sabateria et Petri Corcona.

Item Bernardus Rousselli faciebat duo sextaria, pro alia pecia vinee quam habet in decimaria antedicta ; et confrontatur cum camino Romevo et cum carrerone de Podio longo.

Item R. Passon, aliud sextarium pro quadam pecia terre ; et confrontatur cum camino Romevo et cum honore liberorum quondam Duranti Bonerii.

Item Astruga Ortolana, aliud sextarium pro una pecia vinee; et confrontatur cum honore B. Rosselli et Bernardi *d'Arsaguet*.

Item Petrus Fracheneria, unum sextarium ordei pro quadam pecia terre; et confrontatur cum honore dicti R. Paul, et cum vallato de *las Plantadas*.

Item Maria Portalia, unum sextarium ordei pro quadam pecia vinee, et confrontatur cum vinea dicti Petri de Fracheneria, et cum vallato de *las Plantadas*.

Item R. Bonerii, aliud sextarium pro una pecia vinee ; et confrontatur cum honore Petri S., et cum camino quo itur de Terrallo versus Latas.

Item Petrus Corcona, unum sextarium ordei pro alia pecia vinee ; et confrontatur cum honore Jacobi Fabri predicti, et cum camino proxime dicto.

Item G. Oliva, unum sextarium pro alia pecia vinee ; et confrontatur cum dicto camino et cum honore B. Coquonc.

Item Ber. Coquonc, unum sextarium pro alia pecia vinee ; et confrontatur cum honore G. Oliva et cum via predicta.

Item infantes Duranti Bonerii, tres eminas ordei pro alia

pecia vinee; et confrontatur cum honore de *na* Sabateria, et cum camino Romevo.

Item Bernardus Duranti, unam eminam pro quadam pecia vinee; et confrontatur cum via de Terrallo, et cum honore de *na* Sepona.

Item infantes Johannis de Fabricis, duo sextaria ordei pro quadam pecia vinee; et confrontatur cum honore dicti R. Paul, cum riperia de *las Plantadas*.

Item magister P. Bidellus, unum sextarium pro una pecia vinee, et confrontatur cum puteo *d'Arsas*.

Item Guillelma Sabateria, unum sextarium pro quadam pecia vinee; et confrontatur cum dicto camino, et cum honore dicti Jacobi.

Item Gaudiosa Capona, unam eminam pro una pecia vinee; et confrontatur cum honore dicti B. Rosselli, et cum dicta carreria de Latis

Item G. Tafon, unum sextarium pro una pecia vinee; [confrontatur] cum honore dicti magistri P., et cum dicta via de Latis.

Item Johannes Jogos, unam eminam pro alia pecia vinee; et confrontatur cum careirone (1) dicti Podii longi, et cum honore ipsius Jo.

Item Poncius de Caranta, unum sextarium pro una pecia vinee; et confrontatur cum camino Romevo, et cum dicta via de Latis.

Cedo igitur vobis dicto domino episcopo et concedo quicquid juris habebam, seu habere poteram, in dictis viginti tribus sextariis ordei, sive in dictis peciis terrarum, seu contra predictas personas, nomine et occasione dictorum viginti trium sextariorum ordei. De quo toto jure me et meos omnino exuendo, vos et successores vestros investio, et verum dominum in rem propriam facio; volens et concedens vobis quod, de premissis XXIII sextariis, possessionem auctoritate propria apprehendatis; quam donec corporaliter susceperitis, constituo me interim eam a vobis et vestro nomine habere precario et

(1) Cart.: *cum honore careirone*.

tenere, nullo dominio seu possessione penes me vel meos aliquatenus remanente. Nec dixi... quominus predicta et singula perpetua gaudeant firmitate. Hec quippe omnia servare, attendere et contra non venire vobis, sub mei et omnium bonorum meorum obligacione, fide mea plevita, expromitto, renunciando omni beneficio tocius juris ac auxilio quo contra predicta venire, seu tueri me possem.

Horum omnium sunt testes Raimundus de Viridario, Stephanus Raimundi, Magalonenses canonici, Guillelmus Bidocii prior de Montebasencho, Raimundus Almerandi fusterius, Petrus Ricols, Michael Cappellani et ego Petrus de Montanihola, publicus Montispessulani notarius, qui, mandato dicti domini episcopi et precibus dicti Jacobi Stephani, hec omnia scripsi et signum meum apposui.

(Reg. E, fol. 159 r°).

DCXLI. — 5 octobre 1259

Maître Florencius, recteur de Saint-Just, vend à l'évêque sa maison, sise à Montpellier.

Anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, scilicet tercio nonas octobris, ego magister Florencius, rector ecclesie Sancti Justi... vendo... vobis domino Guillelmo, Dei gracia Magalonensi episcopo, et successoribus vestris ad omnes voluntates vestras plenarie faciendas, scilicet totam domum meam cum omnibus juribus et pertinenciis; et confrontatur ex duabus partibus cum domo vestra seu viridario, et ex alia parte cum via publica; quam domum, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, constituo me pro vobis et nomine vestro precario tenere et possidere, donec vos, seu alius pro vobis, eam inceperitis possidere; cujus domus et omnium pertinentium ad eandem, veram proprietatem, et vacuam possessionem et quicquid juris unquam habui, vel habeo, vel habere possum, in vos et vestros successores transferens (1) penitus et transportans, vobisque prorsus desemparans, atque

(1) Cart.: *transferans.*

cedens, disvestio exinde me et meos, et investio vos et vestros; faciens et constituens, in hiis et super hiis, vos et vestros successores, veros dominos et procuratores in rem vestram.

Nomine autem hujus irrevocabilis vendicionis, ego, dictus magister Florencius, scio et in veritate confiteor me habuisse a vobis et integre recepisse ducentas libras melgorienses pro precio, ita quod exinde non remansit penes vos aliquid ad solvendum; in quibus scienter et expresse renuncio exceptioni non numerate pecunie, et boni ac justi precii non habiti nec recepti. Si autem domus vendita plus valet dicto precio, totum illud quantumcumque sit, licet dimidiam justi precii excederet, dono vobis et vestris successoribus... Unde promitto vobis... quod dictam domum... faciam vos et vestros... possidere in pace, et ab omni persona, questionem movente, defendam in judicio et extra judicium expensis propriis vos et vestros successores;... Quod si non facerem... totum restituam integre et in pace, credens inde vobis et vestris successoribus simplici verbo vestro. Pro quibus complendis et attendendis et pro evictione... obligo vobis et vestris successoribus me et meos, et omnia bona et jura mea... Promitto eciam... quod predictam vendicionem, et omnia et singula supradicta servabo et tenebo ad vestram et vestrorum successorum utilitatem,... Renuncians specialiter et expresse accioni et excepcioni de dolo et in factum, et omnibus aliis juris et facti auxiliis, quibus possem contra venire in totum vel in parte.

Quam domum ego tenebam, et tenere debebam, a vobis et vestris successoribus, sub annuo usatico duorum solidorum melgoriensium, solvendo in festo beati Michaelis.

Horum omnium sunt testes magister Petrus Juliani archidiaconus, Stephanus Raimundi canonici Magalonenses, Petrus Baudilii rector de Teirano, Bernardus Razeire rector ecclesie de Sursanicis, et plures alii, et Johannes Brunenc, domini predicti episcopi in sua diocesi et comitatu Melgorii et Montisferrandi publici notarii, qui mandatus hec scripsit et signo suo signavit.

(Reg. E, fol. 141 r).

DCXLII. — 4 décembre 1259

Inventaire de la maison épiscopale de Gigean.

Certum sit cunctis presentibus pariter et futuris quod, anno Domini M° CC° L VIIII°, pridie nonas decembris, fuerunt apud castrum Gijani Petrus Baudilii, prior ecclesie Sancti Mathei et Johannes de Pinu, prior ecclesie Beati Martini de Columbis, assistentibus eis Johanne Guiraudi, sacerdote ecclesie Sancti Genesii de Gijano. Et invenerunt primo in domo episcopali dicti castri de Gijano octo vasa vinaria et I vinagerriam; et quinque vasa in quibus bladum colligitur, I parvum et duo magna; et unum *embut* magnum de ligno, et I tinam que alias nuncupatur torcular; et duas *cemals*; et VI arcas magnas; et VI scrinna; et quatuor tabulas; et duas *cemals* ad comedendum deputatas; et quatuor culcitras de pluma, et totidem de palea; et VI pulvinaria de pluma; et quinque flessiatas; et IIII^or lectos de ligno; et I culcitram de pabilo; et I sestariale de blado; et duas parvas botas, in quibus bladum servatur; et IIII mensuras parvas de blado; et I ferratum, cum quo aqua auritur; et I pairolam et cassam I de cupro absque cauda; et II bancos cum guasarma una; et I aratrum (1) munitum; et V modia vini puri; et octo porcellos nutriendos cum quadam scrophia; et V saumatas de feno; et de palea apilare domus stabulari versus partem sinistram palearii; et fuit estimatum quarta pars cujusdam domus in qua pallee colliguntur; preterea eciam V linteamina; et XIII sestaria bladi, quod mescla dicitur ordei et frumenti; et II amphoras cum quatuor cupis; et duas duodenas inter parapsides et scutellas; et I martorium cum trissone suo; et quosdam *grilans* cum quodam *paliesseugle* de ferro; et unam furcam ferream; et III furcas de ligno; et I aisetam; et I ressam; et I *broc*; et I *embruc* parvum de vergis; et I cillam sine curpretorio in qua oves et capra mulcebantur; et duos cados; et I pilam lapidis in qua porci comedunt; et quoddam

(1) Cart.: *aratram*.

bresses sine funibus, quibus tempore mecium guarbe ducuntur; et invenerunt XXXVIII sestariatas terrarum domini Magalonensis episcopi, in castro superius memorato, de V reguas cultos; in quibus sestariatis bladum fuit messibus preteritis modo; et quandam partitam in quadam camera super qua superlectilia reponuntur.

Que omnia et singula fuerunt tradita per supradictos priores, ex parte venerabilis patris G[uillelmi], Dei gratia Magalonensis episcopi, domino G. Bedocii, priori ecclesie Beati Petri Montisbaseni, recipienti pro se et S. Bedocio, fratre suo absente.

Hujus rei testes sunt P. Catalani de Gijano, P. de Conchis sacerdos ecclesie Sancti Genesii de Gigano, et G. Catalani, publicus notarius domini episcopi predicti, qui hec scripsit.

Et sciendum quod preter (1) illa que supra scripta sunt invenerunt quasdam mapas; et cetere ecclesie terre castri predicti erant in *restoble*.

(Reg. C, fol. 227 v°).

DCXLIII. — 9 decembre 1259

Donation faite à l'évêque de douze deniers melgoires sur deux maisons sises à Montpellier.

Certum sit cunctis... quod ego Johannes de Morezio... dono et cedo tibi domino G[uillelmo], Magalonensi episcopo, tanquam bene merito, et successoribus tuis... illos duodecim denarios melgorienses censuales, quos ego habere debebam, singulis annis, in duabus domibus que sunt in parte et jurisdiccione tua, prope ecclesiam Sancte Fidis;

Una quarum est Deodati Petri, et altera Mathei Boqueti; et confrontantur ex una parte cum domo Philippi Blegerii, et ex alia cum carreria publica, et ex alia cum honore meo, quem emi ab Elzias Bragossa jurisperito, cum dictis duodecim denariis melgoriensibus censualibus; de quibus duodecim denariis tu

---

(1) Cart.: *propter*.

dicebas et asserebas, quod quinque debebantur tibi dari, nomine usatici, singulis annis.

Hanc autem donacionem, ex mera liberalitate mea, tibi et tuis successoribus facio, ad omnes voluntates tuas et tuorum successorum plenarie faciendas, et absque mei et meorum retencione aliqua, cum omnibus juribus et accionibus que michi competunt, et competere possunt vel debent, seu in aliquo unquam loco vel tempore compecierunt, competere potuerunt vel debuerunt in ipsis, vel pro ipsis, vel eorum occasione, adversus quascumque res et personas.

De quibus et de omnibus juribus et rationibus supradictis, facio et constituo te dominum justum possessorem vel quasi, et ut in rem tuam procuratorem; promittens tibi quod nichil est a me aut ab alio pro me dictum... quominus dicta donacio et omnia et singula que superius continentur, inviolabili perpetuo vigeant firmitate; renunciando in hiis omnibus et singulis supradictis legi de ingratis, et omnibus ingratitudinum causis, et omni alii juri, rationi michi et meis adversus predicta competentibus et competituris; ymo omnia et singula supradicta promitto me observaturum, et nullo jure vel ratione contra venturum.

Acta autem fuerunt hec omnia et singula supradicta, anno Dominice Incarnacionis M° CC° quinquagesimo nono, videlicet quinto idus decembris, in presentia et testimonio Raymundi de Viridario et Stephani Raimundi canonicorum Magalonensium, Raimundi de Salzeto, Guillelmi Duranti, Johannis Brunenc, Johannis Cordurerii sacerdotis, Salvatoris Callerii, et mei Johanni Pellerii, publici Montispessulani notarii, qui, a dictis partibus rogatus, hec scripsi et signavi.

(Reg. E, fol. 141 r°).

DCXLIV. — 10 décembre 1259

Guillaume Christol vend le droit de quart qu'il avait sur deux petites vignes.

Certum sit cunctis... quod nos G[uillelmus], Dei gratia episcopus Magalonensis, per nos et per omnes successores

nostros damus, solvimus, remittimus et derelinquimus imperpetuum tibi, Johanni de Bordellis, petenti, stipulanti et recipienti pro Guillelmo Acelini, cujus negocia geris in hac parte, et per te ipsi et suis ad omnes voluntates suas et suorum in vita et in morte faciendas, videlicet totum quartum et jus quarti, quod habebamus et percipiebamus, habere et percipere debebamus, in duabus peciolis vinee seu terre dicti Guillelmi Acelini, que sunt contigue, in decimaria Sancti Dyonisii de Montepessulano;

Et confrontantur ex una parte cum honore Raimundi de Barleto, et ex alia cum honore Rainardi de Volio, et ex alia cum honore dicti Guillelmi Acelini;

In quibus duabus peciolis, retinemus nobis et successoribus nostris usaticum duodecim denariorum melgoriensium annuatim, in festo sancti Michaelis aportandum, expensis propriis dicti Guillelmi, in domum nostram in Montepessulano. Quas dictas duas peciolas vinee seu terre, superius confrontatas, ab omni dacione dicti quarti liberas, per nos et omnes successores nostros, manere faciemus; et si de cetero aliquid aliud peteretur in dictis peciolis vinee seu terre, nomine dicti quarti, ab illa peticione dictum Guillelmum et suos liberabimus, et ab omni dampno servabimus et custodiemus.

Sciendum vero est quod, pro hac solucione et remissione, a te, tradente pro dicto Guillelmo Acelini, habuimus et recepimus viginti solidos melgorienses; in quibus renunciamus excepcioni non habite et non numerate pecunie. Que omnia et singula supradicta rata et firma semper tenebimus et observabimus, et nullo jure vel racione contraveniemus.

Item scimus et confitemur tibi, predicto Johanni de Bordellis, petenti, stipulanti et recipienti pro dicto Guillelmo Acelini, quod tu, pro ipso et ejus nomine, nobis satisfecisti plenarie, usque ad presentem diem, in omnibus et singulis usaticis et quartis, que percipimus in omnibus et singulis honoribus qui sunt dicti Guillelmi Acelini, et fuerunt olim Stephani Benedicti in decimaria Sancti Dionisii de Montepessulano; in quibus omnibus renunciamus excepcioni satisfaccionis nobis non facte de predictis usaticis et quartis. Unde,

de eisdem a nobis perceptis usque ad presentem diem, te recipientem pro dicto Guillelmo Acelini, et, per te, ipsum et suos, et omnia bona sua et suorum liberamus, absolvimus penitus et quitamus; et pactum sollempne de nunquam aliquid petendo a te, nomine dicti Guillelmi Acelini, vel ab ipso Guillelmo et suis, occasione predictorum usaticorum seu quartorum, a vobis usque ad presentem diem perceptorum, tibi, stipulanti pro dicto Guillelmo Acelini, facimus.

Et ego, predictus Johannes de Bordellis, nomine dicti Acelini, predicta omnia et singula recipiens, scio et confiteor vobis, predicto domino episcopo, ipsum predictum Guillelmum Acelini, et me pro ipso, de vobis habere et tenere predictas duas peciolas vinee seu terre superius confrontatas, in quibus habetis et habere debetis consilium, dominium, laudimium, et in qualibet earum sex denarios melgorienses pro usatico, in festo sancti Michaelis annuatim.

Item ex alia parte scio et confiteor vobis dictum Guillelmum Acelini, et me pro ipso, habere et tenere quemdam campum de vobis, qui est in decimaria Sancti Dyonisii de Montepessulano; et confrontatur ex una parte cum honore Guillelmi de Vineis, et ex alia cum honore Stephani de Congenhiis, et ex alia cum honore Rainardi de Volio; in quo campo habetis et habere debetis dominium, laudimium, consilium, et, singulis annis, pro usatico, in festo sancti Michaelis, duos solidos melgorienses.

Item ex alia parte scio et confiteor vobis, predicto domino episcopo, dictum Guillelmum Acelini, et me pro ipso, habere et tenere de vobis unam peciam planterii que est in dicta decimaria; et confrontatur ex una parte cum honore Stephani de Congenhis, et ex aliis duabus partibus cum honore Rainardi de Volio; in qua quidem pecia habetis et habere debetis dominium, laudimium, consilium, et, singulis annis, pro usatico in festo sancti Michaelis, sex denarios melgorienses.

Que quidem omnia et singula usatica supradicta vobis et vestris successoribus, annuatim, in dicto festo sancti Michaelis, nomine dicti Guillelmi Acelini solvere expromitto, obligans

inde, nomine dicti Guillelmi, vobis et successoribus vestris, omnes dictos honores superius confrontatos.

Item ego, dictus Johannes de Bordelis, pro dicto Guillelmo Acelini et nomine ejusdem Guillelmi, cedo, solvo et remitto in perpetuum, vobis domino episcopo et vestris successoribus, omnia jura et acciones, que et quas habebat dictus Guillelmus Acelini in duabus peciis terre, que vobis eciderant in commissum, propter cessationem usatici ; que quidem pecie sunt *al Peyras*. Quarum una confrontatur ex una parte cum honore Bernardi de Latis, et ex alia cum honore Johannis Gervasii capellani, et ex alia cum honore Nicolai de Messio. Altera vero confrontatur ex una parte cum honore Guiraudi de Brozeto, et ex alia cum honore Petri de *la Vila*, et ex alia cum honore dicti Bernardi de Latis.

Acta sunt hec omnia et singula supradicta anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, videlicet quarto idus decembris, in presencia et testimonio magistri Johannis Brunenchi, notarii predicti domini episcopi, Poncii de Ulmo, notarii Montispessulani, Johannis Cordurerii sacerdotis, et plurium aliorum, et mei Jacobi Textoris, publici Montispessulani notarii, qui rogatus hec scripsit, et suprascripsit, ubi dicitur *aliud*, et alibi ubi dicitur *predicti*.

(Reg. E, fol. 138 v°).

DCXLV. — 28 janvier 1259 n. s. 1260

Reconnaissance faite à l'évêque par Pierre Chef-de-Bœuf d'un fief noble.

Anno Dominice Incarnationis M° CC° quinquagesimo nono, scilicet quinto kalendas februarii, noverint universi... quod ego Petrus Capud Bovis, filius quondam Bernardi Capud Bovis, burgensis Montispessulani.... recognosco vobis domino Guillelmo, Dei gratia episcopo Magalonensi, quod ego habeo et teneo, et mei pariter infrascripti tenentes habuerunt et tenebunt in feudum honoratum, a vobis et vestris successoribus, totum illum honorem, quicumque sit et qualiscumque,

cum omnibus juribus et pertinentiis suis, que a Poncio de Nozeto, milite de Lunello, dictus pater meus emit et habuit, et quod modo ego habeo et teneo, in parrochia Sancti Vincencii de Salvinacho seu de Perolis.

Est tamen sciendum quod ego possum libere, sine vestro et vestrorum successorum consilio, laudimio et requisicione, meique (1) successores, dictum feudum tenentes, poterunt similiter, de feudo et in feudo predicto, dare in accapitum seu in emphiteosim, cum apposicione seu retencione usatici sive census, mihi dandi et meis, laudationes, vendiciones et alios contractus qui et que exinde, sicut in quibus solet et debet laudimium adhiberi, ipsaque laudimia percipere et habere, vel honorem seu feudum venditum pro oblato precio ratione dominii retinere, ac eciam in (2) commissum vendicare, si, in solucione usatici sive census, per statuta tempora cessaretur; necnon et censum ac usatica petere, recipere et servatum juris ordinem cohercere, ac alia facere que, in feudo et de feudo tali, solent et debent fieri et exerceri, salvo semper et retento vobis et vestris successoribus, dominio, consilio, et laudimio, in hiis et super hiis que, in feudo vel de feudo predicto, a me vel meis alienarentur omnino sine aliqua retentione.

Verum pro feudo hujusmodi ego, dictus P., dabo et dare teneor, et mei similiter, dictum feudum tenentes, dabunt et dare tenebuntur, vobis et vestris successoribus duos caponos in carniprivio, singulis annis, in illis dumtaxat in quibus fuerint requisiti, ita quod de annis quibus non requiretur, ego vel mei minime teneantur; nec propter cessationem hujusmodi, que sine requisitione fieret, cadat feudum hujusmodi in comissum.

Et nos Guillelmus, miseratione divina episcopus Magalonensis, presentem recognitionem gratam et ratam habentes,

---

(1) Cart.: *meorum*. — Nous ne retenons, comme de coutume, quand nous publions le reg. C, que les variantes les plus intéressantes.

(2) Cart.: *nec*.

ac omnia et singula supradicta vera esse scientes, sicus superius sunt expressa, per nos et nostros successores laudamus, approbamus, et ex certa scientia confirmamus tibi, dicto P., et tuis, totum honorem predictum, cum omnibus juribus et pertinenciis suis in feudum, sicus superius continetur.

Horum omnium sunt testes Raimundus de Viridario canonicus Magalonensis, Petrus Baudilii rector ecclesie Sancti Mathei de Montepessulano, Arnaldus de *Bonboissou*, Johannes Rotbaudi, Bernardus de Montaniaco, et plures alii, et Johannes Brunenc, dicti domini episcopi in sua diocesi et comitatu Melgorii et Montisferrandi publicus notarius, qui mandatus hec scripsit, et signo suo signavit.

(Reg. C, fol. 147 r°)

DCXLVI. — 20 avril 1260

Difficultés au sujet du tènement des Matelles. Sentence à ce sujet en faveur du monastère de Saint-Léon.

Cum domina Maria, priorissa monasterii Sancti Leonis, testes produxisset coram domino Gaufrido de Rouchairolis, milite, senescallo Bellicadri et Nemausi, super territorio de Matellis, item dominus senescallus testes predictos recepit in modum inquisitionis apud *Salve*.

Item dominus Guillelmus Hugo, miles, comparuit coram dicto domino senescallo, nomine dicte domine priorisse, et postulavit idem Guillelmus Hugo, quod idem dominus senescallus reciperet, vel recipi faceret, testes quos ipse volebat producere, ad probandum quod dicta domina priorissa et monasterium predictum erant in possessione, vel quasi, pasturalium de Matellis, hospitalis de Silva Gauterii ; et fuit tanto tempore quod non extabat memoria.

Qui dictus dominus senescallus commisit vices suas Jacobo Albo, notario Sumidrii, et audientiam et examinacionem dictorum testium dicto Jacobo delegavit. Qui dictus Jacobus testes predictos recepit, mandato et auctoritate dicti domini

senescalli, prout in actis, factis in curia Sumidrii, continetur,

Post modum vero Guillelmus Grenovus, judex Salviensis, de mandato dicti domini senescalli, recepit et audivit testes quos produxit dicta priorissa apud *Salve* super dicto territorio de Matellis.

Et post dictam receptionem dictorum testium, Petrus de Sala, domicellus, comparuit coram dicto Guillelmo Grenovo, dicens se velle producere testes super honores seu nemora de Matellis, quem dicebat se tenere sub dominio domini regis, et se habuisse a Guillelmo de Marcillanissis; et coram eodem Guillelmo Grenovo testes produxit.

Postea vero dictus Petrus de Sala et dicta priorissa, convenientes cum dicto judice, venerunt ad locum de Matellis ; et cum tenementum de Matellis non esset confrontatum in inquisicione predicta, ex communi tractatu dictorum priorisse, et Petri de Sala, et judicis, existentium in dicto tenemento, dicta priorissa elegit duos probos homines ad confrontandum dictum tenementum de Matellis, et dictus de Sala alios duos probos homines: scilicet elegit dictus Petrus Bernardum de Manso et Petrum Salvianum, et dicta priorissa, Guillelmum de Valleta et Raimundum *del Peiro*. Qui dicti quatuor probi homines, prestito ab ipsis juramento legaliter, confrontaverunt dictum tenementum in hunc modum :

Scilicet dixerunt sub dicto juramento, quod confrontatur dictum tenementum cum camino publico quo itur versus Montempessulanum, et cum quadam via qua itur a camino publico versus Vaquerias, et cum nemore Poncii Vedel, et cum nemore Guillelmi de Figaredo, et cum nemore Raimundi de Sala, et cum nemore seu honore Guillelmi de Valleta, et Poncii Almeta, et cum camino quo itur a Clareto versus Sumidrium.

Item post predicta dictus dominus senescallus commisit vices suas dicto Guillelmo Grenovi, judici Salviensi, ad terminandum dictam inquisicionem sub hac forma :

Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, scilicet sexto nonas marcii, pateat presentibus et futuris quod

nos Gaufridus de Rochairolis, miles, senescallus Bellicadri et Nemausi, comittimus vices nostras Guillelmo Grenovo, judici Salviensi, ad examinandam, terminandam, et finiendam inquisicionem que est inter montem Sancti Leonis et hospitalis de Selvagauterio, et priorissam dicti monasterii ex una parte; et curiam domini regis ex altera, super tenemento de Matellis, volentes et concedentes dicto Guillelmo Grenovo judici, quod ipse, pro nobis et auctoritate nostra, dictam inquisitionem per sententiam vel alio modo valeat terminare. Testes et cetera.

Ad hec ego G. Grenovus, judex Salviensis, accedente michi Guillelmo Raimundi, vicario Salviensi, presentibus Petro de Sala et Martino de Layris, converso et procuratore dicte domine priorisse, ex auctoritate comissionis dicti domini senescalli cognitor dicte inquisicionis secundum formam supradictam, visis et auditis, et diligenter examinatis et perscrutatis cum cura et diligentia, de verbo ad verbum, attestationibus testium communium predictorum in dicta inquisicione; visis eciam et diligenter ponderatis et examinatis meritis tocius inquisicionis predicte, pronuncio et cognosco dictam dominam priorissam, et monasterium Sancti Leonis, esse et fuisse in possessione, vel quasi, per longissimum tempus, tenementi de Matellis supra confrontatum, pro medietate pro indiviso, in colligendis ibi lignis et in venatione sirogrillorum, et in pascenda animalia dicti monasterii, et in colendis ibi terris, et in defensione et in expulsione animalium; et hec ita pronuncio et cognosco, salvo jure in proprietate domino regi, et dicto Petro de Sala, et dicte priorisse, et salvo jure cujuslibet alterius persone.

Lata fuit hec sententia, seu pronunciacio et cognicio, apud *Salve*, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo, duodecimo kalendas maii, coram istis testibus videlicet Petro Fabri, Petro Balnerio jurisperito, Bernardo de Manso, Bernardo de Materiis, Petro de Plano, Bernardo Polvererio, Poncio de Terrio, Petro Gauterio, Raimundo Bosqueto, Guillelmo Textoris, Petro de Marcosio clerico, et me Raimundo de

Cassanis, publico Salviensi notario, qui ad instantiam et peticionem dicti Martini de Layris, conversi et procuratoris dicte priorisse, et de mandato dicti judicis, hoc instrumentum scripsi et signum meum apposui.

(Reg. E, fol. 226 r°; d'après un vidimus sans date fait sous Arnaud de Verdale).

DCXLVII. — 13 juillet 1260

Alexandre IV écrit à l'archevêque élu de Narbonne au sujet des prétentions émises par Pierre Pelet sur le comté de Melgueil.

(Reg. F, fol. 170 v°).

Édité dans *Bullaire de l'Église de Maguelone*, t. II, p. 364.

DCXLVIII. — 18 juillet 1260

Accord entre Delphine de Roquefeuil et Henri de Rodez, son neveu, d'une part, et Raimond Pierre, d'autre part, au sujet de Brissac.

Anno Domini M° CC° LX°, XV kalendas augusti, cum talis controversia, discordia, rancuria seu querela vertebatur, seu verti sperabatur vel moveri, inter nobilem Dalphinam Rochafolii ex una parte; et nobilem Raimundum Petri, domini Agantici, ex altera; super quibusdam territoriis, mansis, et possessionibus, et usaticis, et juribus castri [et] mandamenti de Bricciaco:

Asserebat domina Dalphina, quod dominus Raymundus Petri injuriabatur sibi in pluribus mansis, et territoriis, et aliis locis, qui sunt in parrochiis castri de Briciaco, et qui pertinent ad dictam dominam Dal[phinam]; que omnia dicta domina Dalphina in processu cause promissit declarare;

Et econverso dictus Raimundus Petri dicebat et asserebat, quod dicta domina Dalfina, in pluribus territoriis, et locis, et

mansis, pertinentibus ad ipsum (1) ratione dicti castri de Briciaco, injuriabatur eidem; que omnia in processu litis declarabit;

Et generaliter super omnibus questionibus et demandamentis, quas partes predicte inter se habebant, vel habere poterant, usque in hodiernum diem, racione dicti castri de Briciaco, et mandamenti, et juridiccionis ipsius castri compromiserunt in Bernardum Cassa et Fredolonem de Folhaquerio jurisperitos (2), tanquam in arbitros, seu arbitratores, vel amicabiles compositores, sub pena LX librarum turronensium, a parte parti ad invicem stipulanti; et promiserunt (3) stare cognicioni, diffinitioni, recitationi, et omnimode voluntati predictorom arbitrorum...; et venire ad diem et dies, et ad locum et ad loca a predictis arbitris... eisdem assignandos; et pignora reddere ad eorum cognitionem. Et fuit dictum et conventum inter partes dictas, quod predicti arbitri... possint de questionibus parcium inquirere veritatem, servato juris ordine vel non servato, diebus ferriatis vel non feriatis; et, veritate inquisita vel non inquisita, omnes questiones simul vel separatim diffinire vel determinare, unam vel omnes in scriptis, sedendo vel stando, in diem seu in nocte, et per se seu notarium recitare.

Item fuit actum inter partes quod, pena comissa, soluta et exacta, nichilominus dicta diffinitio seu recitatio predictorum in sua maneat perpetua firmitate.

Item promisit domina Dalphina sub pena predicta, quod ipsa faceret laudare, confirmare Henrico nepoti suo (4) quicquid per dictos arbitros... diffinitum, recitatum, seu terminatum fuerit super questionibus supradictis.

Item fuit actum inter partes quod compromissum debeat durare tantum ad Natale Domini proxime venturum;

Renunciantes partes predicte juri jubenti compromissum

(1) Cart.: *ipsam.*
(2) Cart.: *jurisperitus.*
(3) Cart.: *promissa.*
(4) Cart.: *nepousus.*

juramento volariis (*sic*); et generaliter omni juri et racioni, speciali et generali, quibus contra venire possent; que omnia et singula suprascripta et infrascripta partes admitere promiserunt [et] servare, et in nullo modo contravenire, per sacramentum.

Hec acta fuerunt apud Bricciacum in presencia et testimonio Pe. de Mira Vallis, Guillelmi de Barra, R. Poncii militis, Bertrandi de Agriles, et mei Poncii (1) Brancatii, publici ville Agantici notarii.

Et post hec, predicti arbitri... de consensu parcium continuaverunt diem usque ad crastinum; et in crastinum (2) partes comparuerunt. Et voluerunt inquirere de plano predicti arbitri de questionibus parcium, ab ipsis partibus reddendis, et non tantum de scriptis, set et de non scriptis.

Post hec anno eodem quo supra, et in kalendis octobris, predicti arbitri... visis et auditis racionibus et atestationibus (3) in instrumentis utriusque partis; et habito consilio prudentum virorum, et habito concilio et requisito B. de Laverneda, R. Sancti Nazarii (4), et Guillelmi de Valha, et Guillelmi Garnerii, datis et concessis a partibus, cum quibus debebant (5) addicere [et] indagare veritatem, pro bono pacis et concordie questiones infrascriptas in hunc modum diffiniverunt, et recitaverunt componendo et transigendo inter partes :

Primo sic dicendo, et determinando, et diffiniendo quod strate (6) publice tocius parrochie Sancti Nazarii de Bricciaco, et carrerie castri de Bricciaco sint perpetuo communes domine Dalphine, et Enrico nepoti suo, et suis, et domino R. Petri, et suis; et quod predicti cognoscant communiter de omnibus

(1) Cart.: *et merpon* (abréviation sur la dernière syllabe).
(2) Cart.: *castrum* dans les deux cas au lieu de *crastinum*.
(3) Cart : *arestationibus et in instrumentis*.
(4) Cart.: *Stazarii*.
(5) Cart.: *dabat*.
(6) Cart.: *citare*.

forefactis et criminibus (1) comissis in stratis dicti castri et carreriis dicti castri, et punient delinquentes; et si condempnacio pecunialis delinquencium levaretur seu haberetur, inter eos equis partibus dividatur; et si contingeret quod, [propter] crimen commissum in dictis stratis et in dictis carreriis, aliquis corporaliter puniretur, a dictis partibus communiter puniatur. Et quod strata publica a ripperia, que est alzcius, que est versus partem Vallis Buxerie, et que protenditur versus curtem Vallis Buxerie, sit communis, et communiter cognoscant et puniant delinquentes.

Item dixerunt et diffinierunt quod si bajuli dicte domine Dalphine et dicti Henrici comitis, in dictis stratis et dictis carreriis, quod dicta domina Dalphina, et Henricus et sui ipsum puniant et perpetuo punire debeant; et quod una pars, sine requisitione et cognitione alterius, pariter de suo bajulo puniat et cognoscat (2).

Item voluerunt et diffinierunt, quod, si bajuli dicte domine Dalphine et dicti Henrici comiterent in dictis stratis et dictis carreriis, quod dicta domina et Henricus et sui ipsum puniant et perpetuo punire debeant. Et, de eodem modo, si bajuli dicti domini R. Petri comiterent in dictis stratis seu carreriis, quod ipse et sui ipsum puniant et perpetuo punire debeant; et quod una pars, sine requisitione et cognicione alterius, pariter de suo bajulo puniat et cognoscat.

Item voluerunt et diffinierunt quod, si bajuli dicte domine Dalphine et dicti Henrici comitebant in parte dimissa domini R. Petri, et in jurisdiccione ipsius demissa, quod dominus R. Petri et sui debeant et possint cognoscere et punire. Et eodem modo, si bajuli domini R. Petri comitebant seu delinquebant in parte dimissa domine Dalphine et Henrici, et in juridiccione ipsorum dimissa (3), domina Dalphina et sui

---

(1) Cart.: *criminis*.

(2) Cet article de l'accord ne devrait pas figurer dans l'acte : Il est d'ailleurs incompréhensible, parce qu'il est tronqué. Voir le suivant, qui est le même, mais bien transcrit. Que le lecteur n'oublie pas que cet acte se trouve dans le Registre C.

(3) Cart.: *dimissa pro domina*.

debeant cognoscere et punire: et quod una curia alii curie teneatur remitere suos bajulos puniendos.

Item predicti arbitri... diffinierunt quod mansus, et honores, et cassamenta, et quod tenet B. *del Sissarles* et Assalaycia uxor sua, qui condam fuit et fuerunt B. Dessani, patris domine (1) Assalaycie, et qui mansus, seu honores, et casamenta sunt in tenemento de *Colpac*, teneant dictus B. et dicta Assalaycia, et heredes sui communiter, perpetuo et equis partibus, a dicta Dalphina, et a dicto Henrico, et a domino R. Petri, et a suis heredibus; et quod det perpetuo albergam unius militis, pro censu et nomine census, dicto domino R. Petri et heredibus suis annuatim, et domine Dalphine et Henrico I denarium melgoriense pro censu; et dominium et laudimium pertineat ad predictos dominos communiter.

Item dixerunt diffiniendo quod, facta solutione census, et ipsi et heredes sui sint perpetuo inmunes ab omni exaccione supradictorum dominorum, nec pro dicto manso teneantur supradictas divisas addare seu solvere pariter dictos census.

Item voluerunt et diffinierunt quod campus de *Roumehac* sit communis dicte Dalphine, et Henrico et suis, et domino R. Petri et suis, et equis partibus census et quintum dividant dicti campi; qui campus confrontatur ex una parte a carreria de puteo usque ad campum B. Bertrandi condam, et, ex alia cum terra Guillelmi Mayre condam.

Item voluerunt et diffinierunt, quia invenerunt cum testibus productis a B. Natali quod ipse B. erat in possessione honoris de *las Canabieras*, et diu honorem excoluerat, et fructus terre et arbores collegerat, quod B. de *la Verneda* reddat vites quas tenuerat in sequestro B. Natali, salvo (2) jure proprietatis B. Martini.

Item voluerunt et diffinierunt quod *las Auzedatz*, que non sunt divise, sint communes domine Dalphine, et Henrico et suis, et domino R. Petri et suis; et si voluntas est ipsorum

---

(1) Cart.: *dominice*.

(2) Cart.: *salunie* ou *salvine*, etc.

duorum comitum (1), dividantur, vel, si ex eis placuerit, quod communiter dent ad accapitum, accapita, et laudimia et census equis partibus dividantur; ita tamen quod si dividerentur seu communiter remiterent, dixerunt, et voluerunt quod aliquis (2) dominorum non possit deffendere hominibus pascua castri de Briceiaco, nec hominibus mansorum vicinorum, qui consueverunt ibi pascua exercere, exceptis cultis et vineis, si ibi vinee plantabantur, seu heremi excolerentur.

Item voluerunt et diffinierunt, quod illi campi seu pecie terre, qui fuerunt recogniti seu recognite domine Dalphine, sint perpetuo de *las Auzedas*, et equis partibus, prout supra dictum est de *las Auzedas*.

Item voluerunt, et diffinierunt, et recitaverunt, quod cognicio causarum criminalium et forefactorum delinquencium in territoriis et possessionibus, quas emit domina Dalphina a Guiraudo de Gordo[ne] in tenemento de *Clopiac*, scit et pertinere debeat, ab hac hora in antea, domino R. Petri et suis pro media; et communiter cognoscant et puniant delinquentes, dicta domina Dalphina, et Henricus, et dominus R. Petri, et sui.

Item dixerunt diffiniendo et determinando, quod cognitio criminum et forefactorum, commissorum [in] condamina Petri et Guillelmi, que est juxta ecclesiam Sancti Nazarii, scit domini R. Petri pro dimidia; et communiter domina Dalphina, et Henricus, et dominus R. Petri et sui, equis partibus, puniant delinquentes; hoc tamen salvo quod proprietas termini et possessionum Guiraudi de Gordo[ne] condam et dicte condaminie Petri et Guillelmi remaneant domine Dalphine, et Henrico, et suis, et juridictio, et census et usatica aliarum rerum.

---

(1) Toutes les fois que nous avons trouvé l'abréviation *cois*, nous l'avons traduite par *communis* ou *communes*, et l'abréviation *coit*, suivi d'un tiron recourbé, par *communiter*; on peut aussi lire *comitum*. Nous l'avons ainsi traduite dans ce cas, tandis que nous avons traduit la même abréviation *coit* par *communiter* une ligne plus bas.

(2) Cart.: *aliquid*.

Item voluerunt et diffinierunt quod possessiones (1) mansi de Supra Vineis dent et absolvant, domine Dalphine et Henrico, annuatim, VI sestaria vini quolibet anno, ratione dicti mansi sine dominio.

Item voluerunt, et diffinierunt, et dixerunt quod possessiones mansi de *Bresaguet* dent et solvant, annuatim, albergam duorum militum, de manso de *Bresaguet*, quolibet anno, domino Raimundo Petri ratione dicti mansi sine dominio; et quod possessiones feudi de Roveria dent et solvant domino R. Petri et suis, annuatim, albergum unius militis et sine dominio.

Item dixerunt et diffinierunt quod, solutis dictis VI sestariis vini, quolibet anno, domine Dalphine et Hercuquo (*sic*), nil plus possunt petere in dicto manso de Supra Vineis domina Dalphina nec Henricus; et, solutis dictis albergiis duorum militum de manso de *Breisaguet*, quolibet anno, et soluto albergo unius militis pro feudo de Roveria, quolibet anno, nil plus possit petere dictus dominus Raimundus Petri nec sui, in supradicto manso de *Breysaguet*, nec in feudo de *la Rovoira*.

Item dixerunt determinando, quia invenerunt cum Guillelmo Garnerio et cum aliis, quod quando fuerunt divise *las Auzedatz* inter dominum Raimundum Petri et Raimundum de Rochafolio et suos, possessiones Johannis *del Maire* (2) venerunt in ipsa divissione ad partem domini R. de Rochafolio; et quod Johannes *del Maire* tenuerat per XXX[ta] annos pacifice et quiete dictas possessiones, pro curia domine Dalphine, quod remaneant domine Dalphine et Jo. *del Maire* pleno jure.

Item voluerunt et dixerunt diffiniendo, quod dictus Raimundus Petri et sui deberit acipere, et possint et valeant habere quintum bladi et quintum vini in manso de Vilareto, et medietatem VIII° denariorum et unius galline pro censu et nomine census sine (3) dominio.

(1) Nous maintenons ce mot ici et plus bas: nous préférerions lire: *possessores*.

(2) Cart.: *delmarize*. Voir une ligne plus bas, où il est bien écrit, dans le Cartulaire.

(3) Cart.: *et*.

Item dixerunt et terminaverunt recitando, quod dominus Raimundus Petri et successores, ab hac ora in antea, forte sive exigeret duos galonos pro censu in oliveto, quod oliverii quodam fuit senatodina (*sic*).

Item voluerunt, diffinierunt terminando quod aqua, que exeit de fonte Avezo, et flueit usque ad flumen Erravi, pro qua erat lis (?) (1) aqua et pices aque scint perpetuo communes in predictis dominis, domine Delphine, et Henrico, et domino R. Petri et suis, exceptis ictibus (2) molendinorum, et rotis (3) et paxeriis ; quod quilibet possit deffendere quod aliquis non debeat ibi piscari : et si fere in dicta aqua interficiebantur, seu capiebantur, quod dominium ex pescadiis esset (4) illius domini, cujus terre rippa esset propinquior; hoc salvo quod quilibet possit edificare et molendinum facere in sua rippa seu terra, sine contradiccione alterius; ita tamen quod propter novum, si ibi fieret, non possint ingorgari alia molendina que modo sunt constructa.

Item voluerunt et determinaverunt diffiniendo, quod predicti domini castri de *Brisac*, et eorum successores unanimiter et concorditer debeant ponere et constituere banerios, sive banerium, in hiis omnibus que habent communia in castro et pertinenciis castri de *Breusac*, et in parrochia Sancti Nazarii de *Breusac*, et bernava, que levabantur de re communi, communiter dividantur. In hiis vero omnibus, in quibuslibet habebit proprietatem et jurisdiccionem propriam et divisam in tota dicta parrochia, vi levet suus banerius proprius bannum.

Hiis vero omnibus ita peractis, in presencia parcium, a dictis arbitris recitatis et diffinitis, dicte partes (5) omnia predicta et singula, prout superius sunt recitata, diffinita et determinata, laudaverunt, approbaverunt, et confirmaverunt, rata, et firma, et inviolabilia perpetuo habere ad invicem pro-

---

(1) Cart.: *erminis*.
(2) Cart: *jeribus*.
(3) Cart.: *roris*.
(4) Cart.: *quod dum* surmonté d'un trait *et poscadiis essel*.
(5) Cart.: *curte*.

miserunt, sub dicta pena LX (1) libras, in dicto compromisso contenta; et se servaturos et contra non venturos, tactis corporaliter sacrosanctis Dei evangeliis, juraverunt, renunciantes omni legi, et juri, et consuetudini, et racioni quibus contra predicta, vel aliquid de predictis, contra venire possent.

Preterea dicta Dalphina sub dicto juramento et dicta pena, promisit dicto domino Raimundo Petri stipulanti, quod faciet et procurabit, quod dominus Henricus, filius domini comitis Ruthenensis, nepos suus, omnia et singula supradicta laudabit, confirmabit, et ratificabit, et rata et firma perpetuo habebit, tenebit, et observabit.

Et dominus Raimundus Petri promissit, sub dicto juramento et sub dicta pena dicte domine Dalphine (2), stipulanti pro se et domino Henrico, nepote suo, predicta omnia, quod faciet et procurabit quod R. Petri, suus filius, omnia et singula supradicta laudabit, confirmabit et ratificabit, et rata, et firma perpetuo habebit, tenebit et observabit.

Facta fuit hec recitatio et compositio apud Briciacum, in carreria publica, subtus castrum, in presencia et testimonio Petri de Ruppe militis, magistri Guillelmi Aniana jurisperitus, P. de Clareto, R. de Sancto Nazario, Pe. Miravallis, fratris *d'Ares* de ordine Predicatorum, Jo. Monerii, Pontius *Furnier*, Brt. *d'Agullos*, R. Poncii militis, Guillelmi de *la Barra*, Pe. Maleti sacerdotis, magistri Pe. de Ribolas, Petri Garnerii, Deodati Furnerii, B. *d'Ossa*, Bn. de *la Vernada*, et R. Moruti, et Petri de Cossono, notarii publici, et plurium aliorum, et Poncii Brancacii, publici notarii Agantici.

(Reg. C, fol. 200 v°; d'après une copie sans date).

---

(1) Cart.: *L*; plus haut il y a *LX*.
(2) Cart.: *Bal*.

DCXLIX. — 13 septembre 1260

Sentence de Gui Fulcodi, archevêque de Narbonne — plus tard Clément IV — au sujet des différends entre Jacques d'Aragon et l'évêque de Maguelone.

Subortis dudum variis questionibus inter diversos pro tempore Ecclesie Magalonensis episcopos ex uno latere, et virum magnificum dominum Jacobum, Dei gratia inclitum regem Aragonum, Majoricarum et Valencie, comitem Barchinonis et Urgelli, et dominum Montispessulani, ex altero; placuit tandem eidem domino regi, et patri venerabili G[uillelmo], eadem gratia nunc Magalonensi episcopo, super omnibus mutuis questionibus, in patrem venerabilem dominum Guidonem, Dei gratia tunc Aniciensem episcopum, nunc autem Narbonensem electum, compromittere; et, amicabili tractatu prehabito, eumdem (1) dominum Guidonem arbitrum et arbitratorem sibi eligerunt partes predicte, scilicet dominus rex supradictus et idem Magalonensis episcopus, capituli sui antecedente consensu; subjicientes se ejusdem domini Guidonis arbitrio, seu arbitratui, et omnimode voluntati, sicut hec plenius continentur in instrumentis publicis, per Petrum de Ponte, notarium Montispessulani, inde confectis.

Asserebatur autem, ex parte domini regis, pertinere ad ipsum majores justitias criminum in parte illa Montispessulani que dicitur Magalonensis episcopi: illorum videlicet criminum, ex quibus vel mors, vel membri mutilatio sequi debet, et per consequens bonorum confiscatio pertinere dicitur ad regem, quod etiam ad bona hereticorum dicebatur contendi; quia licet crimen hereseos ad ecclesiasticum forum spectet, condempnati tamen heretici relinquuntur curie seculari, et eorum bona a potestatibus secularibus confiscantur.

Dicebatur insuper, pro domino rege predicto, quod campus, qui dicitur Atbrandi, et insula quam habet episcopus in Montepessulaneto, ad domini regis dominium, seu jurisdictionem

(1) Cart.: *et eundem*.

spectabant; et quicquid est a porta Obilionis usque ad domum que fuit Raimundi Lamberti; et insuper, quod, tam de laudimiis, quam de justitiis pecuniariis episcopalis curie, idem dominus rex partem tertiam habere debebat. Judei etiam, in parte episcopi commorantes, ad eum pertinere, sicut et ceteri, dicebantur. Sed et in omnes homines, in parte episcopi habitantes, idem dominus rex sibi et suis successoribus, tam exercitum, quam juramentum fidelitatis, sicut ab aliis ville hominibus, vendicabat; asserens nichilominus, quod, ubi placebat consulibus et consilio servitium aliquod eidem domino regi facere in pecunia, vel pro exercitu, vel causa alia, [i]idem homines partis dicti episcopi cum aliis contribuere tenebantur.

Que omnia ad regem pertinere debere idem episcopus negans, licet ex eis aliqua, prout dixit, per eumdem regem, vel suos, interdum fuerint pro potencia usurpata, dicebat econtra quod, cum ipse sit in toto Montepessulano superior dominus post regem Francie, in parte episcopali plenam habeat senhoriam, multe per dominum regem et suos fiebant eidem injurie in eadem: primo, quia nec furnos, nec portale, nec macellum, nec peissonariam, nec tinctum rubei eum in parte sua facere permittebant; et in criminum cohercione, seu debita animadversione, multociens curiam episcopalem turbaverant, et latas in curia episcopali sententias exequi contempnebant; sextairale eciam, et ferrum, et pondus, et cupas, et leudas de hominibus partis sue sibi, contra justitiam, usurpabant; et in ejusdem prejudicium in Villafranca jurisdictionem exercebant, [quam] ad ipsum dicebat episcopus pertinere.

Addebat eciam idem episcopus, eumdem dominum regem, pro omnibus que habet in Montepessulano, et castro de Palude, sive de Latis, esse vassallum Magalonensis episcopi, et pro hoc fecit et facere tenetur eidem homagium, et fidelitatem jurare; quod tamen facere noluit, post mortem bone memorie domini Johannis, Magalonensis episcopi, domino Rainerio, qui eidem domino Johanni in episcopatu successit; nec domino Petro post ipsum, nec ipsi episcopo, qui nunc est, licet a singulis super hec fuerit requisitus.

Sed et appellationes a bajulo curie Montispessulani inter-

positas, per se vel alium majorem bajulum suum, audit, et interpositas a majori bajulo vel audit, vel audiendas committit : et nec istarum aliquas ad episcopum venire permittit, nec, interpositis appellationibus, ab ipsius domini regis sentenciis ad episcopum vult deferre.

Jus etiam Magalonensibus episcopis competens in electione consulum, et approbatione eorumdem, eis penitus abstulit, propria voluntate.

In quibus omnibus, prout dicit episcopus memoratus, dominus rex injuriatur eidem.

Omnia vero et singula supradicta, usque ad articulum de feudo Montispessulani, dictus dominus rex ad episcopum diffitens pertinere, quod de feudo Montispessulani et castro de Palude, sive de Latis, non negavit. Sed cum hec, que petuntur, bone memorie domino Johanni, pro se et successoribus suis recipienti, fecerit, ad ea renovanda, cum in pactum deductum non fuerit, dicebat se amodo non teneri. Sed et de appellationibus asserebat, se sic eis uti, sicut longo et longissimo tempore fuerat observatum : et ideo, proprio jure utens, nullam injuriam faciebat : et idem per omnia de consulatu dicebat.

Demum, hiis et aliis interlocutis, que ad dictarum questionum evidentiam faciebant, dictus dominus Guido, arbiter, seu arbitrator electus a partibus, ut est dictum, volens hujusmodi querimoniis finem imponere, et pacem inter partes amicabiliter reformare, visis diversis tractatibus, olim habitis inter bonas personas, que mediatorum officio fungebantur, et aliqua cum partibus sigillatim collatione prehabita, mandata sua protulit, in hunc modum :

Nos Guido, Dei gratia olim Aniciencis episcopus, nunc autem Narbonensis electus, suscitatis querelis inter inclitum dominum Jacobum, Dei gratia regem Aragonum, Majoricarum et Valencie, comitem Barchinonis et Urgelli, et dominum Montispessulani, et venerabilem fratrem nostrum Guillelmum, eadem gratia Magalonensem episcopum, finem volentes imponere, ex plenitudine potestatis nobis ab ipsis partibus,

tanquam arbitro vel arbitratori, concesse, cum Aniciensem adhuc regeremus Ecclesiam, partibus nunc in nostra presencia constitutis, mandamenta proferimus infrascripta.

In primis siquidem pronunciamus, dicimus et statuimus, ad Magalonensem episcopum, qui nunc est, et imposterum successores ejusdem, seu eorum curiam, pertinere in parte episcopali apud Montempessulanum, et in suburbiis ejus ad episcopum pertinentibus, plenam jurisdictionem et liberam in omnibus criminalibus causis, quantum ad capcionem reorum et eorumdem custodiam, examinacionem etiam facti et pene diffinicionem; ita tamen, quod, si tale fuerit crimen, ex quo sequi mortem, vel membri mutilacionem oporteat, teneatur curia episcopalis vocare bajulum curie domini regis Montispessulani ad examinacionem totam negocii et diffinicionem ejusdem: qui bajulus, si voluerit, poterit interesse, vel unum ex officialibus suis mittere, loco sui. Si tamen ter requisitus nec veniret, nec mitteret, nichilominus episcopalis curia in examinacione et diffinicione procedat; reum autem condempnatum ad mortem, vel membri abcisionem in episcopali curia, eadem curia episcopalis curie domini regis relinquere teneatur: nec licebit curie regali latam in episcopali sentenciam immutare.

De crimine autem hereseos, cum sit pure ecclesiasticum, dicimus et statuimus, quod sola episcopalis curia, alia non vocata, crimen examinet et diffiniat. Et, si hereticus fuerit simpliciter ut hereticus condempnatus, regali curie relinquatur. Si autem fuerit immurandus, vel pena leviori vel penitentia onerandus, id totum per episcopalem curiam volumus expediri.

Ubi autem ex dictis criminibus, que mortem, vel membri abcisionem irrogant, vel crimine hereseos, bona reorum contigerit confiscari, bona illa, que sub rege inventa fuerint, cedent regi; que vero sub episcopo, ad episcopum pertinebunt. Ad expensas sane heretici immurati dominus rex et episcopus pro rata conferent, si bona heretici in forma jam dicta pervenerint ad utrumque: si vero omnia heretici pervenerint ad alterutrum, ille usque ad valorem in victu pro-

videbit incluso, sicut provideri talibus consuevit. Quod si rex nichil inde habuerit, vel quod habuit jam exhauserit in expensas inclusi, teneatur eidem episcopus providere.

Campum vero, qui dicitur Atbrandi, et insulam quam habet episcopus in Montepessulaneto, eidem episcopo et successoribus ejus adjudicamus, ut scilicet ad eorum jurisdictionem pertineant et dictrictum, tam super dictis campo et insula, quam super parte tercia laudimiorum et justiciarum episcopalis curie, a peticione domini regis eumdem episcopum absolventes; adjudicantes eciam jurisdiccioni et districtui ejusdem episcopi, et successorum suorum, illud quod est a porta Obilionis usque ad domum, que fuit quondam Raimundi Lamberti, mandantes et statuentes, quod preco episcopi per viam illam libere possit exire villam, preconis officium exercendo.

Sane de Judeis, in parte episcopi nunc morantibus, vel in posterum moraturis, invenimus per communes amicos olim fuisse tractatum, et inter eos etiam ordinatum, quod, cum dominus rex Judeis propriis tailliam vellet facere, prius cum episcopo ipse rex, vel locum tenens ipsius, conveniret de summa totali taillie, et posmodum summa illa Judeis utriusque partis, pro modo facultatum, ascriberetur; et de illa parte, que Judeos episcopi tangeret, haberet rex dimidiam, et episcopus aliam, vel de ea disponeret, sicut vellet. Et quia super hec ipse partes inter se convenerunt, et tractatum hujusmodi approbantes, nichil nos in hac parte oportuit diffinire, nisi hoc solum, quod taillia, que Judeis partis episcopalis obvenerit, per episcopi curiam distringatur.

Item volumus et mandamus, quod homines habitantes partem episcopalem, et habitaturi in posterum, jurare teneantur et jurent fidelitatem, cum aliis hominibus ville Montispessulani, heredi, vel heredibus domini regis, dominis tamen Montispessulani, et exercitum faciant domino regi et suis heredibus, Montispessulani dominis, sicut et ceteri de parte regia; et, si, vel pro exercitu, vel causa alia, villa regi, vel alii post ipsum domino Montispessulani, servire voluerit, homines laici partis episcopalis cum aliis contribuere tene-

antur. Clericis autem et personis ecclesiasticis immunitates, quas de juris beneficio obtinent, nullatenus duximus adimendas.

Item volumus et mandamus atque statuimus, quod liceat episcopo in parte sua tres furnos facere, et unum macellum, in quo tamen sint, seu esse possint, septem macellariorum tabule, et non ultra. Liceat etiam eidem episcopo in parte sua, juxta domum suam, murum ville aperire, et ibi portale facere, pro commoditate episcopi et hominum dicte partis, quod portale portis, seris et clavibus instruatur; cujus claves illi custodiant, qui claves consueverint aliorum portalium custodire.

Peissonariam vero, vel tinctum rubeum, dicto episcopo, vel suis successoribus, facere nunquam liceat, sine domini regis, vel heredum suorum, dominorum Montispessulani, consensu.

Sed et ab omnibus, que idem episcopus petebat de sextairali, ferro, pondere, cupis et leudis, et consulatu, eumdem dominum regem absolvimus a petitionibus episcopi supradicti.

Villam etiam Francam domini regis jurisdictioni et districtui adjudicamus,

Item statuimus, volumus et mandamus, quod idem dominus rex protinus eidem episcopo recognoscat se tenere in feudum ab eodem episcopo quicquid habet et habere debet in Montepessulano et castro de Palude, sive de Latis, et quod pro hoc feudo fecit homagium, junctis manibus, et dato osculo, Johanni, olim Magalonensi episcopo, [et] tam ipsi, quam ejus successoribus, episcopis Magalonensibus, propter hoc feudum, fidelitatem juravit. Sed volumus et mandamus, pro domini regis reverencia, quod episcopus, hiis contentus, dum dominus rex vixerit iste, nullum de novo exigat, eo nomine, juramentum; sed nec aliquis ejus successor, post ipsum, ab eodem domino rege novum juramentum requirat, nec ipse facere teneatur: sed quicumque dominus Montispessulani fuerit et castri de Latis, vel alterutrius, pro utroque, si utrumque habuerit, vel pro altero, si alterum tantum habuerit, Magalonensi episcopo, qui pro tempore fuerit, dictam recognicionem, cum homagio simili et fidelitatis juramento, facere teneatur;

et dicta recognicio, cum homagio et juramento fidelitatis, tociens innovetur, quociens dominum mutari contingerit, vel vassallum.

Porro questionem de appellacionibus, ab episcopo motam et antecessoribus suis, per triennium continuum volumus conquiescere; districte mandantes, quod idem episcopus, vel alius successor ejus, dicto domino regi, vel ejus heredibus, infra triennium, in quocumque judicio, predictam non moveant questionem, sed nec post triennium, aliquo tempore imperpetuum, nisi prius furnos, quos interim facient, et macellum similiter funditus diruant, et omni juri renuncient sibi competenti in eis, ex nostri auctoritate mandati, et nisi prius portale, quod de novo mandamus fieri, claudant, si interim factum fuerit, et murum in statu in quo nunc est restituant. Sed hiis factis, liceat eis, si expedire crediderint, post dictum triennium, predictam prosequi questionem, nec usus eorum, que supra partibus adjudicata sunt, tempore scilicet quod labetur ab hac die usque ad tempus quo dicta questio suscitabitur, alterutri parti prosit aut noceat, sed in eo statu sint omnia, in quo nunc esse noscuntur.

Hiis autem salvis, que superius diximus, pacem et finem esse volumus inter partes, mandantes hec omnia per partem utramque in nostra presencia approbari.

Et ut pax melius conservetur, volumus et mandamus, quod latas ab alterutra dictarum [partium] curia sentencias altera, cum requisita fuerit, et ad eam executio pertinuerit, fideliter exequatur, et invicem se juvent curie ad justiciam faciendam.

Retinemus autem nobis ad triennium potestatem addendi et minuendi, et interpretandi obscura, seu dubia declarandi in omnibus et singulis supradictis. Sed et si controversiam aliquis Magalonensis episcopus [in] dicta questione de appellationibus, portali non clauso, et furnis et macello in dicta forma non dirutis, suscitaret, et monitus a rege, vel locum ejus tenente, nollet desistere, liceat regi, vel ejus heredi, domino Montispessulani, sua auctoritate propria, post mensem a die monicionis, omnia predicta facere et implere.

Premissam composicionem, recitationem, et omnia et singula, superius per dictum dominum Guidonem ordinata, statuta, seu etiam recitata, partes predicte, videlicet dictus dominus Guillelmus, Dei gratia Magalonensis episcopus, et dictus dominus Jacobus, eadem [gratia] rex Aragonum et dominus Montispessulani, acceptaverunt, approbaverunt, laudaverunt, et per omnia confirmarunt, et de novo voluerunt et consenserunt, et contulerunt potestatem plenariam premisso domino Guidoni, et per eum retentam eidem confirmarunt, ut infra triennium ab hodie computandum ipse dominus Guido possit et valeat interpretari et etiam declarare, si qua in recitatis et statutis prescriptis inveniantur dubia, vel obscura, et quod de recitatis ei minuere liceat, vel ipsis addere, vel augere.

Item dictus dominus rex, recitatis obtemperans, recognovit dicto domino Guillelmo, Dei gratia Magalonensi episcopo, recipienti pro se et omnibus suis successoribus, Magalonensibus episcopis, se (1) recognovisse dicto domino Johanni, olim Magalonensi episcopo, se tenere ab eodem episcopo, seu ab Ecclesia Magalonensi, in feudum quicquid habet ipse rex, vel habere debet, in Montepessulano et in castro de Palude, sive de Latis, et quod pro hoc feudo fecit homagium, junctis manibus, et dato osculo, dicto domino Johanni, olim episcopo, et, tam ipsi, quam ejus successoribus, episcopis Magalonensibus, propter hoc feudum fidelitatem juravit, tactis a se sanctis Dei evangeliis.

Acta et recitata et laudata a partibus sunt hec omnia suprascripta, apud Montempessulanum, in palatio domini regis, anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo sexagesimo, idibus (2) septembris, in presentia et testimonio Hugonis, comitis Ruthenensis; Raimundi Gaucelmi, domini Lunelli; Bernardi de Sancta Eugenia, Guidonis de Severiaco, Guillelmi de Rochafolio, domini Aries Yvanches, Hugonis de Treisselli, Bernardi Rogerii militum; Petri Bonifacii, bajuli;

---

(1) Cart.: *et se*.
(2) Cart.: *idus*.

Raimundi Marchi, judicis curie Montispessulani; Petri Salvatoris, Johannis Ymberti, Stephani Civada, Bernardi Petri, Poncii de Belloloco, Petri de Galazanicis, consulum Montispessulani; Raimundi de Conchis, Raimundi de Conchis, ejus filii, Simonis Ricardi, Ugonis Fabri, Guillelmi de Crucibolis, Johannis de Casa, Bernardi de Rihoni, Petri de Murlis, Bertrandi Arnaldi, Raynardi de Volio, Guillelmi de Vineis, Guidonis de Capiteporci; P. de Salsas, archidiaconi Narbonensis, magistri Petri archidiaconi Agathensis, Berengarii Fredoli, prepositi Magalonensis; Petri Almeradi, magistri Petri Dorna, archidiaconorum Magalonensium, et quamplurium aliorum proborum; et mei Guillelmi Arnaldi, Montispessulani notarii publici, qui, ultro citroque mandatus, hec scripsi, et signo meo signavi et interlineavi supra lineam que incipit *das committit*, dictionem que dicit *episcopi* et supra lineavi que incipit *millesimo*, dictiones que dicuntur *idus septembris*.

(Reg. E, fol. 117 r°; édité par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 217).

Cette sentence de Gui de Fulcodi est d'une grande importance et mériterait un long commentaire. Nous ne nous y arrêterons pas. Le lecteur trouvera dans le Fascicule XI, aussitôt après l'échange de Montpelliéret contre la baronnie de Sauve, un commentaire composé, probablement, par l'évêque lui-même.

DCL. — 25 juin 1261

Reconnaissance faite à l'évêque du mas de Ranat par Guillaume Bruguière.

Noverint universi... quod ego Guillaudus de Brugueria de Sancta Cruce... recognosco vobis domino Guillelmo Christofori, Dei gratia episcopo Magalonensi, comiti et domino Melgorii et Montisferrandi, quod ego habeo et teneo a vobis et vestris successoribus, et tenere debeo, illique, a quibus causam habui, habuerunt et tenuerunt in feudum honoratum, mansum videlicet de Ranat, cum suis omnibus juribus et pertinenciis

suis, usaticis, censibus, laudimiis, consiliis, accapitis, seu accapitorum dacionibus, terris, possessionibus, et aliis diversis corporalibus et incorporalibus ad dictum mansum pertinentibus quoquo modo.

Mansus vero predictus est in parrochia Sancte Crucis de Quintillanicis, Magalonensis diocesis, et ejus possessiones et terre sunt diversis locis: propter quod non potest insimul confrontari. Est tamen sciendum quod ille vel illi, a quibus eam habui, et mei predecessores habuerunt, et ego habeo jus et potestatem in feudo et de feudo predicto dandi in accapitum, sine vestro consilio et laudimio, ac vestra tamen retencione propria usatici sive census; laudimia, venditiones et alios contractus, qui et que exinde fierent, laudimia recipiendi, vel ratione dominii pro oblato precio honorem seu feudum venditum retinendi; usatica etiam sive census petendi et recipiendi; et alia eciam faciendi, que in feudo et de feudo tali solent fieri seu debent, et exerceri; salvo semper et retento dominio vestro, consilio et laudimio in hiis et super hiis, que sine retencione aliqua alienarentur a me vel a meis in feudo de feudo predicto; et salvis eciam aliis que vobis et vestris successoribus noscuntur, racione majoris dominii, pertinere.

Pro feudo autem hujusmodi, ego dictus Guillaudus et mei, qui dictum feudum tenebunt, sunt et erunt vestri et vestrorum successorum, quantum ad dictum feudum, subditi et fideles, et fidelitatem jurare debeo, et ipsi debebunt. Et ego de presenti, flexis genibus, juro vobis et vestris successoribus, super hec sancta quatuor evangelia a me tacta, fidelitatem, vitam et membra, et ea omnia que in sacramento fidelitatis continentur.

Insuper eciam vobis et vestris teneor et debeo, et mei debebunt et tenebuntur, dictum feudum tenentes, facere pro ipso feudo albergam duobus militibus, cum fuero requisitus et non aliter, annuatim.

Et nos Guillelmus, divina miseratione Magalonensis episcopus, comes et dominus Melgorii et Montisferrandi, scientes predicta omnia esse vera, sicut superius est expressum, per

nos et nostros successores laudamus, et ex certa sciencia confirmamus tibi, dicto Guiraldo de Brugeria, et tuis, predictum mansum de Ranat, cum omnibus juribus, usaticis, censibus, laudimiis, accapitis, terris, possessionibus, et aliis ad ipsum mansum pertinentibus quoquo modo, prout superius continetur; scientes pro certo, tam per relacionem judicum nostrorum quam eciam aliorum, erga dominum castri Montisferrandi te et tuos fideliter habuisse, et illum, vel illos a quibus mansum emisti predictum, qui nobis erant et sunt noti et propinqui, habuisse et tenuisse dictum mansum in feudum honoratum, sicut superius scriptum est et expressum.

Acta fuerunt hec apud Montempessulanum, anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo sexagesimo, scilicet septimo kalendas julii, in presencia et testimonio Egidii de Sancto Gervasio militis, castellani dicti castri, Laurencii de Fisco, Petri Baudilii rectoris ecclesie Sancti Mathei de Montepessulano, et mei Johannis Brunenc, dicti domini episcopi in sua diocesi et comitatu Melgorii et Montisferrandi publici notarii, qui mandatus hec scripsi et signavi.

(Reg. E, fol. 230 v, et reg. C, fol. 127 v ; édité par Germain, dans *Arnaud de Verdale*, p. 278).

DCLI. — 30 novembre 1261

Accord entre l'évêque de Maguelone, le roi d'Aragon et les consuls de Montpellier au sujet de la monnaie de Melgueil.

Nos Willelmus, Dei gratia Magalonensis episcopus, Melgorii et Montisferrandi comes, pervento dudum et sepius ad aures nostras, quod eciam nostris sepe predecessoribus, sicud novimus, extitit intimatum, quod mercature negociatio, sive ipsa mercatura, que pro aliis citra mare locis in Montepessulano viguisse longis retro temporibus, ac vigere nunc precipue undique predicatur, periclitari dicitur, et timetur, propter

solum peccunie sive monete deffectum, et maxime melgoriensium, qui in Montepessulano curribiles ex pacto et usu antiquissimo fuerunt et sunt, et semper ibidem curribiles esse debent; nec ipsa moneta melgoriensis, que quasi penitus defecit ad legem et pondus antiquum et consuetum, propter argenti caristiam, comode potest nec potuit operari; et tam predecessores nostri quam nos longis expectavimus temporibus, quod argentum ad forum tale descenderet via et tempore aliquo, quod dicta melgoriensis moneta valeret ad legem et pondus antiquum et consuetum comode operari, nec accidit;

Instantibus tam illustri domino Jacobo, Dei gratia rege Aragonum, quam consulibus et aliis quam plurimis burgensibus et probis hominibus Montispessulani, nobis ostendentibus liquido universis mercatoribus extraneis, et habitatoribus in Montepessulano, et locis circumstantibus, gravamen induci maximum, et dampnum evidens et irreparabile provenire ex deffectu hujusmodi peccunie: adeo quod propter deffectum ipsa mercatura, que parare mundo universo dicitur alimenta, in terra ista Montispessulani, in brevi omnino tempore, deperiret, nisi ad ipsius mercature sustentationem aliquod expediens remedium poneretur;

Longa deliberatione, et diligenti ac maturo consilio et tractatu habito cum illustri rege Aragonum et consulibus supradictis, necnon cum pluribus probis et sapientibus viris, clericis et laycis, qui prescriptorum expertam periciam habere noscuntur; de consilio et voluntate dictorum regis et consulum, ut tam magno imminenti mercature periculo obvietur:

Volumus et concedimus quod moneta melgoriensis, scilicet tam denarii quam oboli, cudantur et fiant apud Melgorium ad legem penitus consuetam, que scilicet est IIII^or denariorum argenti fini in solido denariorum, et trium in solido obolorum, ad pondus tamen viginti solidorum quelibet marcha, marcha scilicet Montispessulani.

Dictam monetam, propter eminentem utilitatem, fieri et operari apud Melgorium, ut dictum est, concedimus et mandamus, statuentes et mandantes quod ubique sic indifferenter currant et recipiantur, sicud hactenus per omnia alii melgo-

rienses retro facti temporibus currere et recepi consueverunt, non obstante in aliquo quod ad pondus tantum facti fuerint supradictum.

Et, si conventiones alique seu pacta inter aliquos, nostre vel dicti regis jurisdictioni subjectos, facta sunt seu inhita, ut scilicet, si moneta Melgorii deterioraretur, debeat dari seu solvi pro singulis quinquaginta solidis una marcha argenti fini, factis de hujusmodi pactionibus instrumentis, vel non, nolumus quod aliqua persona possit compelli ad dandum argentum; sed solvendo pecuniam, scilicet melgorienses jam factos vel nunc ex hac nostra concessione faciendos, sit a prestatione argenti, non obstante quod argentum, ut diximus, dare vel solvere promiserit, penitus liberatus.

Promittimus firmiter adhuc (1) atque convenimus, per nos et per successores nostros, futuros Magalonenses episcopos et comites Melgorii et Montisferrandi, vobis, regi illustri Aragonum, et consulibus supradictis, quod nullam aliam monetam per nos vel alios aliquo modo faciemus, vel fieri, seu fabricari sive operari faciemus, vel sustinebimus in aliquo loco dictorum comitatuum Melgorii et Montisferrandi, vel episcopatus Magalonensis, preterquam melgorienses retro temporibus facti, seu faciendi ex hac nostra concessione, deteriorari vel ledi in aliquo viderentur;

Volentes et concedentes ac mandantes quod de melgoriensibus hujusmodi, tam denariis quam obolis legis dicte consuete, ponderis tantum supradicti, cudantur et fiant usque ad centum millia librarum tantum, nisi forte nos et dicti rex illustris et consules unanimiter, utilitate communi ac necessitate pensata, conveniremus de pluribus faciendis.

Et, ut hec moneta commodius ad pondus predictum valeat operari, nos jus nostrum, quod in ipsa moneta percipimus, et debemus percipere et habere, quamdiu ad dictum pondus operabitur, remittimus et donamus, exceptis tantum duobus denariis, quos pro singulis libris denariorum, seu viginti solidis, nobis prestandis, quamdiu ad modum predictum

---

1 Cart.: *ad hec*.

operabitur, retinemus, deductis videlicet prius et detractis de singulis marchis denariorum duobus solidis pro [operagio] et magistragio et aliis sumptibus pro operanda dicta moneta, sicud consuetum est, faciendis.

Hec autem supradicta volumus et concedimus ac valere statuimus omnia, salvis per omnia reservatis et retentis pactionibus et conventionibus omnibus inhitis et incartatis super dicta moneta melgoriensium, et omnibus ad ipsam monetam spectantibus quoquomodo, inter predecessores nostros, Melgorii et Montisferrandi comites, seu episcopos Magalonenses, et predecessores dicti illustris regis Aragonum, Montispessulani dominos, et etiam ipsum regem.

Predicta omnia et singula fideliter tenere, et inviolabiliter observare, et nunquam obviare in aliquo, per nos et successores nostros, futuros Magalonenses episcopos, Melgorii et Montisferrandi comites, promittimus bona fide. Et, ut hec firmius observentur et forcius teneantur (1), ea omnia in animam nostram jurari corporaliter, super sancta Dei evangelia, a dilecto nepote nostro Baudilio, priore Sancti Mathei, precipimus et mandamus.

Et ego predictus Baudilius, [prior] Sancti Mathei, quod dictus dominus episcopus et comes omnia suprascripta et singula firmiter et fideliter teneat et observet, et observari faciat et teneri, de voluntate et mandato speciali ejusdem, in animam ipsius domini episcopi promitto, tactis corporaliter sacrosanctis Dei evangeliis, atque juro.

Acta et laudata sunt hec in Montepessulano, in domo dicti domini episcopi, pridie kalendas decembris, anno Dominice Incarnationis M° II° sexagesimo primo, in presentia et testimonio Petri Almera[di], archidiaconi Magalonensis, Raymundi Marchi, jurisperiti, Willelmi de Crozolis, Egidii Johannis, et domini Raimundi Gaucelmi, domini Lunelli, missi a dicto domino rege, et Bertrandi Arnaldi, publici Montispesssulani notarii, qui, mandato dicti domini episcopi, hec scripsit.

(1) Cart.: *timeantur*.

Ad hec, et nos Jacobus, Dei gratia rex Aragonum, Majoricarum et Valentie, comes Barchinone et Urgelli, et dominus Montispessulani, plenam de suprascriptis habentes certitudinem, et per hoc cognoscentes valde expediens ac utile fore toti terre Montispessulani, et aliis etiam terris circumstantibus, volentes, sicud et tenemur super premissis, indempnitati ejusdem terre Montispessulani laudabiliter consulere, habito consilio cum consulibus et pluribus aliis [probis] hominibus Montispessulani, et ad ipsorum consulum instantiam, longa etiam deliberatione et maturo consilio habito cum supradicto episcopo et cum aliis pluribus sapientibus viris, huic prescripte concessioni ab ipso episcopo, de voluntate et consilio nostro facte (1), de facienda scilicet dicta melgoriensi moneta, sicud supra expressum est, et aliis omnibus suprascriptis nostrum liberaliter prestamus assensum ; et ipsam et omnia suprascripta laudamus et approbamus ;

Remittentes, ad instar dicti episcopi, et donantes jus quod in ipsa moneta percipimus, et habere et percipere debemus, exceptis aliis duobus denariis, quos in singulis libris denariorum simili modo retinemus, quamdiu videlicet ipsa moneta, denarii scilicet et oboli, cudentur et fient ad legem et pondus supra expressum, et ad usum seu modum fieri seu faciendi consuetum ; et usque ad summam tantum predictam centum millia librarum ;

Promittentes vobis episcopo et consulibus supradictis, per nos et per successores nostros, futuros Montispessulani [dominos], quod nullam aliam monetam, per nos vel per alios, aliquo modo in Montepessulano vel loco aliquo dominationis ejusdem faciemus vel fieri seu contrafieri faciemus, vel sustinebimus, preterquam melgorienses retro temporibus facti, vel ex premissis concessionibus faciendi, deteriorari possint in aliquo sive ledi.

Que omnia et singula tenere fideliter et inviolabiliter observare, et nunquam in aliquo obviare, nos, dictus rex Arago-

---

(1) Cart.: *facere.*

num, Montispessulani dominus, bona fide promittimus; et, ut fortius teneantur et firmius observentur, ea omnia in animam nostram jurari corporaliter, super sanctis Dei evangeliis, a dilecto nostro Raimundo Gaucelmi, domino Lunelli, precipimus et mandamus.

Et nos prescriptus Raimundus Gaucelmi, dominus Lunelli, quod dictus dominus rex Aragonum, Montispessulani dominus, omnia suprascripta firmiter et fideliter teneat, et observet, et observari faciat et teneri de voluntate et mandato ejusdem, in animam ipsius domini regis promitto, tactis corporaliter sacrosanctis Dei evangeliis, atque juro.

Acta et laudata sunt hec a dicto domino rege in Montepessulano, in suo palatio, anno videlicet et die suprascriptis, in presentia et testimonio Raymundi Marchi jurisperiti, Willelmi de Crosolis, Egidii Johannis, Johannis de Rippa, Baudilii prioris Sancti Mathei, et Petri Almera[di] archidiaconi Magalonensis, missi a dicto domino episcopo, et dicti Bernardi Arnaldi notarii, qui, mandato dicti domini regis illustris, hec scripsit et hic opposuit signum suum.

Ad hec, nos, consules Montispessulani, videlicet Guillelmus de Crosolis, Johannis de Casis, Egidius Johannes, Guiraudus Symonis, Martinus de Arsatio, Guillelmus de Trolio, Johannes Fabri, Petrus Seguini, Bernardus Ugo (1), Johannes Adelguerii, Johannes Amantii et Stephanus Fumati, scientes et recognoscentes prescripta omnia et singula, de voluntate et consilio nostro ordinata esse, statuta et facta, ea omnia laudamus et approbamus, usque ad summam prescriptam, et quamdiu ipsa moneta fiet ad modum seu operabitur antedictum; et salvo et reservato nobis et consulatui Montispessulani in qualibet libra denariorum uno denario, totum quod in ea habemus, residuum remittentes,

Actum et laudatum a consulibus, anno eodem quo supra, idus decembris, in presentia et testimonio Johannis de Rippa,

(1) Cart.: *Yguo*.

Johannis Ruffi, Johannis Scriptoris, Petri Fornerii scriptoris, et aliorum, et dicti Bernardi Arnaldi notarii, qui hec scripsit.

(Reg. D, fol. 276 r°; édité par Germain dans *Mém. sur les anciennes monnaies de Melgueil*, p. 106).

DCLII. — 27 novembre 1262

Reconnaissance faite par Raimond Pierre, de Ganges, à Henri, comte de Rodez.

In nomine Domini. Anno Incarnacionis ejusdem millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, et quinto kalendas decembris, noscant presentes pariter et futuri quod nos Raimundus Petri, dominus Agantici, pro nobis et successoribus nostris, prestito prius a nobis sacramento de veritate dicenda, scimus et in veritate recognoscimus vobis domino Haenrico, filio (1) domini Hugonis, Dei gratia comitis Ruthenensis, et domine Hysabelle, filie quondam nobilis viri domini Raimundi de Rocafolio, stipulanti et recipienti pro vobis et successoribus vestris, nos tenere et tenere debere, ratione baronie de Rocafolio, a vobis et successoribus vestris, in feudum francum et honoratum, et successores nostros tenere debere, scilicet cameram et locum, in quo solet esse turris sive castrum infra villam Agantici;

Que camera sive locus confrontatur ex una parte cum aula hospicii nostri in quo moramur, et ex alia parte cum camera magna dicti hospicii, et ex alia cum viridario nostro, quodam casali in medio, et ex alia parte cum via publica qua itur a domo helemosine versus furnum.

Item murum dicte ville, scilicet a domo Petri Guirardi usque ad Gordonariam, et de Gordonaria usque ad portale de Furno, et de dicto portali usque ad portale de Barreria, quod alio

(1) Cart.: *filius*.

nomine vocatur de *la Roca*, et ab illo portali usque ad domum Poncii *Redier*, que quondam fuit Durancii *d'en Doas Egas*: et municiones et fortalicias, que in dicto muro sunt constructe, et inposterum construentur, scilicet a domo dicti Petri Guirardi usque ad domum dicti Poncii *Redier*: et dicta duo portalia et claves eorum, cum forciis et municionibus que ibi sunt et in futurum erunt, sicud oculus ad oculum demonstravimus, et successores nostri demonstrabunt cum continget recognicionem fieri ab eisdem.

Item scimus et recognoscimus quod nos et successores nostri, pro predicto feudo et in signum perfecte recognicionis, debemus et tenemur vobis, domino Henrico, et successoribus vestris, reddere claves portalium predictorum, et murum et fortalicias supradictas, et recognicionem facere de predictis, mutante domino hinc et inde, ad requisicionem et comonicionem vestram et vestrorum, infra quatuordecim dies a predicta comonicione computandos; ita tamen quod vos et vestri teneamini nobis et successoribus nostris reddere et restituere, sine difficultate et decepcione, omnia et singula supradicta.

Et scimus et recognoscimus quod nos et successores nostri sumus, et esse debemus, fideles et legitimi vassalli pro predicto feudo vobis et successoribus vestris; et nos, pro nobis et successoribus nostris, fidelitatem, pro predicto feudo, vobis et vestris, bona fide, promittimus et plevimus; et, cum plura sciverimus, per nos seu per alium, nos tenere et tenere debere a vobis, domino Henrico, illa significabimus et vobis fideliter cognoscemus.

Ad hec nos Haenricus, filius dicti domini comitis Ruthenensis, pro nobis et successoribus nostris, predictam recognicionem recipientes, et gratanter acceptantes, et credentes, et stantes dicto sacramento a vobis, Raimundo Petri, facto, contenti predictam recognicionem, sub forma et modo superius nominatis, cognoscatis nobis et successoribus nostris, laudamus, et concedimus et confirmamus vobis, Raimundo Petri, et successoribus vestris predictum feudum et omnia et singula supradicta; promittentes, bona fide, per stipulacionem, quod,

nunc et infuturum, cum continget fieri recognicionem nobis vel successoribus nostris de predictis, sub forma superius contenta, nos et successores nostri reddemus et restituemus, sine difficultate aliqua et decepcione, vobis et vestris, omnia et singula supradicta, ad commonicionem et requisicionem vestram et vestrorum; et promittimus et bona fide plevimus vobis, Raimundo Petri, stipulanti pro vobis et vestris, quod nos et successores nostri erimus legitimi domini et fideles, pro predicto feudo, vobis et successoribus vestris. Et hoc idem nos et successores nostri, vobis et successoribus vestris, bona fide plevita, quocienscumque contigerit fieri recognicionem de predictis, mutante domino hinc vel inde, ut superius continetur, facere et promittere teneamur.

Que omnia et singula supra scripta facimus de auctoritate et mandato dicti domini comitis, patris nostri, sicud patet per instrumentum publicum sigillo suo apposito in eodem; cujus tenor talis est:

Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod nos Hugo, Dei gratia comes Ruthenensis, donamus et concedimus auctoritatem et plenam et liberam potestatem Haenrico, filio nostro, administrandi, et gubernandi terram ejusdem Haenrici ex parte matris sue, in baronia de Rocafolio et in tota terra que fuit quondam domini Raimundi de Rocafolio, avi sui, cum pertinenciis ejusdem, tanquam in suis propriis rebus;

Et specialiter damus et concedimus eidem plenam et liberam potestatem comparendi, transigendi cum nobilibus viris Raimundo Petri de Agantico et Raimundo de *Mandagot*, et aliis quibuscumque hominibus Rocafolii, de omnibus controversiis, rancuris, questionibus, seu demandis que sunt et esse possunt inter nos et dictum Haenricum, ratione dicte terre, ex una parte, et predictos nobiles et alios de terra Rocafolii ex altera.

Damus eciam eidem Haenrico plenam et liberam potestatem contraendi in dicta terra, et supra ipsa negociandi, prout legitimus dominus potest facere de re sua, usufructu quod pater habere debet in rebus adventiciis filii non obstante, salvo

quod res nostre alie non existant, propter predicta, aliquatenus obligate.

Et promittimus quod omnia predicta rata habebimus perpetuo atque firma, et que fient per eundem Haenricum cum predictis et aliis quibuscumque de terra Rocafolii; et quod nunquam contra predicta aliquo tempore veniemus. Quicquam enim ipse fecerit ratione vel occasione predictorum, eciam si tangeret vel pertineret ad mixtum vel merum imperium, vel ad alia, promittimus nos servaturos, et contra non venturos, aliqua occasione vel causa; et eundem ad omnia predicta facienda et ordinanda, si opus videretur, et ad alia quecumque in predicta terra, si sibi viderentur facienda, procuratorem constituimus et ordinamus, et eidem tamquam legitimus ministrator consentimus; et exercicium accionum et defensionum sibi concedimus, prout melius valere potest; et donamus etiam quod idem Haenricus, de omnibus que faciet vel administrabit, vel ordinabit, possit concedere publica instrumenta; et nos que ipse concedet, rata habendo, tenore presencium concedimus, et eciam confirmamus. In quorum omnium testimonium, presentes litteras sigillo nostro fecimus comuniri.

Actum apud *Agen*, die jovis, in festo sancti Clementis, anno Domini millesimo ducentesimo LXII, vocatis ad hoc testibus et rogatis Dalmacio de *Vezin* milite, Deodato Germani, Raimundo Berengarii de Bertholena, Gitberto Alamanni presbitero, Petro Giusre, Geraldo de *Vallan* domicellis, et me G. Azemarii, publico notario in comitatu et in tota terra domini comitis Ruthenensis, qui vocatus et rogatus hiis interfui, et de mandato comitis predicti hec scripsi et signum meum apposui.

Promittentes nos dictus Haenricus, bona fide plevita, nos non venientes vel facturos, per nos vel per alium, aliquid contra predicta vel aliquod predictorum, et ea in omnibus et per omnia, ut dicta sunt, servaturos et facturos, et curaturos quod dominus comes, pater noster predictus, omnia et singula suprascripta rata habebit et inviolabiliter observabit; et renunciamus, bona fide plevita, beneficio minoris etatis.

recognoscentes nos esse etatis XVIII annorum; et generaliter omni alii juri... et accionibus competentibus vel competituris, per que vel per quas possemus venire contra predicta, vel aliquod predictorum, vel in aliquo nos tueri: salvo nobis et retento quod superius est expressum.

Hec acta fuere Aganticí, in tabulis fori, post nonam, in presencia et testimonio domini Raimundi de Mandagoto, domini Bernardi de Barre, Petri Gaucelmi de Follaquerio, Guillelmi Frotardi de Creisselo, Guillelmi Rostagni, domini Guillelmi de Rocafolio, Elsiars de *Rocadu*, domini Guillemi Guersii de Castro novo, domini Petri de Claromonte, Petri de Ruppe, domini Berengarii de *Soheiras* et Berengarii de Fara, et Bernardi de Sancto Juliano militum; Raimundi de Barre, Berengarii de Fara, Petri Gervasii de Follaquerio, Leoneti de Monte ferrario, Petri Peleti de Alesto, Berengarii de Roveria, Poncii Bremundi, Petri de Roca domicellorum; Bernardi Case, Rainaldi de Mairosio, Guillelmi Pellicerii de Aniana, jurisperitum; Ricardi de Ruthena, Petri Auricule, Raimundi Bragosa, Guillelmi de Fontanias, Petri de Fontanias, Florii Salade, Bernardi Mafredi de Agantico, Petri de Castlono, Johannis Cottani, Poncii de Brancacio notariorum, et plurium aliorum, et mei Hugonis de Taissoneriis, notarii publici in dicta baronia de Rocafolio, qui predictis omnibus vocatus interfui, et, mandato predictorum dominorum Raimundi Petri et Haenrici, hec omnia scripsi, et inde feci utrique ipsorum publicum instrumentum signo meo signatum.

(Reg. A, fol. 267 v° et 303 v°.)

DCLIII. — 27 novembre 1262

Rémission faite par Henri, comte de Rodez, à Raimond Pierre, de Ganges, de tout ce que ce dernier pouvait lui devoir.

In nomine Domini. Anno Incarnacionis ejusdem millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, et quinto kalendas decembris, noscant omnes presentes pariter et futuri, quod nos

Haenricus, filius domini Hugonis comitis Ruthenensis, et domine Ysabelle, quondam uxoris ejus, recognoscentes nos esse majorem XVIII annis, pro nobis et successoribus nostris, ... donamus... vobis Raimundo Petri, domino Agantici, stipulanti pro vobis et vestris, omnem commissionem et omne *forfag e tota maltenguda*, quam et quod nos et nostri possumus, vel alius pro nobis, petere vel exigere a vobis et vestris usque in hodiernum diem, ratione et occasione feudi, quod a nobis tenetis, et tenere debetis, et tenere debuistis, vos et antecessores vestri, a nobis et antecessoribus nostris, et quod nobis recognovistis hodie vos tenere a nobis in villa Agantici, sicud in instrumento, inde facto per Hugonem de Taissoneriis et Poncium de Brancacio notarios, plenius continetur;

Et omnem actionem et peticionem, que nobis usque in hodiernum diem competeret, vel competere posset, ratione predictorum, vel alicujus de predictis; facientes vobis et vestris pactum perpetuum et reale de ulterius non petendo.

Promittentes, per nos et nostros, per stipulacionem, bona fide, vobis, Raimundo Petri, et vestris, nos predicta omnia et singula tenere, et servare et nunquam in aliquo contraire; et promittimus eciam quod omnia et singula suprascripta specialiter confirmabimus, laudabimus, et ratificabimus cum ad legitimam etatem XXV annorum pervenerimus, et cum facti fuerimus nostri juris; et quod tunc, facta confirmacione et ratificatione predictorum, simus ab infrascripto juramento absoluti et penitus liberati. Et volumus et mandamus quod vos, Guillelme Rostagni miles, ad majorem firmitatem et cautelam omnium predictorum, juretis in anima nostra, quod nos contra predicta vel aliquid predictorum nunquam veniamus, nec aliquod faciamus, nec alium venire vel facere paciamur; renunciantes beneficio minoris etatis et omni juri... et accionibus competentibus vel competituris, per que possemus venire contra predicta vel aliquod predictorum, vel in aliquo nos tueri.

Et ego, Guillelmus Rostagni miles, mandatus a vobis, domino Haenrico, ad hec sacrosancta Dei evangelia juro in

anima vestra quod vos, domine Haenrice, omnia predicta et singula servabitis et nunquam contra per vos vel alium in aliquo venietis, vel veniri ab aliquo permittetis.

Hec acta fuere Agantici, in tabulis fori, post nonam, in presencia et testimonio domini Raimundi de Mandagoto, *etc.* (*mêmes témoins qu'à l'acte précédent*) *jusqu'à la fin.*

(Reg. A, fol. 266 r°, et reg. C, fol. 202 v°).

DCLIV. — 27 novembre 1262

Raimond Pierre, de Ganges, se reconnaît vassal et chevalier de Henri, comte de Rodez.

In nomine Domini. Anno Incarnacionis ejusdem millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, et quinto kalendas decembris, noscant omnes presentes pariter et futuri, quod cum nos Raimundus Petri, dominus ville Agantici, Magalonensis diocesis, a vobis domino Haenrico, filio domino Hugonis, Dei gratia comitis Ruthenensis, et domine Ysabelle, filie quondam domini Raimundi de Rocafolio, avi vestri, instanter rogati fuerimus, quod nos et nostri successores, domini dicte ville, simus milites vestri et domini patris vestri, et arma a vobis et successoribus vestris, et dicto domino patre vestro, dominis sive comitibus Ruthenensibus, habeamus et recipiamus perpetuo; idcirco nos, Raimundus Petri predictus, ob amorem et gratiam vestram et vestrorum perpetuo obtinendam, et inter nos et vos et successores nostros firmiter observandam, promittimus vobis, eidem domino Haenrico, pro vobis, et dicto patre vestro et vestris successoribus stipulanti, nos et nostros successores, dominos dicte ville, esse milites vestri et successorum vestrorum, et accepturos, recepturos et habituros (1) arma sive adobamentum milicie (2) a vobis et dicto domino patre vestro, et vestris imperpetuum successoribus

---

(1) Cart.: *habitura.*

(2) Cart.: *miliciem.*

predictis, quando ad honorem milicie contigerit nos venturos;

Et incontinenti nos dictus Raimundus Petri filium nostrum, Raimundum Petri, corporaliter in manibus vestris tradimus ad predicta omnia exequenda et recipienda, cum locus et tempus pro ipso filio nostro et vobis se obtulerit exequendi.

Et ego predictus Raimundus Petri, filius, de mandato et voluntate expressa dicti domini Raimundi, patris mei, ipso presente et consenciente, promitto vobis dicto domino Haenrico, stipulanti et recipienti pro vobis et successoribus vestris, me et meos in posterum successores, dominos dicte ville Agantici, accepturos et recepturos arma et adops milicie a vobis et a vestris successoribus, dominis sive comitibus Ruthenensibus, cum ad honorem seu adobamentum milicie voluerimus pervenire.

Et nos, Haenricus predictus, predicta omnia gratanter recipientes, promittimus vobis Raimundo Petri, patri et filio predictis, predictos adops honorifice nos facturos, sicut nostra et vestra nobilitas exigit et requirit.

Hec acta fuere Agantici, in tabulis fori, post nonam, presentibus testibus Raimundo de Mandagoto, Guillelmo de Rocafolio, Bernardo de Barre, Guillelmo Frotardi, Petro Gaucelmi, Berengario de Fara militibus et pluribus aliis, et me Hugone de Taissoneriis, notario publico in baronia de Rocafolio pro dicto domino comite, qui predictis vocatus interfui, et mandato predictorum dominorum Haenrici, et Raimundi Petri et filii sui hec scripsi, et inde feci utrique parti publicum instrumentum signo meo signatum.

(Reg. A, fol. 267 r°, et reg. C, fol. 203 r°).

DCLV. — 30 novembre 1262

Henri, comte de Rodez, rend à Raimond Pierre de Ganges les clefs de la Ville.

In nomine Domini. Anno Incarnacionis ejusdem millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, et ultimo kalendas decembris, sit notum cunctis presentibus et futuris, quod, cum

dominus Raimundus Petri fecisset recognicionem domino Haenrico, filio domini comitis Ruthenensis, de feudo quod ab eo tenet, et tradidisset ei claves duorum portalium juxta formam dicte recognicionis, ut in instrumento, inde confecto per me notarium infrascriptum, plenius continetur, idem dominus Haenricus restituit eidem domino Raimundo Petri, ut vassallo dominus, claves predictas portalium predictorum, et omnia et singula sibi recognita, et ad feudum predictum pertinencia, salvo sibi ut domino in omnibus jure suo.

Hec acta fuere Agantici, post vesperas, in domo quondam Bernardi de Buxo, in presencia et testimonio domini Guillelmi de Rocafolio, domini Bernardi de Barre, domini Petri de Claromonte, Berengarii de Fara, Guillelmi Frotardi, Guillelmi Rostagni, Petri Gaucelmi militum, et plurium aliorum, et mei Hugonis de Taissoneriis, notarii publici in baronia de Rocafolio pro dicto domino comite, qui predictis interfui vocatus, et, mandato predictorum dominorum Haenrici et Raimundi Petri, hec scripsi, et inde feci utrique ipsorum publicum instrumentum signo meo signatum.

(Reg. A, fol. 267 v°, et reg. C, fol. 203 v°).

APPENDICE AU TOME II

21 décembre 1247

Érection de la vestiarié de Maguelone en bénéfice indépendant (1).

In nomine Sancte et Individue Trinitatis... Quia sicut natura cotidie properat edere novas formas, quarum occasione crebra et nova jura conduntur, et vetera reformantur, sic rerum experiencia et evidens utilitas, que in rebus novis constituendis semper est attendenda, frequenter propulsat animos hominum et impellit nova statuere, et jam statuta in melius commutare;

Hinc est quod, licet olim visum fuerit expediens et honestum, prioratum Sancti Firmini facere opulentum, et ei vestiarium et quedam alia beneficia, ad capitulum Magalone pertinencia, addere et unire : tamen, quia de illa unione et opulencia experimento probatum est et compertum in Ecclesia Magalonensi orta esse plura scandala, et plures scissuras et invidias introductas;

Et quia vestiarium non ministrabatur canonicis ut deceret;

Et quia indignum est et indecens esse videtur, ut unus solus teneat plura beneficia, quibus plures alii boni viri possint commode honorari, qui sciant et valeant intus et extra Magalonensis Ecclesie onera supportare;

Idcirco nos frater Raynerius, Dei miseratione episcopus, et Bernardus de Muroveteri, prepositus Magalonensis, cum expresso consilio et assensu totius capituli Magalonensis, ad diem statutam more solito solemniter congregati, pensatis predictis rationibus, et pluribus aliis circumstantiis diligentissime circumspectis, predicti vestiarii et aliorum beneficiorum predictorum uniones incommutabiliter revocamus, et

(1) Cet acte ne se trouve pas dans le *Cartulaire de Maguelone*, mais, vu son importance, nous avons cru devoir l'insérer.

tam de prioratu Sancti Firmini, quam de vestiario, quam de aliis beneffíciis, ad dictum prioratum olim unitis, decernimus, statuimus et ordinamus, ad honorem Dei et beati Petri apostoli, patroni nostri, et tocius Magalonensis Ecclesie utilitatem, ut in sequentibus declaratur.

In primis statuimus et ordinamus, quod vestiarium Magalonense sit beneffícium per se, a preposito, ut alia beneffícia ad capitulum spectancia, ordinandum, et ille qui ad hoc institutus fuerit, Magalonensis vestiarius appelletur: cui vestiario inperpetuum damus, concedimus et assignamus ecclesiam Sancti Gervasii de Juviniaco cum cappella sua de Aussanicis, et ecclesiam Sancti Juliani de Grabellis, cum omnibus parrochiis, decimis, primiciis, usaticis, dominationibus ac feudis infra parrochias predictas, que omnia et singula quocumque modo prior seu prioratus Sancti Firmini in dictis parrochiis et terminis percipere consuevit; et mansum de Vallemalhanica cum omnibus juribus suis et pertinentiis; sinodos et paratas, quas consuevit prior Sancti Firmini percipere de archidiaconatu Magalone; adhuc etiam domum seu cellarium quod est inter domum canonie Sancti Firmini et cellarium prepositi: ita quod deinceps dictus vestiarius teneatur induere omnes canonicos et conversos Magalone, exceptis prioribus; priores autem teneantur dare singulis annis eidem vestiario, pro singulis canonicis quos induere consueverant, quadraginta solidos melgorienses, quorum medietatem solvere teneantur eidem in synodo Sancti Luce, et aliam medietatem in synodo Pascali; ita quod si quis negligens vel morosus inventus fuerit in predictis solutionibus faciendis, quin eas predictis terminis fecerit, infra octo dies teneatur redire ad claustrum ibidem, sine relaxatione alicujus tamdiu moraturus, quousque eidem vestiario sit plenarie satisfactum; et quod pro qualibet septimana, que in mora solutionis fuerit, teneatur solvere priori claustrali decem solidos melgorienses pro pitancia facienda in conventu; ita quod per aliquem de istis decem solidis non possit fieri remissio non solventi, et quod alias in claustro, secundum indulgencias et privilegia, ad arbitrium prepositi puniatur.

Statuimus eciam quod valde indecens est, quod illi qui, de licencia sui majoris, sunt in scolis, vestiario priventur; quod deinceps dictus vestiarius induat omnes canonicos qui ad studium iverint, de licencia domini episcopi et prepositi, solummodo habitum defferant ibidem comorando; aliter vero non teneatur eis in aliquo providere.

Item statuendo et ordinando unimus ad invicem ecclesiam Sancti Firmini et de Pruneto, et de Vedacio, et de Sauzeto, cum eam vacare contingerit, cum suis parrochiis; ita quod sit amodo unus prioratus, ecclesiis Beate Marie et Sancti Thome dumtaxat exceptis.

Volumus eciam quod prior teneatur ibidem consuetum canonicorum numerum secum habere, quibus de vestimentis provideat, sicut est superius ordinatum; solvat eciam, singulis annis, conventui Magalone anniversarium Johannis de Opere et domini Petri de Agrifolio, Guiraudi Ruffi, et Duranti de Viridario, et alia que solvere consuevit, et etiam de quibus instrumenta invenirentur; et provideat de porris in dominice de quadragesima, sicut est ab antiquo consuetum.

Item ecclesiam Sancti Dyonisii de Genesteto, cum omnibus de tota parrochia sua, cum omnibus usaticis et dominationibus, que prior Sancti Firmini habere seu percipere consuevit ultra Salaronem, unimus mense canonicorum Magalone, et ecclesiam Sancti Firmini absolvimus a pensione quinquaginta librarum, quam dare tenebatur, singulis annis, procuratori mense canonicorum Magalone.

Item ecclesiam Sancti Georgii ad ordinationem capituli revocamus; ita quod amodo per prepositum ordinetur, et prior ibi instituatur, sicut alie ecclesie capituli ordinantur, et priores in eisdem instituuntur per eundem.

Predicta omnia et singula laudavit, confirmavit, approbavit, et suo expresso precedente et interveniente consensu facta esse recognovit totum capitulum Magalone : Michael de Moresio, Guillelmus Christoforus, Poncius de Vicenobrio archidyaconi; Petrus de Conchiis sacrista, Giraudus prior claustralis, Petrus de Montelusone cellarius, Poncius de Cabreria, Bertrandus de Altiniaco, Berengarius Arnaudi archipresbiter, Petrus de

Cornone helemosinarius : Poncius de Lunello Sancte Eulalie, Johannes Atbrandi Castrinovi, Guillelmus de Trapol de Frontiniano, Guillelmus de Montelauro Sancti Marcelli, Guillelmus Sancti Baudilii de Alsas, Hugo de Gabriaco Sancti Vincenciani ; Guillelmus Salvatoris Sancti Desiderii, Guillelmus de Marginibus de Molinis, Petrus de Ruppe Furcata de Venranicis, Guillelmus de Manso Sancti Dyonisii de Montepessulaneto, Guillelmus Raynerius Beate Marie de Tabulis, Petrus Poncii de Melgorio, Guillelmus de Fabricis, Guillelmus Clemens de Adavo , Poncius Thome de Aquis, Poncius Juliani de Boja, Guillelmus Ebrardi de Lunello veteri, Audebertus de Montaniaco de Piniano, Petrus de Veyraco de Gornerio, Raymundus de Lauda de Agantico, Raymundus Atbrandi de Claperiis, Bernardus de Sancto Mauricio de Novegens, et Guillelmus de Latis, priores ; Poncius de Sancto Justo, Johannes de Sentraynicis, Petrus Lauri, Johannes de Bayriaco, Guillelmus de Narbona, Petrus de Lauracio, Estermengaudus de Ginhacio, Johannes Gandalrici, Raymundus de Viridario, Poncius Guitardi, Bernardus de Agrifolio, Guillelmus de Royre sacerdotes; Raymundus Alberti, Gaucelmus de Soregio, Ermengaudus de Marciliano, Jacobus Vacca, Bertrandus de Fulhaquerio, Poncius de Casalibus, Raymundus de Sancto Firmino, Guillelmus de Claperiis, Bertrandus de Veyruna, Guillelmus de Sancto Boneto . Raymundus de Rocha , Bertrandus de Rocha, Bertrandus de Valhanicis dyacones, atque plures alii in capitulo residentes.

Ad perpetuam autem firmitatem omnium predictorum habendam , presentem paginam sigillorum nostrorum munimine jussimus roborari.

Actum Magalone, XII kalenbas januarii, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo septimo.

(Arch. départ. de l'Hérault, cassette Saint-Firmin, d'après un vidimus de 1466 ; édité par Germain, dans *Maguelone sous ses évêques*, p. 211).

TABLE CHRONOLOGIQUE

DU TOME DEUXIÈME

AFFAIRE DE BALARUC

APPENDICE

ERRATA

TOME PREMIER

Page 183. Supprimer la note 1, et introduire dans le texte: *ecclesiam Sancti Briccii.* Cette église est mentionnée dans le *Cartulaire* (voir Fasc. XIII), et sa topographie y est bien déterminée.

TOME DEUXIÈME

Page 32. Au lieu de *31 janvier 1205*, lire *1 février 1205.*

Page 34, ligne 5. Rétablir ainsi le texte du N° 292: *dominum Montispessulani ex una parte, et homines Montispessulani ex altera, vertebantur*, etc.

Page 154, ligne 4. Supprimer *Poncii de Vezenobre canonici Magalonensis.*

Page 282, ligne 18. Au lieu de *V. de Amiliano*, lire *U. de Amiliano.*

Page 558. Au lieu de *26 juillet 1260*, lire *25 juillet 1260.*

Page 695. Au lieu de *20 septembre 1260*, lire *24 septembre 1260.*

Page 713. La Note historique est fausse: Delphine de Roquefeuil, dont il est question dans cet acte, est la mère d'Élisabeth, qui épousa Hugues de Rodez (voir Généalogie, p. 357). Le dernier acte que nous connaissions d'Élisabeth d'après le *Cartulaire de Maguelone* est du 22 mars 1251 (p. 684). Elle dut mourir peu après. Sa mère, Delphine, lui survécut (Voir dans ce même Tome p. 828, et aussi Fasc. XI, Tome III). Elle était donc la grand'mère et non la tante de Henri de Rodez: le mot *nepos* signifie ici petit-fils et non neveu.

TABLE DES MATIÈRES